D. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
QUÆ VIDETUR SENTENTIA
DE BEATITATE SANCTORUM PATRIARCHARUM, PROPHETARUM
Ceterorumque Juſtorum antiqui Teſtamenti ante Chriſti Domini deſcenſum in inferos,

A JOHANNE CADONICI VENETO
ECCLESIÆ CATHEDRALIS CREMONÆ CANONICO ILLUSTRATA atque demiſſo animo Theologis catholicis ſubjecta,

UT DIJUDICENT,

Num vere AUGUSTINI habenda ſit;

Et utrum novis efficacibuſque argumentis confirmet conſtantem ECCLESIÆ *Doctrinam circa veritatem & antiquitatem* PURGATORII *& circa non retardatam* ANIMARUM JUSTARUM *Beatitudinem in Manſione Cœleſti.*

CONTRA HÆRETICOS HÆC DOGMATA IMPUGNANTES.

Accedunt Animadverſiones ejuſdem Auctoris adverſus recentem Librum P. Liberati Faſſonii & Scholis Piis de eodem argumento.



VENETIIS
MDCCLXIII.
TYPIS ANTONII ZATTA
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

LAURENTIO ALEXANDRO
MARCELLIO
SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ VENETIARUM
SENATORI AMPLISSIMO.

JOANNES CADONICI.

P*Lures me impellebant caussæ, cur enixe exoptarem, volumen istud amplissimo* EXCELLENTIÆ TUÆ *nomine ornatum, publicam demum lucem adspicere. In primis nempe validissima tutela* TUA *erga eumdem librum, ne post tot difficiles tempestates portu probiberetur: ita enim*
* *vide-*

videbatur mihi adeo TUUS effectus, ut pene meum esse desineret. Accedebant insignia beneficia ignoto mihi a TUA eximia comitate conlata, quibus putabam nonnullam referre gratiam, quando me TIBI devinctum palam profiterer. Urgebant denique merita, virtutesque TUÆ, atque in ejusmodi exercitationes egregium studium & solertia, ut eo MÆCENATE uterer, qui probatus omnibus, atque rei amplitudini aptissimus haberetur.

Nimirum argumentum de quo agitur, licet gravissimum, felicia sibi tantum poscit ingenia, quale TUUM est, quæ rerum intima penetralia sedulo, & sine contentione perquirant, objecta patienter commetiantur, selectam antiquitatem suspiciant, Scripturarum sanctarum obvium sensum diligenter custodiant, pura secernere noverint ab impuris, ac denique in solida cognitaque veritate conquiescere. Omnes quippe catholicæ Ecclesiæ filii una voce, & uno corde profitemur, Patriarchas, Prophetas, Justos præterea omnes antiqui Testamenti nunc in cœlis regnare, perfecte intuentes Deum Unum & Trinum sicuti est: & tota controversia in eo circumscribitur, ut sobrie inquiramus tempus, quo ad hanc visionem evecti fuerunt, scilicet num statim a morte corporis sui, an verò post Christi Domini passionem consummatam. Primum arridet mihi duce Sancto Augustino; secundum frequentius in Scholis est.

Sed quia gloriæ æternæ fruitio ex divinæ mensura justitiæ iis tantum Adæ filiis redditur, qui in ista peregrinatione ita adjuti sunt medicinali gratia Mediatoris, ut in eis corpore abeuntibus dona sua inveniret

niret Deus quæ coronaret : nulli videri debet ambiguum, memoratos homines tales tunc fuiſſe apud Deum, quia ipſemet in Scripturis ſuis eos juſtos, dilectos, amicos *appellat*, *&* *ſe* dignos *inveniſſe declarat*. *Nam qui illos ſe dignos celebrat, Deus eſt, qui eos effecit dignos ſe; & poſteris hominibus tanta gratia diſcretos annuntiat, ut fidem, ſpem, & caritatem eorum ſub tanta mercede æmulari contendant.*

Qui ad hanc magnam quæſtionem libero animo accedit, Omnipotentis Dei fidelitati ſubnixus, veritatem ſententiæ hujus illico amplectitur; & privationem viſionis Dei cum tantorum ſerie meritorum in defunctis antiquis juſtis perperam a quocumque copulari diſcernit. Nam ſi Dei viſione privabantur a juſto Deo, hac gratia erant indigni, licet ad tempus; & tunc periclitantur Scripturæ, quæ eos hactenus prædicant dignos Deo. At ſi digni fideliter exiſtimantur: quis prohibebit illos fruitione Creatoris cogniti & concupiti; potiſſimum quum in Scripturis, ad uberiorem rei explicationem, pax, refrigerium, gloria *denique*, *non promiſſa modo, verum illis nominatim conlata toties leguntur?*

Itaque hanc ſincere amplexantes veritatem, continuo reformidant illorum ſententiam, qui hujuſmodi juſtorum animabus ſeparatis qualemcumque culpam inhæſiſſe contendunt, donec Redemptoris ſanguine abluta ad debitam perducerentur munditiem. Ita enim Deo dignæ eſſe non poterant uſque tunc.

Deteriora, quantum capio, ſentiunt illi, qui antiquos Sanctos ſumma innocentia præditos celebrantes, eis tamen mercedem differunt viſionis Dei uſque ad

descensum Christi ad inferos. Interim verò in illo tormentorum claustro, una cum dæmonibus, ac sub eorum dominatu, sanctissimos collocant Patriarchas, atque Prophetas; & nihilominus eos beatos fuisse non dubitant prædicare; quin reformident Sanctum Jo: Chrysostomum dicentem: „ Nam grave quidem est „ vel simpliciter esse sub diabolo, cum potestate ve- „ ro, illud demum gravius est. “ (Hom. 2. in Epist. ad Colossen.). Verum licet tantum errorem in eorum verbis dissimularem, in aliis etiam non latet, sed patet absurdum consilium. Qui enim summa innocentia ornati ab ipsis dicuntur, eos Deo summe dignos definire opus est. Quumque Deus auctor & effector sit puritatis eorum: repugnare videtur ejus sapientiæ ac fidelitati, tales animas ipsi intime adhærentes in terris, ab auctore meritorum suorum sejungi post vitam istam, quam inter tribulationes magnas fideliter exegerunt, ut hinc abeuntibus summum bonum assequi contingeret.

Longe diversam esse Ecclesiæ catholicæ doctrinam circa merita Sanctorum antiquorum dum viverent, nec non circa præmia eis largita post discessum à corpore, multa demonstrant. Scilicet, eorumdem sacrificia Deo fuisse acceptissima, Ecclesia declarat, quum in quotidiana oblatione illius sacrificii, quod antecedentium figurarum complementum fuit; postquam panem in Corpus, & vinum in Sanguinem Jesu Christi consecravit, devotissime Deum Patrem interpellat Omnipotentem, dicens: Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacri-

ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ: & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. *Horum verborum vim cuſtodiens S. Ambroſius, in ſuaviſſima oratione ad Miſſæ ſacrificium præparatoria, ajebat:* „ *Deſcendat etiam Domine illa Sancti Spiritus* „ *tui inviſibilis incomprehenſibiliſque majeſtas, ſicut* „ *quondam in Patrum hoſtias deſcendebat &c.* " *Ita enim, ni fallor, oſtendebat S. Doctor, peculiarem quamdam Spiritus Sancti unctionem munera antiquorum conſecraviſſe; atque idcirco multo magis ſanctitate donatas offerentium animas, quæ rerum materialium ſignificatione perculſæ, amore ſancto elevabantur in Deum Creatorem, Gubernatorem, ac Redemptorem, eorumdemque ſacrificiorum inſtitutorem.*

Licet enim non omnes laudatorum Patriarcharum poſteri, qui diverſis mundi ætatibus populum Dei efficiebant, rerum, quas agebant, ſingula aſſequerentur myſteria: ſacrificiorum tamen ſpecies internoſcebant, ſcilicet holocauſti ſive adorationis; tum gratiarum actionis, nec non impetrationis; denique expiationis, quæ etiam dicebantur ſacrificia pro peccato. Et quia, docente Apoſtolo, Oportet accedentem ad Deum credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit (*Hebr.* 11. 6.): *huic perpetuæ veritati quæcumque Religionis officia nitebantur, ſive hominum ante Legem colentium Deum, ſive illorum, quos ſub Lege lata* ſpecialibus (*Dominus*) ad pietatem dirigebat inſtitutis, & ad veritatis cognitionem erudiebat. (*S. Leo de Vocat. Gent. lib.* 1. *cap.* 5. & 21.) *Complures viri doctiſſimi, quos inter D. Johannem*

Lamium *honoris caussa nomino, hactenus demonstraverunt Trinitatis fidem calluisse Hebræos. Evidentius tamen Messiam omnes expectabant, quia ad propriam damnationem eum adhuc opperitur perfida hæc natio. Unde consequens est, illorum fidem in sacrificiis offerendis, eum respexisse quem præstolabantur, ab eoque hujusmodi pietatis obsequiis tum temporalia, tum spiritualia beneficia efflagitasse, juxta eorumdem sacrificiorum institutionem.*

Nescisse autem Hebræos, atque Hebræorum progenitores, non victimarum sanguine, sed corde contrito & humili peccatorum veniam in sacrificiis ad id ordinatis impetrari; nunquam adducar ut credam. Nimirum mandatum acceperant Deum diligendi toto corde, tota anima, totis viribus suis: quam profecto dilectionem sacrificiis quidem poterant demonstrare cordi inhærentem, cujus etiam augmentum per has pietatis significationes impetrare valebant: nunquam vero conjicere amoris præcepti loco sacrificia suffectura. Impie itaque, & contra fidem, in eorum cordibus quum infantes sanctificabantur impressam, ac in eorum aures communibus Ecclesiæ precibus conclamantem, a victimis expectarent, quod puro corde petere debere se noverant a potentissimo Deo.

Qui vero, fide deserta, ad idola convertebantur, jam mandatum abjecerant amandi ac colendi unum Deum; ac in tali cæcitate nihil mirum, si ex merito corporalium sacrificiorum a mutis simulacris terrena tantum bona sibi rependi postulabant. Ista *tamen* cæcitas, *teste Apostolo Paulo*, ex parte in Israel contigit (*Rom.* 11.) *Ajungit enim & dicit:* An nescitis

tis

tis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. *Sed quid dicit illi responsum divinum?* Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu Baal. *(de Vocat. Gent. lib. 1. cap. 10.) Mox ad sua tempora sermonem convertens Apostolus prosequitur dicens :* Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. *Hinc conjiciamus oportet, etiam quum Christus mundum redempturus de cœlo descendit, partem Israelis minime hac cæcitate perculsam, licet Sacerdotes ipsi ac præcipui Doctores, a veritate deficientes, magis diffusam præseferrent populi prævaricationem. Verum pars illa electorum, paucis exceptis, quorum fidem Dominus in Evangelio commendat; pars inquam illa electorum latebat in area, sed ante Videntis oculos exultabat: fides vero recta, tum in istorum corde & manu, tum in publicis precibus intacta perseverabat; sub invisibili sanctissimo capite nihil sibi metuens a perversis ministris ac desertoribus filiis. Justi autem, qui vel nomine innotuerunt, longe vero plures, qui in Dei thesauris occulti remanserunt, filii erant liberæ matris, non ancillæ; unde veteris quidem Testamenti gestatores, novi autem demonstrantur hæredes, atque ideo juxta ejusdem promissiones hactenus coronati.*

Nempe Jesus Christus Dominus noster cum hominibus conversans, testatus præclare est, illi populo in-

inhærere fidem felicitatis ac consolationis indeficientis, animabus justis in sinu Abrahæ paratæ statim a morte corporis, Lazari pauperis proposito exemplo, de quo sæpe locutus sum. Ecclesia vero catholica tanti Magistri interpres fidelis, eamdem omnino sortem nobis etiam hinc abeuntibus deprecatur. In Ordine quippe Commendationis animæ, verba hæc bonæ & antiquæ spei plena moribundi auribus repetuntur: beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus adstringat: *tum ad Christum conversus Sacerdos inquit:* Patriarcharum tuorum finibus insinuare non renuas; *& rursus egressa anima subditur:* Suscipiat te Christus qui vocavit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te, suscipientes animam (*tuam*) offerentes eam in conspectu Altissimi.

Quapropter qui de antiquis sermonem instituit, nisi prudentem cautelam diligenter adhibeat in privilegiis contemplandis populi illius, profecto periclitatur diversam a veritate sententiam veluti ex Scripturis sanctis efferre; illumque vere dilectum Dei populum, apud quem erat adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, *ut omnium infantium indicat sanctificatio per sacramenta pro temporum diversitate diversa; apud quem populum radix erat oleæ, in qua Gentium oleaster miseratione divina insertus est: periclitatur, inquam, populum illum talem exhibere oculis Christianorum, ut sæpe nullam præseferat imaginem populi a Deo segregati, Ecclesiam militantem constituentis, & ad veritatem specialibus institutis eruditi. Attento itaque animo assidue versandum est Sanctissimi Pontificis Leonis, Augustinianæ doctrinæ*

fidis-

fidissimi interpretis, *monitum*: „ *Quod Scriptura si-*
„ *ve de bonis sive de malis loquatur*, *sive de ele-*
„ *ctis sive de reprobis*, *ita meminit unius partis*,
„ *quasi neminem hominem prætermittat*. " *Et rur-*
sus: „ *Quod Scriptura de electis & reprobis ejusdem*
„ *populi loquitur*, *tamquam de iisdem*. " *Necessita-*
tem hujus discretionis in legendis Scripturis demon-
strat, *altissimus Doctor cap.* 9., *&* 10. *lib.* 1. *de*
Vocatione Gentium. *Quam adeo veram ante illum co-*
gnovit Divus Augustinus, *ut Psalmum* 77. *enarrans*
num. 18. *ad verba*, Et electos Israel impedivit, *in*
ea quæ videbatur universalis prævaricatio, *reproba-*
tio, *atque damnatio*, *scripserit*: „ *Erant illic etiam*
„ *electi*, *quorum fidei non contemperabatur generatio*
„ *prava & amaricans*. *Impediti sunt autem ne ali-*
„ *quid eis prodessent*, *quibus paterno se affectu con-*
„ *sulere cupiebant* . . . . *An potius simul cum eis*
„ *compeditos etiam electos intelligi voluit*; *ut qui*
„ *mente & vita discernebantur*, *ad exemplum non*
„ *justitiæ tantum*, *sed etiam patientiæ cum illis mole-*
„ *stias sustinerent*? " *Quod si paucitas adultorum ele-*
ctorum in populo antiquo deterret, *quam a frequenti-*
bus illorum a patriis institutis defectionibus deducere
opus est: *quid dicemus in tanta dilatatione areæ do-*
minicæ, *quam tamen paucis electis granis in palea-*
rum comparatione onerari Dominus non semel pro-
nuntiavit? *Nam permittente illo multa mala in mun-*
do a rerum exordiis ad finem usque: *de multis etiam*
malis quotidie bona fecit & facit, *non intelligibili*
quidem a nobis, *sed tamen semper recta justitia ac*
ineffabili misericordia. *Nam*, *ut inquit S. Leo* „ *In*
ido-

„ (*idololatriæ*) *impietatem etiam illa gens, quam ſibi* „ *ab omnibus gentibus Dominus ſegregavit, tota tran-* „ *ſiſſet, niſi miſericordiæ ſuæ propoſitum ſuſtentandis* „ *electorum lapſibus prætendiſſet. Nam plenæ ſunt* „ *paginæ veteris Teſtamenti de Iſraeliticæ defectionis* „ *relatu: ut aperte appareat divinæ ſemper fuiſſe* „ *gratiæ, quod non omnis ille populus diſceſſit a Do-* „ *mino.* (*de Vocat. Gent. lib.* 1. *cap.* 6.) *Omnibus ergo humani generis temporibus, qui Chriſto credidit, & Chriſtum accepit, illum accepit a quo non deſeratur, niſi prius eum deſerat: qui verò in Chriſto manet, in Deo manet, & Deus in eo:* Jeſus autem Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula. (*Hebr.* 13. 8.)

Hiſce inquiſitionibus Te *detinere*, ampliſſime Mæcenas, *ſatius duxi in hac nuncupatoria epiſtola, quam ut modeſtiam* Tuam *torquerem, fumoſas celebrando progenitorum imagines, nec non recentia merita Tuorum, tum in inclyta ita Deo perpetuo commendata Republica, quam me, licet immerentem, habere Matrem ſemper gloriabor, tum apud exteras Nationes, bonarum artium ac diſciplinarum amantes. Nulla profecto Europæ pars eſt, quam* Marcelliorum *nomen cum ſumma dignitate ac laude non pervaſerit, quove Domus antiquitas, religio, eximiæque animi dotes ignorentur, occaſione accepta a nunquam perituris patrui Tui* Benedicti *laboribus, qui Deo ſimul, ac ſuæ pietati, & poſteris inſerviens, nonnullos Pſalmos Davidicos muſicis numeris ita perſtrinxit, ut exquiſitam hujus artis perfectionem aſſecutum æqui judices, me audiente, profiterentur. Præclara iſtius encomia ſponte*

te

te apud omnes sermonem offerunt Gentis Marcelliæ ; *atque ita in omnium ore ac corde ejus decora versantur; duos* Benedicti *fratres concelebrando*, Hieronymum *scilicet & Alexandrum patrem Tuum, qui gloriam & indolem* Benedicti *æmulantes, cum eo artium nobilium, scientiarumque stipendia promeruerunt. Selecta bibliotheca domestica, genii Proavorum, nec non* Tui *rectissima imago, frequentibus splendet, tum Manuscriptis, tum Editis Majorum Libris, de quibus non uno loco occurrunt eruditorum splendida atque incorrupta judicia.*

Tu verò solus talis es, ut licet adeo illustres faces oculis hominum non prælucerent, Tuismet *studiis ac meritis antiquæ arboris bonitatem testatam facias, quæ hujusmodi fructu se speciosiorem fieri lætatur. Quamvis enim virtutes omnes, & quælibet hominis bona a Deo gratis largiente in animis nostris serantur & crescant: modestiam tamen, religiosos mores, comitatem, prudentiam denique, & in rebus agendis peritiam in hominibus admirari solemus, veluti a domesticis exemplis, atque a diligenti juventutis institutione derivent.* Avorum *itaque* Tuorum *laudes* Tua *laude ditantur; quæ adeo eximia in totius* Serenissimæ Reipublicæ *conspectu est, ut* Tu *non modo gravissimis Magistratibus jamdiu fungaris, verum etiam inter* Quinque Viros *annumerari novissime merueris, quibus arduum, & multi consilii negotium discutiendum committeretur; cujus eventus non urbes modo Venetas, non solam Italiam, sed universum pene Orbem in expectationem vocavit; cujus demum felicissimus exitus expectantium animos sincera lætitia comple-*

plevit. Uberiore tamen gaudio ipse perfusus sum, quando tum publicis nuntiis, tum frequente fama cognovi, inter gravissimæ illius caussæ Patronos, Te etiam concelebrari; meque amplius fortunatum existimavi, quod pro benignitate Tua tam illustri Nomine hæc exigua scripta honestari meruerint. Quibus, si post tantarum rerum tractationem, animum aliquando admovere dignaberis, Excellentissime Mæcenas, novo me afficies, atque insigniore beneficio.

Dabam Cremonæ V. Idus Junii Anno Domini MDCCLXII.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

1. ILLUD præ ceteris revera optatissimum præmium Vindiciis meis Augustinianis Cremonæ excusis anno 1747. accessit, a plerisque tum dignitate Eminentissimis, tum doctrina præcellentibus viris; ut benigne gratulerentur imprudentem Millenarii regni notam a Sancti Augustini venerando nomine solide in eo libro depulsam. Bifariam id assequi conatus sum. Primo demonstravi, sermonem 259. editionis novæ, qui unus vere millenariam continet, præsenti Sanctorum beatitati insidiantem doctrinam, obliterandum a genuinis Sancti Augustini Operibus, veluti fœtum adulterinum. Deinde in Sancti Doctoris rectissimæ fidei testimonium, doctrinam adscivi de vera beatitate Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, ceterorumque justorum antiqui Testamenti ante Christi Domini descensum in Inferos; quam in pluribus scriptis suis, qua latentem in publicam lucem producere operæ pretium esse existimavi. Nulla enim alia via quosdam genuinos Sancti Augustini textus sanari, & Apostolicæ Fidei in hoc articulo consentaneos reddi posse, multis ostendi, in postremis præsertim illius libri capitulis. Nec me id primum detexisse gloriabor: quin immo ingenue profiteor, Nicetam in Notis ad Orationem S. Gregorii Nanzianzeni in laudem Sanctorum Machabeorum, & Fevardentium ad libros hæresum Sancti Irænei, ac nonnullos alios Græcorum Patrum interpretes, atque scholiastas, hanc ante me in S. Augustino agnovisse doctrinam. Unum peculiari devotioni meæ, & in Divum Augustinum præcipuæ dilectioni a benignitate Dei reservatum puto, ut primus ego, post hujus doctrinæ, veluti oppressam memoriam, eamdem exsuscitarem, vi adactus dictorum textuum; qui alia ratione recte explicari adeo non poterant, ut unus, qui in scriptis suis me corripere voluit, veluti importune ad hanc sententiam provocantem, ipse eosdem textus, neque transcribere ausus sit, ut in Dialogis Roboreti, seu verius Venetiis, impressis anno 1753. patefacere coactus fui.

2. Verum quia nonnulli, hanc per me paratam doctissimo

Patri defensionem: apud ignaros quasi odiosam traducunt; dum non aliter me S. Augustinum a Millenarii regni imputatione immunem fecisse dictitant, quam novam, & nulli nunc probatam senteutiam ipsi tribuendo: necessarium duxi, momenta, quibus opinionem hanc vigilantissimus Augustinus communivit, ob oculos ponere. Necessarium inquam; quia hoc sæculo non paucos offendimus homines maximo huic Doctori tenebras offundere connitentes; ne ea manente, quam meretur, quaque indesinenter apud catholicos gavisus est, laude doctrinæ, in suis deflexibus prodantur. Nimis videlicet commodum hujusmodi Doctoribus accidit, si nævum aliquem in S. Augustini scriptis latitantem possint suspicari. Inde enim apud suos argumentantur; ut ejusdem auctoritatem infirment in dissimilibus etiam quæstionibus, quæ altioribus stant testimoniis, & ab Ecclesia Dei semper juxta Sancti Patris mentem, susceptæ sunt, & prædicatæ.

3. Ego ipse quosdam expertus sum, qui, ut recentioris cujusdam scriptoris famam tuerentur, Augustinianum robur, contra quamdam novam sane, immo inanditam, & male sonantem sententiam, respuebant, hac una ratione nixi, quia Sanctum Patrem millenariis adhæsisse dictitabant. Quasi ac si in ista opinione esset corrigendus, idcirco in illa nec mereretur audiri. Hanc pariter maculam alter commemoravit ad me rescribens, ut argumentorum vim declinaret; quibus antiquorum beatitatem ex mente tanti Doctoris assertam, in hoc MS. legebat. Istum ad Vindicias remisi. Ex quibus quum constet improbam hanc notam Sancto Patri perperam inustam: Sperabam doctum virum in ceteris mihi concessurum, quin officeret consensus, ut ajebat, communis in contrariam sententiam. Num id consequi ab ingenuo illo meruerim, adhuc ignoro.

4. Unum doleo; communem hanc, contrariamque sententiam, quam efferunt; & me veluti imprudentem S. Augustini defensorem apud multos culpare; & Augustinum ipsum traducere, veluti doctrinas propinantem, quæ deinceps omnium Teologorum voto reijci meruerint. Si qua ideo in me culpa est, eamdem abstergere propono: non alio tamen pacto, quam in medium vocando argumenta, principia, auctoritates denique, ob quas hæc opinio in accuratioribus S. Augustini libris locum invenire promeruit; & tanti apud eum esse, ut hac præcipue doctrina

ctrina Manichæorum, Pelagianorumque commenta coram Ecclesia debellaret. Quæ opinio, si veluti nova, & fundamentis destituta, tunc inspici potuisset: nihil est cur putemus dissimulatam fuisse a tot doctissimis coævisque Epicopis; multo autem minus hæreticos eadem præteriisse absque redargutione.

5. Sola hæc consideratio tantam huic sententiæ conciliat firmitatem; ut non nisi prudens haberi possit dubitatio circa opinionem contrariam, quam nostri Theologi in Scolis nunc sustinent. Nec enim ostendi poterit Hæreticos recentiores in aliquo dogmate devictos a nostris demonstrantibus, antiquos justos gloria hactenus ipsis promissa tunc primum participes factos a Christo Domino, quum ipse descendit ad Inferos. Ex adverso S. Augustinum vincentem admirabimur Manichæos, hanc gloriam asserendo multo ante largitam accolis sinus Abrahæ. Vidit namque accutissimum illud ingeniam, contraria concessione Hæreticis optatissima, multis præscribi Fidei, speique Christianæ fundamentis. Vel enim non justi illi, nec Sancti; quos Scriptura justos, sanctosque appellat; vel justitiæ Dei parantur insidiæ, si tales homines ulla, quantumvis parva pœna, cruciari permiserit post eorum a corpore discessum. Pœnam autem continuo eum sequi, qui a Dei participatione prohibetur, adeo certum apud S. Augustinum erat, ut istud axioma non a nostratum, sed a Gentilium Philosophorum doctrinis confirmet; scilicet ostendens, veritatem hanc ex rationis lumine, sensuque communi descendere nullaque proinde probatione indigere.

6. Scholarum opiniones conciliare non valui, cum indubiis hisce principiis, post longas licet cogitationes. Si enim cum Divo Thoma dicebam, antiquos justos doloribus affectos usque ad Christi descensum ob reatum peccati originalis ipsi adhuc incumbentem, propter quem ab æterna gloria amovebantur: eorumdem justitiæ, & sanctitatis laudem defendere nesciebam contra Pelagianos, & Manichæos. Dum autem communiori sententiæ adhærere nitebar, quæ eas animas ab omni peccati reatu immunes, tot sæculis coercet in Limbo, visione, & participatione Dei privatas, & nihilominus quietas prædicat, atque felices: quietem affingere verebar extra finem. S. Augustinus certe ejusmodi vitæ rationem repudiat, secure pronun-

tians:

tians: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te* (Confess. lib. 1. cap. 1.) & alibi. *Ubi enim bene erit sine illo?* (Tract. 51. in Joh.) & demum quum juxta Philosophorum dicta effectum describebat visionis Dei: *Illa namque*, inquit, *visio Deo tantæ pulcritudinis visio est, tantoque amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditum, atque abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere*. (de Civ. Dei l. 10. cap. 16.) Hinc putabam non nisi infelicissimos habendos Sanctos Patres, donec a visione Dei prohibebantur, quidquid boni in eis imaginari studerem, ac propterea nullo modo quietos, felices, atque beatos.

7. Juxta hanc regulam, & cognitum, inconcussumque principium intelligenda esse censebam verba S. Augustini, quibus quietem, refrigerium, pacem, atque solatium toties attribuit justis antiquis, & multo magis quia præclariora non desunt, quibus veram vim harum vocum ipse patefacit, illis nimirum spiritibus aperte impertiendo beatificam præsentiam Divinitatis. Consentaneas præterea inveniebam phrases ceterorum, tum Græcæ, cum Latinæ Ecclesiæ Patrum, & illustrium scriptorum de his animabus sæpe loquentium. Ex quibus omnibus suadebar, me haudquaquam prudenter acturum, si ad nunc vigentem intelligentiam Patres pertrahere niterer, quia etiam ipsi quietos dixere justos in sinu Abrahæ. Statim enim menti meæ occurrebat, nunquam eos divinare potuisse talem huic vocabulo ab homine tribuendam significationem, qua non modo Scripturarum mens aperta subvertitur, verum etiam sensus communis, & ipsa Ethnicorum Philosophorum intelligentia. *Fides nominum*, inquiebat, Tertullianus (de carne Christi cap. 13.) *salus est proprietatum*; & omnia revera violenter evertuntur, hac dempta nominum Fide.

8. Dum ergo quisquam opponeret, Patres non aperte dixisse, antiquos justos visione Dei, sicuti est ante Christi descensum fuisse gavisos, agnoscat quæso eos idipsum paucioribus verbis significasse, quum *quietos* prædicabant. Nullam enim quietem imaginari licet in separatis animabus sine clara & revelata fruitione Dei; nec ullus hominum in scriptis Patrum inveniet (quod tamen opus esset) ab eorum quoquam quietam habitam esse, atque beatam animam illam, quæ visione, & gaudio Dei sui frustraretur.

9. Non-

9. Nonnullos quidem Patres invenire erit, qui sententiam adjuvant Divi Tomæ (quæ revera altera rectior est) dicentes nimirum, Adam cum ceteris Patriarchis, & justis, adventum Domini in molesta custodia fuisse præstolatos, ipsumque suspiriis, lacrimisque exoptasse. At fidenter assero, nullum ex Patribus inventum iri, qui doceat, mox descriptos Justorum spiritus tantam gratiam expectasse, sincera interim quiete fruentes.

10. Similibus tamen Patrum textibus (qui in hanc sententiam parcissimi sunt) meliorem sensum tribui jubent, tum firma principia, quæ attigimus, apud eosdem multoties stabilita; tum quæ de virtutibus, meritisque Patriarcharum latissimo calamo prosequuntur; tum denique quæ de Enoch, & Helia in corpore translatis sæpe deprædicant. Istos vere beatos, intima scilicet Dei præsentia, & fruitione felices, atque in vero, sed spiritali facto corpore, adhuc vivere, omnes confirmant. Quid autem duo isti meruerint supra Abel, & Noe, immo supra Abraham, Isaac, & Jacob, quorum, ut ait Apostolus, *non confunditur* Deus vocari Deus eorum: tum supra Job, David, Josiam, & ceteros Prophetas, ac Martyres illorum temporum: difficile cuique assignatu puto. Quemcumque vero statum iis dare velimus in Limbo juxta nunc vigentes opiniones, profecto deterior invenitur vita Enoch, & Heliæ, quod sub justo, & æquo, & omnipotente judice repugnat.

11. proclive est percipere, difficultatem hanc in immensum augeri, dum ad ea attendimus, quæ Moysi post mortem evenere. Quum enim hic post tam familiare cum Deo commercium, postque tot insignia operata miracula, post denique mortem ita obitam, ut sepulcrum ejus (magna porro ex causa) ignoraretur, Limbum, ut vocant adire debuerit, ibique absque visione Dei tot sæculis detineri: nescio qualis status huic animæ assignari valeat, postquam, non in visionibus, & ænigmatibus, sed ipsis oculis, in proprio a mortuis revocato corpore, vere conspexerat Deum suum, verum Deum, & hominem, in monte transfiguratum, & ad futuram gloriam assimilatum. Etenim si istum post tantam gloriam Limbo restituimus, atque intima & beatificante præsentia divinitatis volumus destitutum: non solum donis Dei pœnitentiam affingimus, sed ejus animam

in

in eo statu imaginari cogimur, qui omnem vincit rectam imaginationem. Hæc ex Patribus suo tempore prodere promitto, quæ cum Limbi miseria, aut vulgata beatitate conciliari non posse, Teologi fortasse assentientur.

12. Suo tempore inquam. Non quod istud etiam examen non pene absolverim; sed quia aliquid impedit quominus Augustinianæ sententiæ nunc accedat. Pauperem scilicet vitam vivimus, ne Opera tot Patrum nostris sumptibus possidere possimus. Ea autem in Urbe degimus, ubi recentissima exemplaria vel desunt, vel multis de causis ad mei commodum, atque ab ejusmodi studia, impervia sunt. Benignitate quidem Clericorum S. Pauli, & eorumdem mihi semper commendanda largitate factum est, ut Græcos Patres domi meæ, quantum opus erat, consultare potuerim. Verum dum occurrere cogor Pougetio Oratorii Gallicani docto Presbytero, multas in hoc articulo Patrum auctoritates congerenti; recentioribus editionibus uti necessum est (antiquiores scilicet illæ sunt, nec omnes emendatæ); ne qui omnia arripiunt aliter in recentioribus legi sibi plaudere possint. Hinc amicorum absentium subsidia expostulare; multumque temporis hac illac discurrendo terere opus erit; nec multi anni fortasse tot indagationibus, transcriptionibusque, & concordantiis sufficient. Interim, ne studii amorem aversis casibus in me friguisse ii putent, qui eos procuraverunt: librum hunc præmitere censui, qui sinceris veritatis cultoribus, & S. Augustini devotis, haud inutilis fortasse videbitur. Fidem in reliquis, quamprimum potero, liberabo meam.

13. Etenim cognoscere præstat harmoniam præcipuorum Ecclesiæ Scriptorum, & Patrum, doctrinæ S. Augustini in hoc articulo concinentium. Quippe Pougetius audentius pronuntians, eos pro communi sententia stare, veluti pedicis coercet præclaram S. Augustini auctoritatem, licet tot suffultam argumentis, atque historiis, nec non miraculis Scripturarum. Utque objectionis hujus, de cetero magnæ, infirmitatem paucis aperiam, ejusdem Pougetii dictata cursim perpendere necesse est.

14. Is itaque in suis Institutionibus catholicis in modum catecheseos concinnatis (Part. 1. sect. 2 cap. 1. §. 20. pag. 204.) descensum Christi ad Inferos explicans hæc docet. Limbum esse subterraneum quemdam locum, ubi ante mortem Christi

quie-

quiescebant animæ justorum, queis *nihil eluendum* supererat. Istas illinc a Christo ereptas dicit, ut secum adduceret triumphans in Cœlum: quippe quibus *anticipata misericordia* Deus jam *concesserat remissionem peccatorum per Christum venturum*; ita tamen ut *effectus* hujus remissionis, & misericordiæ *suspensus* remaneret, donec per effusionem sanguinis Christi soluto pretio salutis nostræ, fuisset Divinæ justitiæ pro peccatis nostris *plene* satisfactum. Dicam quod sentio. Doctrina hæc tenuitati meæ ita sonat, ut remissa simul, & non remissa antiquorum peccata cogar suspicari. Effectus siquidem remissionis peccati, est ipsa remissio; & ubi post hanc nihil eluendum supersit, ut fatetur Pougetius, nullam pœnæ temporalis reliquiam, nullam remissionem novam cogitatione assequi valeo. Inquirens postea Pougetius; num Christus descendens, animas etiam in Purgatorio existentes liberaverit:,, Dubium, inquit, est, utrum Christus tunc temporis liberaverit eas animas, quæ quum igne temporario purgentur, nondum omnino purgatæ fuerant. Ea de re quum nihil certi statui possit, satius est nullum dare conjecturis locum,,. Revera hujus dubii solutionem neglexit omnino.

15. Ad hæc confirmanda plures congerit S. Patrum auctoritates. In quibus recognoscendis, nonnulla inveni, quæ cum Pougetii dictis, non satis amice concordant. Primum est, Sanctos Patriarchas veluti ab inferis tunc eductos, minime nominari in transcriptis textibus, si duos excipias, vel tres. Omnes vero Patres concordi voto in eisdem docere, eas tunc animas liberatas, quæ redemptione indigentes, in doloribus, & tenebris versabantur inferni. Pougetio itaque in veris cruciatibus purgantes animas agnoscente, justorum vero spiritus in Limbo quiescentes: nondum assequor quomodo ab hisce testimoniis ipse hauriat justorum liberationem certam, purgantium vero spirituum libertatem asserere contremiscat.

16. Nec quietas dumtaxat dicit Pougetius sinus Abrahæ animas absque visione Dei, sed insuper *æterna felicitate* donatas. Ostensurus enim statum cujusque animæ post peculiare judicium (part. 1. sect. 3. cap. 3. §. 16. pag. 393.): alias cum Christo permanere docet, alias in locum purgationi debitum abire: alias demum in infernum descendere æternis plectendas suppliciis. Primam propositionem ita confirmat: *Legimus*, inquit, *in Evan-*

gelio pauperem Lazarum translatum fuisse in sinum Abrahæ, ibique frui æterna consolatione. At numquid alibi, quam in sinu Abrahæ ceteri justi erant? Dum autem Pougetius consentit, Lazarum ibi fuisse apud Abraham, nec non *æterna consolatione* donatum: dicat quæso, quid ipsi, & sociis deerat, quod ex descensu Christi posset instaurari?

17. Hinc percipiant lectores, quales ambages, quales sententiarum pugnas eorum scripta contineant, qui statum inquirentes animarum in Abrahæ sinu degentium, ab excellentibus, summisque magni Augustini meditationibus descìscunt. Dum enim eas animas quietas volunt absque visione Dei, principium obscurant, quo communi sensui constat; infelicissimum esse rationalem spiritum conspectu Dei orbatum, licet quocumqne alio bono abundantem. Destruunt, insuper definitionem pœnæ damni secundum quam semper apud Catholicos obtinuit, privationem visionis Dei, tum purgantium, tum damnatorum spirituum, potissimum esse supplicium. Post hæc, dum Evangelicorum justorum beatitudinem stabilire contendunt auctoritate scripturarum, aperta antilogia, exemplum proponunt pauperis Lazari *æterna consolatione* fruentis, quamvis sine hæsitatione, immo quasi de fide, sinum Abrahæ interea Dei conspectu defraudent.

18. Rectissime itaque, etiam ex hoc Lazari testimonio a Pougetio adducto, S. Augustinus asseruit „ Unde illis justis, qui „ in sinu Abrahæ erant, quum ille (Christus) in inferna descen- „ deret, *nondum quid contulisset* inveni a quibus eum secundum „ *beatificam præsentiam suæ divinitatis* numquam video recessisse. „ (Epist. 164. alias 99. ad Evodium) Qua doctrina suscepta fides revera nominum in scripturis servatur, ubi toties pax, requies, refrigerium, & gloria iis promittitur, qui secundum Deum vixerint. Neque detrahitur ab hisce vocabulis obvia, quam continent, significatio participationis fruitionisque Dei; quod insuper fieri minime potest sine promissorum novi etiam Testamenti jactura. Rursus juxta intimam veritatem percipimus, atque explicamus frequentia scripturæ elogia: *Justorum animæ in manu Dei sunt.... Illi autem sunt in pace.... Et invenit illos, Deus, dignos se.... Et in die defunctionis suæ benedicetur*, ac sexcenta similia, quibus meus hic liber redundat. Quibus si textibus nunc

legi-

legitime utimur ad ostendendam veritatem beatitatis Sanctorum: ipsimet textus nativum robur ammittunt penes Hæreticos beatitatem protelantes, dum eadem vocabula adeo dissimilem a sono significationem habuisse nosmetipsi contendimus apud eos, quibus primo annuntiata fuerunt.

19. Certissimo autem Christi descensui in inferos, apertissimus, præclarissimusque tribui mihi videtur effectus, si eum descendisse dicamus ad liberandas a purgatorii pœnis animas fidelium, juxta illud, *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & invisam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino* (Ecclesiastici 24. 45.) Huic intelligentiæ Græcos, & Latinos Patres suffragari puto, dum una voce profitentur, descensum Christi Domini, ad eripiendos, qui in pœnis erant fuisse ordinatum. Nec unquam Pougetius hanc gratiam incertam faciet purgantibus animabus, juxta a se citata Patrum testimonia. Dum autem certam agnoscere inciperet: tunc Ecclesiæ dogmata circa beatitatem Sanctorum aptius tueretur, atque S. Augustini auctoritate vallaret.

20. Ecclesiæ quippe fides in Conciliis explicata hæc est; ut *Sanctos una cum Christo regnantes*, credamus: *illos vero qui negant Sanctos æterna felicitate fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem, esse idololatriam...impie sentire*. (Conc. Trid. Sess. XXV.) Hic nullum invenio ab Ecclesia propositum discrimen antiquos inter, & Evangelicos Sanctos, quantum attinet ad cœlestem gloriam consequendam. Ipsa autem Catholica matre inter canonicos suscipiente etiam libros Machabæorum, eamdem agnoscit, tum orandi caritatem erga homines, tum intercedendi efficaciam, in separato Sancti Prophetæ Jeremiæ Spiritu (de qua latissime agitur in 2. lib. cap. 15.) quam Evangelicis Sanctis tribuit Divus Thomas ex eodem antiqui testamenti loco (2. 2. quæst. 83. art. XI.)

21. Quid quid itaque inter Theologos recentiores olim disceptatum est, & huc usque disceptatur, circa tempus beatitatis animarum Sanctorum antiquorum: nulla, ut puto, ecclesiastica definitione fulcitur. Nam qui has animas quievisse dicunt in sinu Abrahæ, nulla intercedente molestia: a Scholarum Magistro Divo Thoma aperte discedunt, eos in inferno, atque doloribus agnoscente.

 22. Jux-

22. Juxta hanc duplicem, nec satis amicam sententiam scripsere conditores Catechismi Romani, in explicatione quinti articuli symboli Apostolorum. Nam de tribus animarum apud inferos receptaculis differentes, & communiori opinioni se accomodantes in numero tertio dixerunt. " Tertium postremo „ receptaculi genus est in quo animæ Sanctorum ante Christi „ Domini adventum excipiebantur, ibique *sine ullo doloris sen-* „ *su beata* redemptionis spe sustentati, quieta habitatione *fruebantur*. Horum igitur piorum animas, quæ in sinu Abrahæ „ Salvatorem expectabant, Christus Dominus ad Inferos de- „ scendens liberavit. „

23. Quia autem, reminisci debebant etiam doctrinæ Divi Thomæ, qui in eadem Patrum spe fundamentum ponit doloris eorumdem, dicente S. r ptura, *Spes quæ differtur affligit animam* (Proverb. 13. 12.) hnic itidem opinioni faverunt in sequentibus. Proinde (n. 5.) " Ceteri omnes, inquiunt, *captivi* descenderunt: „ ipse vero (Christus) inter mortuos liber, & victor ad *pro-* „ *fligandos Demones, a quibus illi* (de *sanctis* loquuntur) ob no- „ xam inclusi, & constricti tenebantur, descendit. Propterea „ alii omnes, qui descenderunt partim pœnis acerbissimis *tor-* „ *quebantur*, partim vero ut alio doloris sensu *carerent*, tamen „ Dei adspectu privati, & *spe gloriæ*, quam expectabant *suf-* „ *pensi* torquebantur. At Christus Dominus descendit, ut san- „ ctos, & justos homines, ex *misera* illius custodiæ molestia „ liberaret, eisque passionis suæ fructum impertiret, „

24. Consentanea repetunt numero sexto dicentes, „ Propte- „ rea Christum Dominum ad inferos descendisse, ut ereptis *De-* „ *monum* spoliis Sanctos illos Patres, ceterosque pios e *carcere* „ liberatos secum adduceret in Cœlum... Statim enim illius „ aspectus clarissimam lucem *captivis* attulit eorumque animas, „ immensa lætitia, gaudioque implevit, quibus etiam optatissi- „ mam beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, impertivit. „

25. Hæc parvitati meæ nequaquam concordare videntur cum dictis numero tertio. Ibi enim *justi*, & quieti appellantur patres sinus Abrahæ; numero autem 5. & 6. eos *ob noxam a diabolo inclusos*, nec non *constrictos* legimus, ideoque *in peccato*, in doloribus, atque tormentis.

26. De purgantibus autem animabus nihil hoc loco doceri vi-

videtur; Quamvis enim (n. 5.) dicatur. *Praeterea alii omnes, qui descenderunt partim pœnis acerbissimis torquebantur*: id tamen minime indicat speciali quadam ratione animas in purgatorio existentes, quum dolores acerbissimi etiam iis communes fuerint, qui æterna damnatione puniuntur. Et quamvis compilatores addant (n. 6) *Sanctos Patres, ceterosque pios e carcere liberatos*, unde per τὸ ceteros pios purgatorium appareat indicatum: attamen præcedentia, quæ ex numero tertio attulimus, hanc interpretationem impediunt; quippe quia ibi Christi misericordia circumscribitur ad solam liberationem Sanctorum in Sinu Abrahæ degentium, purgantibus omnino præteritis animabus. Quomodo autem istæ a gratia liberationis excludi possint, nondum assequor: quum textus Zachariæ (9. 11.) ibi laudatus, eas etiam complecti videatur. Ecce ejus verba. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua*. Profecto Animæ purgantes ex *vinctis suis* erant, quia vera fide, & spe, & caritate Deo, & Christo conjunctæ decesserant, ideoque jus ad cœlestem gloriam serius ocius ingrediendam habebant. Immo textus iste, ut suo loco monstravi, eo magis purgantes animas decet, quanto minus ostendi potest, Lazarum in lacu fuisse, ubi aqua non erat divite nimirum a digito ejus stillam efflagitante. Et quamquam, ad significandam existentiam Purgatorii, etiam de tempore antiqui Testamenti, adjiciant numero sexto, quod Piorum Animæ, quibus aliquid diluendum erat, *purgatorio igne expiabantur*, attamen sub silentio prætereunt, quid ipsis contulerit Redemptor in suo clementissimo descensu, fortasse quia non valde arrisit Divi Thomæ responsum dicentis, conlatam eis *spem* dumtaxat *gloriæ consequendæ*.

27. Nos itaque in hoc bivio relicti, spinis, & tribulis undequaque scatente etiam ab hoc de cetero admirabili, nec non tantæ auctoritatis libro, neque in hisce doctrinis invenientes caracteres venerandæ Traditionis, quæ a constantia, & antiquitate præcipue dignoscitur: quid reliqui habemus, nisi ad ejusdem Traditionis fontes devote confugere: ut Patrum fidei nostre luminibus comparticipes facti, invenire possimus, quomodo hujus nostræ antiquissimæ fidei rationem reddamus?

28. Hac ego animi præparatione ad Divi Augustini lectionem accessi, utpote ad illum, qui in dubiis, altaquæ locis caligine

ligine merſis, mirificam lucem ſolet afferre. Benignitate Dei factum eſt, ut in epiſtolam 164. alias 99. Evodio nuncupatam demum inciderem; in qua hujus latebroſæ quæſtionis nodi omnes perſtringuntur: atque ſolvuntur. Ibi præclare agitur de Paradiſi veritate de Purgatorii antiquitate, & exiſtentia; nec non de damnatorum pœnis ſine ulla intermiſſione perpetuis, tum luculentiſſime aperitur, quomodo de Chriſti Domini apud inferos deſcenſu, juxta horum locorum differentiam nobis ſit affari permiſſum. Nempe demonſtrat S. Pater, nullum remedium, nullum malorum levamen damnatis tunc obveniſſe; ſermonem deinde inſtitutus de juſtis vita functis ait, *a quibus eum ſecundum beatificam præſentiam ſuæ divinitatis numquam video receſſiſſe*, Ne autem quaſi inutilis, aut ſupervacaneus haberetur Chriſti deſcenſus, vigilantiſſime adjecit, liberatum tunc a doloribus primum hominum Patrem Adam, & ceteros, qui ſecum erant, atque eadem frui poterant miſericordia. Non ſolum itaque diſcernit purgantes animas ab æternum damnatis, verum etiam eas ab illis diſſociat, quibus nondum inveniſſe dicit, quid conferre poſſet Redemptor deſcendens. Conſtanter quippe negat Abraham, Iſaac, & Jacob in iis fuiſſe doloribus, a quibus tunc a Chriſto abſolutum confitetur Adam cum pluribus. Hinc veritas emicat participationis fruitioniſque Dei nudis juſtorum hominum Spiritibus jamdiu conceſſæ, atque idcirco Paradiſi effectus incepiſſe videtur in exceſſu juſti Abel. Dicens vero S. Pater, Adam, & plures cum eo a doloribus inferni liberatos, veritatem, antiquitatemqne Purgatorii aſſerit, ſaltem a morte ipſius Adæ, atque ita perſpicuum effectum decenſui Chriſti aſſignat, & ſuæ miſericordiæ reſpondentem.

29. Mirum itaque in modum hac S. Auguſtini doctrina duo catholica dogmata juvantur, quibus cum Eccleſia Purgatorium recipimus pro non ſatis in vita purgatis animabus, atque fideliter confitemur promptam perfecte juſtorum beatitatem. Nihil incommodum, nihil novum, nihil ambiguum huic conſtanti, & immaculatæ doctrinæ admiſcemus, ſed immo ipſam conſonis communimus omnium Eccleſiæ Doctorum teſtimoniis. Etenim quotquot ergo uſque nunc examinavi, S. Augustino concordes inveni ut ſuo tempore demonſtrabo. Nonnullos tamen huic præcinentes ſententiæ in hoc libro oſtendo; Sanctos ſcilicet

cet Cyprianum, Chrisostomum, Ambrosium, Hilarium, magna profecto nomina.

30. Quisquis igitur adeo definitas putat quæstiones circa statum animarum sanctorum Patriarcharum, ponentes eos, vel in doloribus, vel in quiete sed absque visione Dei, ut alteram de fide esse præsumat, fundamenta primum prodat oportet, quibus contrariam opinionem erroris evincat, nam utraque de fide esse non potest, quum contrariæ ad invicem sint. Qui vero ex hac met discordia percipiet, rem hanc in utramque, partem impune versari posse, mihi pusillo homini ne succenseat, si neutri aquiesco; Tertia nimirum, & illustri detecta via in scriptis Patrum, firmiorumque doctorum, per quam catholicæ istæ veritates amplioribus vallentur argumentis; atque composito in tanta re nostratum dissidio, unum scribere omnes imposterum, & prædicare discamus, sicuti unam semper circa has veritates fidem servavimus, & professi sumus.

31. In hoc autem opere producendo, ne putent lectores ullo me laudis sive honorum stimulo ductum: sed vere excitatum credant a viro clarissimo, & de Republica litteraria optime merito, nunc quondam Abate Celso Migliavacca, qui, postquam hunc librum attente meditatus est, sequentia ad me dedit Mediolano die 13. Maij 1752. „ Se si trattasse di meri punti problematici di niuna conseguenza, non la consiglierei di „ opporsi alla comune credenza, e lasciarei, che *unusquisque* „ *abundet in sensu suo* per la quiete. Ma si tratta di render palese al pubblico una verità, che ci somministra nuove armi „ contro gli Eretici, e che non potrà impugnarsi con buone ragioni. Come che quanto ella espone in quest'Opera è certamente cavato con tutta sincerità dalle opere indubitate del „ Santo; non può cadere censura sopra le sentenze ch'ella accenna come insegnato da esso: senza ferir quello di cui asciuò Papa Celestino che *numquam ipsum sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut* „ *inter magistros optimos, etiam a meis decessoribus haberetur*.

32. Utinam doctissimus Vir adhuc viveret, & consilium suum tandem me perfecisse, sin minus legere, saltem ab aliis excipere posset. Nam ad exercendam suæ virtutis firmitatem, non secus ac celebris Pater Lemos oculorum luce in ultima senecta

necta privatus est, & nuper ad suorum laborum, atque miræ patientiæ præmium a misericordiæ Domino vocatus. Bene tamen usus sum hac ipsi dum vixit, invisa prolatione ab humanis producta casibus, qui opera hujusmodi, veluti individui socii comitantur; bene inquam hoc incommodo usus sum, ut scriptarum rerum nitori diutius incumberem, & liber iste sin minus juxta Horatii monitum nonum præmeretur in annum post memoratam tanti viri adprobationem, saltem novies recognosceretur a me, & nonnullis argumentis, quæ postea didici amplificaretur. Parem curam circa Vindicias Augustinianas adhibui, S. Augustini admonitionis memor dicentis, *sicuti amici adulantes pervertunt, ita inimici litigantes plerumque corrigunt*. Recta scilicet quorumdam censura fuit circa obscurum stylum illius libri; in qua libenter suscipienda, & quantum valui æstimanda, sicuti censoribus meis morem alacriter gessi, idem præstitissem etiam in sententiis, quas aversis auribus exceperunt, si veritatem penes ipsos stare invenissem, non penes me. Multa nihilominus in hisce libris meis culpanda occurrent, præsertim circa verborum delectum. Ejusmodi errorum veniam a lectoribus deprecor, rogans præterea ut considerare dignentur, tantarum rerum altitudini non semper respondere verba elegantiora, quorum studium facile obsolescit in homine scripta Patrum assidue versante, a quibus sana quidem doctrina, raro autem locutionis ornatus ediscitur.

33. Non eadem de isto opere, quæ laudatus Abbas *Migliavacca*, senserunt alii, qui ipsum legere humanissime voluere. Sed omnes ad instar invicti propugnaculi contrariam communem obiicere sententiam, quamvis videre potuerint, difficultatem hanc haud a me dissimulatam, immo etiam pro viribus amolitam. Ideo de hac iterum differere nunc coactus sum. Metuo enim, ne aut satis, aut quantum par est præclare in hoc opere me explicuerim eadem objectione a legentibus repetita. Ad catechismi Romani auctoritatem alii confugerunt: quibus cur nondum assentiar ex dictis patet.

34. Nec ii defuere qui etiam ex Breviarii Romani sententiis me a proposito avertere niterentur. Nempe dicebant, aliquid contra opinionem meam legi in Hymno *Aurora Cœlum purpurat*: pro tempore Paschali scilicet.

Rex

Rex ille dum fortiſſimus
De mortis inferno ſpecu
Patrum Senatum liberum
Educit ad vitæ jubar.

At ab iſta difficultate facile expedior, dum primævam, & antiquam hujus hymni lectionem in medium profero, quam unicuique perviam reddidit doctiſſimus Prior Caſſinenſis Don Conſtantinus Rotigni in ſua perutili etiam Hymnorum paraphraſi, Patavij edita an. 1652. Antiqua itaque lectio erat ut ſequitur.

Dum Rex ille fortiſſimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara,
Solvit a pœna Miſeros

Hic porro non invenient unde ſibi blandlantur, qui propugnant antiquos Sanctos nulli culpæ obnoxios in vera quiete ſinum Abrahæ incoluiſse. Miſeri namque, & abſque ulla ambiguitate a pœna ſolvendi dicerentur accolæ illius ſinus, ſi ea Eccleſiæ in hoc hymno fuiſſet mens, quam efferunt adverſantes. Verum ex hiſce verbis nullum imminet incommodum, non meæ (quod omnes exacte reminiſci deſidero) ſed S. Auguſtini ſententiæ. Nam S. Pater cum Eccleſia agnoſcens animas purgantes apud Inferos, miſeros habet, quorum pœnas ſolveret Chriſtus, quin ſanctiſſimis Patriarchis in hac lectione non nominatis, neque indicatis, miſeriam affingat, & abſolutionis neceſſitatem.

35. Quod ſi hymnis pugnare præſtaret, jam in Vindiciis Auguſtinianis cap. XVI. exhibui, quid Eccleſia in Feſto S. Joſeph canat, & quid in feſto Sanctorum Innocentium legat. Nunc repetere præſtat commune ipſam Eccleſiaſticum in Breviario officium ſanctis Machabæis præſcribere, tum etiam in decollatione Sancti Johannis Baptiſtæ, & in feſto Sancti Joachim, nec non Sanctorum Moyſis, Jeremiæ, Job, Zachariæ, & Samuelis, in quibuſdam diæceſibus, commune inquam præſcribere Officium cum Sanctis martyribus, & Confeſſoribus novi Teſtamenti. Immo eadem Eccleſia natalem celebrans ſeptem Fratrum, qui Romæ ſub Marco Aurelio Antonino paſſi ſunt, ſermonem ad verbum legit Sancti Auguſtini Epiſcopi, in quo ipſe ſeptem Fratrum Machabæorum palmas exornat. Hunc

quasi integrum exscripsi cap. XVIII. Unde manifestum fieret Ecclesiam haud diferre aliquot sæculis Machabæorum gloriam, quam absque mora conlatam explicat septem Fratribus novi Testamenti, iisdem utens sancti Patris argumentis, & auctoritatibus.

36. Quicumque tamen meus hic labor sit, integrum, & sincera humilitate, Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ judicio submitto, protestans recta me intentione tam multa exscripsisse a Sancto Patre Augustino, quia in Dei, & Sanctorum laudem, nec non ejusdem sanctæ Ecclesiæ utilitatem, ac Theologorum concordiam, cedere putavi. At si quæ scripsi a mente hac mea invenirentur aliena, ingenue ex nunc retracto; quippe ad obediendum, & ad discendum, quam ad docendum paratior sum. Si quis autem meliora suggerere posse putabit: admonitionis meminerit Sancti Justini Martyris, quam non mihi arrogo, sed Sancto Augustino docenti applicandam volo „ Si quis inquit sexcenta præclare dicat, unum autem quamlibet minimum vobis non placeat, aut minus accuratum sit, „ de plurimis præclare dictis parum laboratis, verbulum autem „ arripitis, illudque in piaculi, ac sceleris loco statuere conamini (dialog. cum Tryphone n. 115.)

37. Hac via, quam Sanctus Doctor improperat, tum Sanctus Augustinus, tum ipsemet Sanctus Justinus, & Sanctus Irenæus, in millenariorum censum adscripti sunt, quamvis multa contra hanc opinionem prædicaverint, a nostris fortasse neglecta, quia videbant eumdem sinum Abrahæ, atque parem Sanctis utriusque Testamenti tributum statum usque in diem extremi Judicii. Verum si ex doctrinarum contextu monstrare possemus, concordem cum S. Augustino sententiam Divis Justino insedisse, atque *Irenæo*: uno ictu tum millenarii regni nota ab ipsis exsuflatur, tum Hæreticorum audacia conteritur, & quod plus est, ad Ecclesiasticam fidem roborandam, magno lucro, eorumdem scripta vertuntur. Hoc diffuse præstiti in opere quod supra promisi. Si quid apud rectos promerui S. Augustinum ab hoc errore vindicando, non minus benemereri spero, eamdem maculam a duobus illustribus Martyribus, insignibusque Doctoribus abstergando.

38. Reliquum est ut profitear, nulli me diligentiæ pepercisse,

se, ut a pluribus doctis viris manuscriptum examinaretur etiam Romae; periculum scilicet facturus, si quae me eaedem etiam alios devincerent S. Augustini auctoritates, argumenta, scripturae textus; aut saltem per eos admonerer, si quid peccaverim in iis intelligendis, atque explicandis. Testis est Deus, testes itidem plures epistolae ad me datae, quod potissima difficultas ex scholarum contrario consensu ab omnibus desumpta sit. Haec porro difficultas etiam apud me maximi fuisset, si qui hunc consensum objiciebant, simul adjuvassent tarditatem meam, invenire nescientem consensum hunc in tanta discrepantia sententiarum: vel si alteram ex contrariis opinionibus ab Ecclesia probatam monstrassent. At donec, vel repetere pergant, antiquos sanctos doloribus obnoxios vixisse in sinu Abrahae, vel sine ullo doloris sensu, immo & in quiete fuisse contendant, quamvis interim a Dei visione, & participatione prohiberentur: haud imprudens consilium visum est mihi, si aures, & mentem etiam doctori maximo Augustino praeberem, dicenti: „ Beatus quantum existimo, neque ille dici potest, qui non „ habet, quod non amat... Nam & qui appetit quod adipisci „ non potest, eruciatur.... Nec miseria, & beatitudo in ho„ mine uno simul habitare consueverunt (de morib. Eccles. „ Catth. l. 1. cap. 3.) Et alibi „ frustrata quippe cupiditas, „ sive non perveniendo quo tendebat, sive ammittendo quo pervenerat, vertitur in dolorem (de Civ. Dei lib. 21. cap. 3.) Et alio loco “ & ipsa est vita beata gaudere ad te, de te, „ propter te, ipsa est, & non altera (Confes. lib. 10. cap. 22.) Et demum in sermone 294. (alias 14. de verb. Apost. n. 6.) examinans poenam exulantium a Patria, inquit “ quam (pa„ triam) si quis non desiderat, poena est de perversitate, si „ autem desiderat, poena est de fraudata caritate „. Ob quam fraudatam caritatem si recentiores Theologi nonnullam, vel minimam poenam agnoscere cogerentur, in justis antiquis, ne eos poena damnent de preversitate: audiant demum S. Augustinum urgentem “ sed si quod vis, parva sit poena, & ipsa „ parva magna est, si nulla culpa est. Hic defende justi„ tiam Dei, quare, vel parva poena infligitur innocenti, in „ quo nullum invenitur peccatum „.

39. Haec principia sunt, haec axiomate, quae in Patrum solida

lida Philoſophia inveniſſe puto; & quæ hominum quorumcumque ſive conſpiratione, ſive acumine infirmari minime poſſe videntur. Fortaſſe iſta melius quam me; applicare alii poterunt, atque explicare; quorum diligentiam inſpicere, & ſequi paratus ſum. Qui verò interim horum principum pondere victus, veritatem altius indagandam, & libero animo inquirendam noſcit, atque proponit: non me, ſed S. Auguſtinum de hac differentem, ſequatur; tum ipſius, tum antiquorum ſanctorum opem aſſidue implorans, quorum auxilio hæc inveni, ac deſcripſi, & quorum gloriæ primos iſtos in tanto negotio labores meos, multis ab hinc annis, devote ſacravi.

CEN-

CENSURA.

De Beatitudine veterum ſanctorum Patriarcharum ante Chriſti ad inferos deſcenſum Theologorum ſententiæ omni tempore variaverunt. Aliter eos poſt mortem affectos fuiſſe ſcripſerunt veteres quidam Patres, aliter S. Thomas, aliter Scholaſtici hodierni, orthodoxia ſemper illæſa permanente, ſiquidem nihil hactenus Eccleſiæ auctoritas hoc in negotio definivit. Præſens cl. Auctor Johannes Cadonici, eorum beatitudinem, quam ſcopum operis a ſe adumbrati conſtituit, ait beatifica Dei viſione fuiſſe colluſtratam; idque potiſſimum ex Sancti Auguſtini mente mature juxta ac modeſtiſſime deſumit. Profecto ſi ipſa beatitudinis natura, ſi conſoni Sacræ Scripturæ textus, & longiora quorumdam veterum Patrum ratiocinia, ſi expedita ejuſdem perpetuam Eccleſiæ œconomiam explicandi ratio, & præſertim notio beatitudinis, quam Apoſtolorum, & ſubſecutis Eccleſiæ ſæculis tum Judæi, tum Græci fideles de animabus Sanctorum Patriarcharum habuerunt, ſevere expendantur: videbunt forte Scholaſtici, quos & Petavius ſæpe coarguit, majus præſidium Cadonico ab iis obvenire, quam ſuæ ſententiæ, copulanti Patriarcharum beatitudinem cum graviſſima pœna damni.

Cenſeo itaque, ſalva ſuperiorum decernendi auctoritate, librum hunc Cadonici eſſe dignum, qui lucem publicam aſpiciat; tum ut ad argumenti, hujuſque nonniſi obiter excuſſi a Theologis, examen aliorum animi incitentur, tum ut Theologiæ ſtudioſis occaſio offeratur ſedulo pervolvendi Sanctorum Patrum, ac præſertim magni Auguſtini monumenta, & Chriſtianam conſulendi antiquitatem, quam vetuſti fidei aſſertores Tertullianus, Irenæus, Vincentius Lirinenſis &c. ceu ſentiendi normam irremiſſis ſemper obtutibus reſpici voluerunt; tum denique, ut quid diſcriminis interſit inter fidei dogmata, & inter quæſtiones utramvis in partem agi ſolitis, probe diſcernentes, norint magno cum moderamine, & diſcrete citra religionis offenſam in iiſdem verſari: quod graviſſimus auctor Ludovicus Antonius Muratorius Theologorum invidiæ nuper tantopere inculcavit.

Dabam Viennæ in Collegio Scolarum Piarum die 7. Novembris 1758.

Florianus Dehamus
Cler. Reg. e Scholis Piis &c.

Hi-

HISTORIA QUÆSTIONIS ET VOTUM.

FIdei dogma semper in Ecclesia obtinuit, Christi è corpore excedentis animam ad inferos descendisse, non quidem ut dolores ibidem sustineret, quod cum Calvino heterodoxi multi blasphemant, neque ut omnes universim etiam scelestorum, & incredulorum animas ex damnationis rogo in cœlorum gaudia vindicaret, quod cum Marcione veteres plures dixerunt, sed ut fidelium dumtaxat animas, quæ veræ Christi Ecclesiæ pia membra extiterunt, eliberaret, atque in beatificæ visionis patriam victor traduceret.

Firmissima hæc est catholicæ Ecclesiæ veritas, invictis semper argumentis contra alienigenas propugnata.

An autem omnium promiscue fidelium & justorum Patriarcharum animæ, tam illæ, quæ in perfecta cum Deo unione e vivis excesserunt, quam eæ, quæ maculas quaspiam habuerunt, in purgatorio eluendas, ex inferis Christo descendente ereptæ sint: an vero illæ dumtaxat, quarum amorem, atque amicitiam cum Deo quodammodo nutantem, & imperfectam longa captivitas apud inferos purgare debuit, incertum est, & apud Theologos maximopere controversum.

Qui primum tuentur, omnibus in universum Sanctorum Patriarcharum animabus negant lumen gloriæ, atque beatificam Dei visionem obtigisse ante Christi ad inferos descensum; qui vero posteriorum sententiam amplectuntur, pertendunt, justas & immaculatas quorumdam veteris testamenti Patriarcharum animas per fidem in Christum venturum Mediatorem, post mortem esse beatitudinis præmia illico & sine mora indeptas, non eas item, quas Limbus, aut purgatorii subterraneus locus longa spe, desideriis & expectatione præparandas attinebat. Atque ex hoc fundamento Theologorum sententiæ de conditione & statu animarum fidelium ante Christi ad inferos descensum tantopere variaverunt.

Quidam vetusti Sancti Patres, veluti Hilarius, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, & præcipue Aquilinus ille doctor Augustinus, justas & immaculatas Sanctorum illorum Patriarcharum animas ante Christi ad inferos descensum in beatitudinis gloria, & ineffabili visione Dei constituunt; propterea tamen nihil tollunt dogmati de Christo liberatore descendente ad inferos, inibique fidelium animas, piaculari carcere inter suspiria detentas, in cœlum educente. S.Thomas longe in diversum abit, ait quippe, omnes sine discrimine Sanctorum Patriarcharum animas subterraneum limbum inhabitasse, non sine dolore ob dilatam gloriam, atque in hoc tristi incolatu sine visione Dei, Christi Redemptoris descensum esse præstolatas. Alphonsus Tostatus eadem sorte beatas illas animas censet, nisi quod eas dolore eximat, & ideo Dei conspectu privet, quia Cœlum empyreum sine Christo duce, ac Redemptore ingredi non potuere; quasi vero beatifica Dei visio solis cœlorum sedibus esset illigata. Scholastici hodierni Theolo-

gi

gi vestigia Sancti Thomæ non usquequaque sectantur : paulo quippe eis videtur durior Sancti Thomæ sententia. Hinc dolore quidem animas illas in limbo olim existentes absolvunt; quin immo quietis, & consolationis participes faciunt; non tamen perfectæ felicitatis neque beatificæ visionis. Hæ sunt præcipuæ discrepantes hoc in negotio Theologorum sententiæ, compendio relatæ.

Et primam quidem Sancti Augustini opinionem quod spectat, non licet ambigere, quin Sanctus ille doctor revera sic senserit; si quidem illius scripta, veluti epistola 164. alias 99. ad Evodium : epistola 187. alias 57. ad Dardanum : de Genesi ad litteram lib. 12. cap. 33. : Sermone 301. alias de diversis 110. de SS. Machabæis &c. quibus illa sententia graviter & ubertim exponitur; pro genuino illius fœtu omni tempore sunt habita; illa autem, e quibus contrarium posse deprehendi Scholastici existimant, veluti Sermo alias 137. de Tempore, fœtum spurium olent, ideoque a peritissimis Criticis inter supposititia ablegantur.

Neque etiam velim quis existimet, hanc Augustini sententiam ab eo esse procusam invita traditione, & renuente fidelium sui temporis sensu. Præterea namque quod alii Patres supra allati Augustino adstipulentur; illud etiam accedit, quod elati supercilii censores Du Pinius, Dallæus, & recentissime sub nomine Phereponi Clericus, qui infrunita maledicentia Patrum nævos allatrarunt, hunc utique Augustini lapsum silentio præteriissent minime, si qua forte occasio patuisset, eamdem novitatis insimulandi.

Id verum est, plerosque veteres doctores quæstionem hanc ex consilio propositaque opera non attigisse, neque vacabat eis, in prærogativas beatitudinis veterum Sanctorum Patriarcharum multum inquirere, aut definire, fruiti ne sint divino conspectu ante Christi descensum ad inferos an non? Toti siquidem erant in tradendis celebrandisque novæ legis mysteriis atque institutis : unde factum est, ut priorem illam quæstionem vel omnino omitterent, vel non nisi a limine & fortuito salutarent. Sed numquid hæc ipsa tractandi ratio aperte innuit, Sanctos Ecclesiæ doctores, qui divinorum dogmatum genuinum sensum incredibili ardore atque constantia urgebant, quæstionem hanc de beatitudine veterum Patriarcharum inter adiaphoras posuisse, aut certo prolixas de ea disputationes in futura Scholasticorum otia distulisse?

Quod si animus est inquirere in causam, eccurnam Scholastici in eam sententiam, veluti communi suffragio suffultam, consenserint, veterum Patriarcharum animas divini conspectus non fuisse participes ante Christi descensum ad inferos; id mihi quidem videtur contigisse ex neglecta, aut saltem confusa propria significatione nominum *Sinus Abrahæ*; *Lacus in quo non erat aqua*; *Inferorum &c.* in quibus animas illas dormiisse, quievisse, Redemptorem anhelasse, divina eloquia testantur, quæ omnia nomina, originaria quadam inferni abominatione, tristem ideam eis ingerebant, & repræsentabant subterranea beatarum animarum repagula, in quibus beatas se dicerent, & nihilominus primitivæ transgressionis labem persentirent, atque exoptatam redemptionis desiderarent exoriri diem.

Jam

Jam vero Scholastici allii Theologi, dum una ex parte adverterent, veteres Ecclesiæ Patres tantis encomiis novam Christi legem, ejusdemque charismata attollere præ figuris veterum Patriarcharum; altera autem ex parte intenderent animum in sedes illas inferas animarum beatarum, suo concipiendi modo lugubres & imperfectas; quid aliud inferre poterant, quam, nihil quidem doloris, nihil molestiæ justis illis beatisque Patriarcharum animabus, in dulci spe adventus Christi positis, obtigisse: coronam tamen gloriæ & conspectum divinitatis esse iisdem adusque descensum Christi ad inferos subtractum, præsertim cum inter Theologos nulla adhucdum severa Thematis tractatio præcesserit, quæ eorum animos acuisset.

Non fecissent hoc utique Theologi illi, si in ipsa illa nomina *Paradisus*, *sinus Abrahæ*, *Lacus*, *Inferni* &c. curas studiumque convertissent; si contulissent sententias veterum, & præsertim notiones illarum vocum, quas Judæi & Græci, in quorum vernacula Sacri nostri codices primum exarati sunt, illis indiderint. Tum quippe deprehendissent, *sinum Abrahæ* aut *Paradisum* nullo pacto posse conciliari cum *lacu inaquoso*, & cum *inferis*; in *sinu Abrahæ*, in *Paradiso* felices agi promissionis dies; ibidem animas diffluere in deliciis domus Dei; requiem capere, ac felicitatis summam in amplexu Dei esse assecutas; *lacum* vero inaquosum, & *inferos* obscurum quid significare, & desideria refectionis.

Itaque nuper Johannes Cadonicus, postquam multam longamque operam in Divi Augustini lectione posuisset, expensa iterum iterumque Augustini mente; apertius tandem esse agendum existimavit, & Scholasticorum inveteratæ opinioni aliam opponere, pondere & auctoritate nullatenus inferiorem. Augustino igitur præcipue, ejusque argumentis fretus Cadonicus cordate asserit, beatitudinem Sanctorum veteris testamenti Patriarcharum, in Paradiso seu sinu Abrahæ quiescentium, etiam beatifica Dei visione fuisse decoratam ante descensum Christi ad inferos, quamquam aliæ in inferis existentes, tamquam in piaculari lacu Deum nondum viderint, sed opus habuerint a Christo descendente ergastulo eripi, & divini conspectus dono decorari. Ait præterea, gravissimam pœnam damni, quæ animabus visionem Dei eripit, non posse cum beatitudine amicis legibus uniri; justorum animas in sinu Abrahæ receptas & justificatas per fidem in Christum venturum Messiam, reatum originalis culpæ eluendum non habuisse, sed illico nexibus corporis absolutas in Paradisum esse ingressas. Animam Lazari in sinu Abrahæ quiescentis, non fuisse in doloribus; animas tamen in Purgatorio existentes fuisse a Christo descendente liberatas: Ecclesiæ sibi semper constantis institutum postulare, ut idem præmium fidei, meritisque seu in veteri, seu in novo testamento conferatur, atque ut præter Cœlum & infernum alter purgationis locus memoretur. Denique hanc suam sententiam adstruit maximam vim habere, ad hæreticorum impietates convellendas.

Erunt omnino nonnulli, qui hanc Cadonici sententiam virgula severe feriant, & criminentur audaciam illius, venerando Scholarum cœtui insultan-

tan-

tantem; illos vero commonitos velim, non sibi cum Cadonico; sed cum tantis Ecclesiæ luminibus, Augustino, Hilario &c. rem esse, adeoque multa modestia & reverentia esse opus etiam in materia hac adiaphora. Certo qui Cadonici argumenta attenderit, & sincerum ea proponendi modum, non hærentem in voculis, sed ex integro Sanctorum Patrum contextu lumina haurientem; qui expenderit, quam non inepte Scholasticorum objectationes dissolvat; agnoscet utique, duarum opinionum probabiliorem non esse semper a multitudine sectantium arcessendam. Neque mirum est, Scholasticorum sententiam etiam in Catechismo Romano proponi; volebat quippe Pontifex e duabus probabilibus sententiis eam deligere, quæ patronos eo tempore plures haberet, quin tamen unquam definitio accesserit, aut quæstio utramvis partem agitari solita altius elevaretur.

Quod si quidam causentur, hanc Cadonici sententiam esse novam, ac proinde semper suspicioni obnoxiam, his ego responsum velim, non esse hanc sententiam novam, nisi illi, qui hospes sit in remotioribus Ecclesiæ sæculis, aut quem plurima lateant Augustini aliorumque Patrum placita. Sed tribuamus & hoc illis, hanc esse revera novam. An nesciunt solliciti illi Aristarchi, multas adhucdum superesse Theologis quæstiones, quæ superiorum temporum studiis non sunt absolutæ. Numquid, ut alias plurimas prætercam, constans & communis fuit opinio, Christum legale Pascha cum discipulis suis celebrasse: & tamen nuper Calmet, & Lamy fortissimis rationibus innixi adstruxerunt, Christum Pascha pridie anticipasse, & sub ipsum legale Pascha fuisse immolatum, tamquam finem & complementum figurarum; nempe multitudo disputabilium non sinebat ea priscis simul evolvere, aut acutiori studio indagare!

Verumtamen age! paulo altius repetamus præsidium, quo beatitudinem veterum Sanctorum Patriarcharum, etiam ante Christi ad inferos descensum fuisse visione beatifica collustratam arguamus. Nullum mihi videtur fortius argumentum hoc adstruendi, quam communis notio beatitudinis, quam veteres tum Judæi, tum Græci de beatorum animabus habuerunt. Cum enim sinus Abrahæ phrasis communis hæbreorum Christi tempore fuerit, debebit merito illius significatio non ex mente modernorum scriptorum colligi, sed ex mente eorum, qui ea voce tum communiter utebantur; neque Christus ipse, qui hac voce familiariter usus fuisse ex Evangelio intelligitur, censetur voluisse novam aliquam ei notionem indere, cum suum usitato totius Gentis sermoni accommodaverit; illa autem notio illis certissime involvebat visionem beatificam.

Libet unum alterumve exemplum depromere, ut sexcenta prætercam, quibus pateat mens veterum de notione *Sinus Abrahæ*, in quo justæ animæ quieverunt. Et primo quidem Judæi, justas sanctasque animas dixerunt promiscue inter *Angelorum consortia, in Paradiso* seu *sinu Abrahæ*, aut *sub throno gloriæ* collocari. Testis hujus est antiquissimus liber Judæorum Thalmud dictus, paulo post Apostolorum tempora exaratus. Et quidem in Thalmude Babilonio habetur, quod anima Judæ, cognomento sancti sedeat in *sinu Abrahæ*. In Thalmude vero Jerosolymitano eadem sors, quam anima Rab-

 bi

bi Judæ in altera vita exceperit, sic explicatur: quod sit in *consortio Angelorum*. Itaque ex hac varia ejusdem rei explicatione discimus sinum Abrahæ habuisse Angelorum consortia.

Sed & animas Sanctorum Patriarcharum ad *divinum conspectum* fuisse evocatas, in alio Thalmudis loco reperitur: non solum anima Moysis, sed animæ etiam aliorum justorum repositæ sunt *sub throno gloriæ*. Et in alio loco dicitur de anima Moysis, quod in *Cœlis Deo ministret*. Utique Judæi Christi persecutores, non admiserint, Moysis animam per Christi mortem fuisse ad Dei conspectum admissam. Igitur constanti sententia eam jam prius Deo fuisse perfruitam existimarunt. De horto voluptatis sede beatarum animarum *summam felicitatis* perpetuo prædicant Judæi.

Quis amabo non aperte ex his colligit, longe abfuisse Judæos veteres, ut animas suorum Patriarcharum dicerent, gravissima pœna damni post mortem affectas fuisse, qui id utique sciebant, præcipuam beatitudinis prærogativam consistere in visione Dei, & cum dictum fuerit petentibus dissolvi, & esse cum Deo & *Non videbit me homo & vivet* Exod. 33. v. 20., significat hæc oppositio visionis Dei & vitæ, eos demum morte solutos hoc præmio posituros.

Sed & ad Græcos paulisper deflectamus, ut eluceat, quidnam illi communi notione per *Sinum Abrahæ* intellexerint, aut quam illi Sanctis his Patriarchis beatitudinem attribuerint.

Et primo quidem S. Dionysius Areopagita, qui Apostolorum temporibus vixit in libro de Ecclesiastica Hierarchia Cap. 7. inducit Sacrorum Antistitem pro defunctis in sacrificio Deum exorantem, ut eisdem peccata per humanam fragilitatem commissa dimittat, eosque constituat in luce & regione vivorum, & collocet *in sinu Abrahæ, Isaac, & Jacob, in loco, a quo dolor & tristitia, gemitusque aufugiunt*.

Hoc loco Dionysius voce *sinus Abrahæ* uti censeri debet ea in significatione, quæ communiter apud populares suos sumebatur. Dicit autem sacrificiis peccata dimitti, & expurgatas animas in sinum Abrahæ deportari. Jam vero quoniam Fide Catholica certum est, purgantes animas sacrificiorum succursu in Cœlorum gaudia transferri, non video, quomodo Sinus Abrahæ locum significare potuerit visione beatifica carentem; præsertim cum & in Christiana Ecclesia hæc vox adhucdum usurpetur, in qua utique nemo animam Deo commendare intendit, ut beatificæ vision s præmio destituatur.

Rursum S. Ignatius Martyr Apostolorum coætaneus, beatitudinem Sanctorum utriusque Testamenti exæquat his verbis in epistola ad Philadelphienses *Unus vero est Paracletus, qui operatus est in Moyse, Prophetis & Apostolis. Omnes igitur Sancti in Christo salvati sunt, sperantes in eum, illumque expectantes, & salutem per ipsum adepti sunt, cum essent Sancti amore, ac admiratione digni*.

S. Clemens Apostolorum discipulus in Epistola ad Corinthios, virtutem Danielis, Azariæ, & Misaelis extollens, ait, eos *Gloriæ & honoris hæredes esse factos, elevatos & sublimes, beatosque*.

S. Jo-

S. Johannes Chriſoſtomus Sanctis Patriarchis *honorem & gloriam* ubique attribuit. Quis has beatitudinis dotes cum triſti inferorum loco, & beatitudinis privatione audeat conſociare? Et quamvis Dionyſii, Ignatii, & Clementis opera a quibuſdam Criticis pro ſuppoſititiis habeantur, antiquiſſima tamen revera ſunt, & notionem beatitudinis apud primos fideles nobis explicant.

Quæ interim attuliſſe ſatis mihi eſſe videtur, ut Cadonici ſententia, in utramque partem jam olim agitata, etiam hodie, dum ſufficienti fundamento nixa ſuſtinetur, publicoque communicari poſſe cenſeatur; ut ut plura adhucdum ſint, non poſtremæ notæ argumenta, quæ in illius favorem adhucdum liceat allegare.

Dedi Viennæ 7. Novembris 1758.

ſubſcripta.

Florianus Dalham
Cler. Reg. è Scholis Piis, &c.

INDEX

CAPITULORUM.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT NONUM.

CAPUT DECIMUM.

CAPUT UNDECIMUM.

CAPUT DUODECIMUM.

C A-

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

C A-

CAPUT DECIMUMNONUM.

CAPUT VIGESIMUM.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

DE



DE STATU BEATITATIS ANIMARUM SANCTORUM PATRIARCHARUM, PROPHETARUM

Reliquorumque juſtorum antiqui Teſtamenti, ante Chriſti deſcenſum in inferos.

CAPUT PRIMUM.

OPERIS ARGUMENTUM.

1 COgitanti mihi, & ſæpe attento animo revolventi, quid in cauſa fuerit, cur aliquibus, (ut plerique arbitrantur) ex antiquis Eccleſiæ catholicæ Patribus, eidemque Pontifici Maximo Johanni XXII., haud abſona videretur ſententia, qua juſtorum animabus a corpore ſolutis beatitas, in videndo intuitive Deo ſicuti eſt conſiſtens, ad diem uſque differebatur extremi judicii: hoc unum veriſimilius occurrit, quia juſtos antiqui Teſtamenti in eodem fuiſſe ſtatu, diviſis votis, nonnulli putarent. Neque enim eredere fas eſt, ſolida illa ingenia, atque præſtantiſſima, hujuſcemodi errori ultro animum adjunxiſſe, ni aliquibus rationum momentis adducti putaviſſent, præclara promiſſa Evangelicæ doctrinæ ita commode interpretari poſſe, ad hanc tuendam ſententiam, ut ſine detrimento firmiſſimæ Chriſtianorum fidei, & ſpei, de tempore tantum, non de veritate beatitudinis conſequendæ quæſtio haberetur.

2. Hæc opinio, ad juſtos quod attinet novi Teſtamenti non ſolum numero plures, & merito doctrinaque ſpectabiles adverſarios in Eccleſia habuit; verum ipſemet Johannes XXII. eam retractavit; ac demum Florentinum Concilium, Lugdunenſis præſcripta proſpiciens, eaque ampliori explicatione declarans, veluti deteſtabilem, & Chri-

ſtiana indignam religione damnavit; ut videre erit diligenti lectori apud clariſſimum Ludovicum Antonium Muratorium, in ejus libro *De Paradiſo Regnique cœleſtis gloria, non expectata corporum reſurrectione, juſtis a Deo conlata, adverſus Thomæ Burneti Britanni Librum de ſtatu mortuorum*. Iſtum Muratorii magnum perutilemque laborem, notum cuique deſidero, priuſquam ad haſce meas, quæcumque ſint, meditationes legendas accedat; quibus conſcribendis, ea, quæ apud illum inveni, cauſam dediſſe candide profiteor. Negotium enim permagnum illius proſcriptæ ſententiæ fautoribus faceſſebat gloria martyribus debita ſtatim a morte, juxta Salvatoris ſponſionem, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt* (Matth. 10. 32.). Item (Marci 8. 35.): *Qui autem perdiderit animam ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam*. Rurſus quæ de Martyribus in Apocalypſi leguntur, pleraque alia divinas Scripturas callenti minime repetenda. Hinc factum eſt, ut in duas quaſi ſectas ſcinderentur talia opinantes, quarum tutior contendebat, Martyribus ſaltem beatitatem haud poſſe differri, ſalva ſanctorum librorum auctoritate. Cur autem hi, qui ſanguine fidei veritatem aſſeruiſſent, vocarentur ad præmium, non item illi, qui juſte & pie vivendo, Salvatoris veſtigia erant ſecuti; manſioneſque his paratæ in cœlis, vacuæ uſque ad diem judicii eſſe deberent: nec firmis probabant, nec probare poterant argumentis. Non enim eos dumtaxat fore beatos Chriſtus promiſit, qui propter juſtitiam paterentur perſecutionem, ſed mites etiam & mundos corde, atque omnes, qui jugum ſanctiſſimæ legis patienter tulerint; ad imitationem capitis ſeipſos, ut poterant, propriis paſſionibus crucifigentes. Quocirca, Græcis, & Latinis plaudentibus Patribus in Florentino Concilio hæc quæſtio ſublata eſt, & univerſæ Eccleſiæ propoſitum: *Illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem ſolutæ corporibus ſunt purgatæ: in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum Unum & Trinum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius*.

3. Quæ eccleſiaſtica definitio, ſicuti Teſtamenti novi tempora non excedere videtur: ita de ſtatu animarum SS. Patriarcharum & Prophetarum, reliquorumque juſtorum ante Chriſti adventum, libera adhuc eſt opinandi facultas. Quæ eo uſque devenit, ut nonnulli jam ſcripſerint, juſtas illas ſanctaſque animas, in doloribus fuiſſe donec Salvator ad inferos deſcendit. Plures vero eas in privatione viſionis Dei ſine dolore tot ſæculis detinent, hac una ratione nixi, quia mercedis conſequendæ nondum, ut ajunt, venerat tempus.

4. Ego vero quamvis pusillus, ſed in eo reſpiciens, qui magnos facit, & humiles e terra ſublevit Jeſu Chriſto, demonſtrare conabor, recitatum Eccleſiæ decretum animabus etiam antiqui Teſtamenti commode poſſe applicari, ita ut juſtis illius temporis viſio Dei

ſtatim

ſtatim a morte pateret. Firmiter vero credo, animas fidelium, quæ id merebantur, in Purgatorium deſcendiſſe propriis pœnis expiandas; a quo pœnarum lacu complures etiam tunc liberatas, & in ſinum Abrahæ elatas fuiſſe, profiteor, ex notiſſimo textu lib. II. cap. 12. v. 43. Machabæorum; ubi fidelium viventium pro fidelibus defunctis preces & ſacrificia commendantur. Reliquas, vero, quas in illis doloribus Chriſtus invenit ad inferos deſcendens: omnes ad gloriam tunc fuiſſe evocatas, divina auctoritate, conſtantiq. traditione, & firma ratione, monſtrabo. Locus autem, ubi poſitus ſinus Abrahæ fuerit, ideſt ubi ſancti quieſcebant, quæſtio nominis mihi videtur, dum conſentiamus, juſtas illas animas, ubicumque fuerint, Dei revelata præſentia fuiſſe gaviſas. Attamen Patrum auctoritate & Prophetarum, non immerito ſentiri poſſe puto, locum illum eſſe ipſummet Paradiſum, quo Chriſtus poſt paſſionem aſsumptus eſt.

5. Hunc mihi non ſpernendi forte laboris fructum propono, ut magis dilucide, non ſolum contra hæreticos atque ſchiſmaticos eam impugnantes, Sanctorum beatitudo confirmetur ante extremi judicii diem; ſed ut Purgatorii antiquiſſima veritas novis argumentis, atque multiplici divina auctoritate, fulciatur; unde Eccleſiaſticæ Traditionis firmitas majori luce illis affulgeat, qui hanc non ſatis certis munitam eſſe divinarum Scripturarum teſtimoniis, inconſulto vociferantur. Dominum igitur Jeſum Chriſtum, verum Dei & hominum a conſtitutione mundi mediatorem, humiliter obſecro, ut mihi ea adſit miſericordia, qua ceteris fidelibus de occultis & mirabilibus ſuis loquentibus adeſſe dignatus eſt; ne id obſit mihi, quod aliis ut proſit conſcribo: atque ut mentem actioneſque benigne dirigat meas, & alienas; ne ipſis ego nonniſi vera proloquar; eaque ipſi, ſtudio partium depoſito, benevole recolant; nec ſcribenti ad audaciam imputetur, quod ad Dei laudem & gloriam, Eccleſiæque catholicæ commodum, ſub ejuſdem Catholicæ Matris cenſura, ſuſcipio.

CAPUT SECUNDUM.

Proponuntur opiniones Theologorum circa ſtatum animarum in ſinu Abrahæ. Quid de eis ſenſerit D. Auguſtinus; & quomodo ſententiæ ſuæ non obſit interpretatio D. Thomæ.

1. STatum animarum SS. Patriarcharum, Prophetarum, ceterorumque Juſtorum, ante Chriſti manifeſtatum in carne adventum, ſcrutantes Theologi nunc magis in ſcholis recepti, diverſa docuere, quæ hic breviter tangere operæ pretium eſt. Divo Thomæ, qui jure optimo ſanctitate & doctrina ceteris antecellit, placet, Sanctorum Patrum animas in Abrahæ ſinum fuiſſe receptas, ibique in dolore vixiſſe a dilatione gloriæ, ſcilicet viſionis Dei producto, magnum interim gaudium habentes ex ſpe ejuſdem gloriæ conſequendæ.

dæ. (P. 3. q. 52. ar. 5.). Recentiores Theologi hanc veluti nimis rigidam respuentes sententiam, docent: Sanctorum animas in ignoto loco, qui Abrahæ sinus dicebatur, quievisse, in carentia tamen visionis Dei, adventum Redemptoris expectantes. Omnes itaque consentiunt, animas illas destitutas fuisse visione Dei, in qua beatitudo consistit. Sed hanc privationem; quæ a primis, justa ratione, causa doloris habetur, postremi quieti componunt. Hinc fit, ut sententia dolores tribuens animabus illis, non conveniat cum Evangelii verbis, aliorumque divinæ Scripturæ locorum, ubi eas *consolari*, *& esse in pace*, *& requiescere* apertissime docetur (ita enim dolores una simul experiri non poterant): rectæ vero rationi consona sit. Anima enim fine suo destituta, nimirum Dei visione orbata, necessario misera est, & proinde de statu, rectis desideriis suis opposito, merito dolet. Recentiores vero dicentes eas in statu quietis, concordant quidem cum Evangelii & Scripturarum verbis; rationi tamen rectæ adversari videntur, quum animas, quas in quiete ponunt, Deum tamen non vidisse contendunt. Nam quomodo Dei Amantes animæ, & revelatam præsentiam suam necessario exoptantes, in desiderio tot seculis dilato, quietæ viverent? Aut quomodo huic percipiendæ quieti, idea non oberit desiderii, quod afflictio consequitur, si frustratum sit: „ „ Ubi enim potest esse CUPIDITAS, profecto etiam DOLOR potest. Frustrata quippe cupiditas, sive non perveniendo quo tendebat, sive amittendo quo pervenerat, vertitur in DOLOREM (D. Aug. 7. Tom. de Civit. Dei. l. 21. c. 3.). Quarum quies, si carentiam non significat molestiæ atque doloris; ab eaque omnis indigentia & inopia non exulat: quies non est. E contrario, si probe percipimus, quod nomen ipsum quietis & communis sensus insinuat: in tumentiores incidimus fluctus. Videtur enim, animas illas, etiam antequam Deo conjungerentur, tali beatitudine frui potuisse, per quam omnis ab eis molestia atque inopia exularet. Ille etenim beatus est, qui miser non est; quod quamvis per se pateat, suo tamen loco latius ostendemus. Separatis autem animabus bene esse, donec fruitione Dei veri & unici finis sui carent, sensui communi aperte adversatur, quo Deum noscimus, & exoptamus. Rursus Deo ipsi injurium videtur. Hoc quippe posito, Deus summum & unicum animæ bonum non esset; bene enim & quiete vivere posset absque eo; quod pariter Sanctus Augustinus improperat dicens: „ UBI ENIM BENE ERIT SINE ILLO? (2. par. 3. Tom. Tract. 51. in Joh. n. 11.)

2. Ex his prudens lector tria colliget. Primo, supervacaneum non esse huic quæstioni incumbere, in qua adeo dissentiunt Theologi; quorum diversæ opiniones, quandocumque ad trutinam revocantur, non satis tutis nixæ fundamentis subito apparent. Secundo nihil ab Ecclesia usque nunc pronunciatum, quo omnes unum sentire debeant, atque docere. Quamvis enim Apostolica auctoritas firmiter credendum proponat, Christum ad inferos descendisse, ut doloribus affe-

affectos solveret: quos tamen solverit, incertum Theologis est. Quidam enim volunt, adventum Christi eas dumtaxat juvisse animas, quæ in sinu Abrahæ erant; quibus lumen gloriæ, tunc primum infusum esse propugnant: a Purgatorii vero vinculis vel nullas tunc fuisse absolutas, vel eas tantum, quæ satis essent purgatæ. Tertio denique lectores intelligent, optabile esse, ut inter hujus absconditæ quæstionis latebras tale lumen affulgeat, ut iis salvis, quæ recte credimus, Christi descendentis ad inferos aperiatur effectus. Qui porro conspicuus, & Deo redemptore omnino dignus est, si quem supra proposui, posset ostendi. Nam justa eum descendisse ratione apparet, si ad liberandas animas in Purgatorio captivas descenderit, veris, acerbissimisque doloribus afflictas, quia visione Dei dubio procul orbatas. Sed quoniam hæc veritas a difficultate pendet ostendendi, Christum, non descendisse in sinum Abrahæ, quia animæ ibi commorantes in doloribus non erant, adversus Theologos, qui ipsis dolores tribuunt; rursus quia Dei beatifica præsentia jam fruebantur, contra tum istos, tum reliquos, qui eas constituunt in quadam mihi omnino imperceppta quiete licet absque visione Dei: ad hanc eruendam, si fieri potest, veritatem, Deo juvante, descendamus.

3. Ne quod aggredior, aversis subito auribus quispiam excipiat; neve citra examen dicenda aspernetur, dum, mea putaret, qui tantis rebus merito impar haberi possum: præmonendum duco, Divum Augustinum (cujus auctoritatem in Ecclesia Dei nemo sapiens ignorat), non solum molestiam & pœnam abnegare animarum Sanctorum Patrum in Abrahæ sinu collectarum, sed immo docere ipsas feliciter vixisse cum Deo, ubicumque vixerint. Quod sane adeo enervat nunc magis receptas, communioresque sententias; ut nisi maximis, quæ ille in hanc rem affert, divinæ Scripturæ documentis, suo loco videndis, obviam ire facile duxerint ceteri: hoc uno argumento hæc sententia quaslibet contrarias vincat: auctoritati enim Doctoris Sanctissimi momenta suffragantur, quæ parvi pendere prudenter non licet. Utque id continuo in aperto sit Doctorem maximum, & Latinorum præstantissimum adire non pigeat, in ea, quam Episcopus Evodio pariter Episcopo inscribit epistola (2. Tom. 164., alias 99. n. 8.). In id præcipue incumbit, ut ostendat, Christum Jesum ad Sanctos Patres non descendisse, quum illum ad inferos descendisse catholica docet Ecclesia, & ait. „ UNDE ILLIS JUSTIS, QUI IN SINU „ ABRAHÆ ERANT CUM ILLE IN INFERNA DESCENDERET, NONDUM „ QUID CONTULISSET INVENI, A QUIBUS EUM SECUNDUM BEATIFICAM „ PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS NUNQUAM VIDEO RECESSISSE. Sicuti „ etiam eodem ipso die, quo mortuus est, promisit Latroni quod cum „ illo in Paradiso fuisset futurus, quando ad solvendos inferni dolores „ fuerat descensurus. Profecto igitur IN PARADISO, atque SINU ABRAHÆ ETIAM ANTE JAM ERAT BEATIFICANTE SAPIENTIA, & apud „ inferos judicante potentia. „

4. Hu-

4. Hujus argumenti vim agnovit Divus Thomas (p.3. q.52. ar.5.) ubi relatis (non omnibus tamen) Sancti Augustini verbis, respondet ad primum. „ Dicendum est, quod Augustinus ibi loquitur contra quosdam, qui æstimabant, antiquos justos ante adventum Christi in inferno doloribus pœnarum fuisse subjectos. Unde parum ante verba inducta præmittit, dicens. Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam sanctis fuisse concessum, ut Dominus, cum in infernum venisset, a doloribus solverentur: sed quonam modo intelligatur Abraham, in cujus sinu etiam pauper ille susceptus est, in illis fuisse doloribus, ego quidem non video. Et ideo cum postea subdit, se nondum invenisse quid descensus Christi ad inferos antiquis justis contulerit, intelligendum est, quantum ad absolutionem a doloribus pœnarum: contulit tamen eis quantum ad adeptionem gloriæ, & per consequens solvit eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ. Ex cujus tamen spe magnum gaudium habebant, secundum illud Johan. 8., Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum; & ideo subdit, a quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis numquam video recessisse, in quantum scilicet ante adventum Christi erant beati in spe, licet nondum essent perfecte beati in re. „

5. Liceat pauperi mihi & infirmo, tantorum Doctorum verbis mea etiam attexere; nec audaciæ inscribatur, si quum de duobus Ecclesiæ catholicæ excelsis luminibus agitur, inter se non eadem sentientibus, antiquiori potius assentior. Quem idem D. Thomas in omnibus fere sententiis suis ita sequitur, ut vix inveniri quæstio possit, quam ipse vel S. Augustini auctoritate non fulciat, vel non juxta ipsius mentem resolvat. In ista etiam, aperte constat, ideo D. Thomam diversa sensisse, quia Augustini mentem intelligentiæ suæ non obesse putavit. Quare, si demonstrari possit, Divum Augustinum eas animas serio docuisse beatas: prudenter æstimandum erit, vel D. Thomam eas non vidisse doctrinas, vel visas non perpendisse. Ego itaque opinor, recitata Divi Augustini verba, non ad convellendam dumtaxat eorum opinionem valere, qui animabus illis dolores pœnarum tribuebant: sed præcipue inservire ad earumdem statum indicandum, tanto magis a doloribus alienum, quanto eas Deo conjunctiores ostendunt, ejus nimirum beatifica præsentia gaudentes. Nec Divus Thomas textui Sancti Augustini respondens, satis excludit beatificæ præsentiæ effectum, dicendo quod iis contulerit Dominus quantum ad adeptionem gloriæ. Cogitur enim fateri, Christum solvisse sanctas illas animas a dolore, quem patiebantur dilationis gloriæ; atque ita contra mentem S. Augustini eas in aliquibus doloribus (& ut infra probabimus nonnisi maximis) agnoscit. Etenim Augustinus dicens eas ab omni molestia & dolore immunes non spe beatas, & idcirco ex dilatione gloriæ afflictas habet, sed re beatas agnoscit ex beatifica Dei præsentia.

6. Quid

6. Quid enim desiderabat Apostolus (2. ad Cor. 5.) quum ajebat: *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum?* Nonne ut anima corpore soluta, non per fidem ambulet, sed specie compleatur? Hunc Apostoli locum ipsemet D. Thomas in Commentariis (Lect. 2.) explicans, docet, revelatam Dei præsentiam ab Apostolo desiderari, eamque promittit ceteris etiam justis, qui ea digni inveniantur, statim post mortem. „ Confutatur, ait, per hæc verba error dicentium animas „ Sanctorum decedentium, non statim post mortem deduci ad visionem Dei: nam frustra Sancti auderent & desiderarent peregrinari a corpore, si separati a corpore non essent præsentes ad „ Deum; & ideo dicendum est, quod sancti statim a morte vident „ Deum per essentiam, & sunt in cœlesti mansione.„ Si ergo præsens esse ad Dominum, demonstrat, sanctos corpore exutos videre Deum facie ad faciem: quis status intelligi potest ab Augustino tributus Sanctorum Patrum justis spiritibus, quum eis beatificam Divinitatis præsentiam impertit, nisi beata contemplatio Trinitatis Sanctissimæ, cujus aspectu beati efficiuntur? Beatifica quippe præsentia aliorum respicit felicitatem. Deus enim in seipso summe, vereque, & necessario beatus, non se ipsum sua præsentia beatificat, sed eos beatificat, quos sua præsentia dignatur. Sicuti quum Christus Dominus dixit de Lazaro resuscitando *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei*: „ Talis glorificatio ipsius, „ inquit Augustinus, non ipsum auxit, sed nobis profuit. “ (2. p. 3. Tom. Tract. 49. in Joh. n. 6.). Et ut nemini dubium instruat lectio illa varia, quæ in operibus Divi Thomæ margini recitatæ quæstionis inscribitur, loco nimirum beatificæ præsentiæ *beneficam præsentiam* ab aliquibus legi: duo consideranda sunt. Scilicet, Divum Thomam *beatificam* legere, & scripsisse; tum etiam aliter legi non posse ex contextu. Subdit enim S. Augustinus: „ Profecto igitur in Paradiso, atque in sinu Abrahæ etiam ante jam erat beatificante sapientia, & apud inferos judicante potentia. “ Quibus verbis diversos innuit effectus, ab eadem divina præsentia productos pro diversis meritis animarum. Judicans quippe potentia præsentiam suam comitabatur apud inferos: in Paradiso vero atque sinu Abrahæ, beatificans sapientia; per quam Angeli in cœlis apud Patrem, æque ac animæ justæ in sinu Abrahæ, ubicumque situs hic fuerit locus, beatitudine donabantur.

7. Nec obstant verba a Divo Thoma ex Augustino relata (5. Tom. Serm. 2. de resurr. alias 137. de Tempore)„ quod Christus, quando ad inferos descendit, portam inferni & vectes confregit, & omnes justos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit. “ Credo equidem, hunc textum prohibuisse Divum Thomam a diligentiore examine Epistolæ ad Evodium, immo idoneum ei visum fuisse ad firmandam sententiam suam de reatu originalis peccati permanente in illis animabus, quamvis justitia ornatæ corpus, eo etiam dante de-

po-

posuerint, de qua re sermo erit in sequentibus. Advertere tamen liceat, nunquam me in tot tantisque Operibus a S. Augustino circa originale peccatum contra Pelagianos elaboratis, invenisse doctrinam reatus peccati originalis, post mortem permanentis in animabus, quibus, dum in corpore viverent, remissio ejusdem peccati facta sit; quamobrem memoratus sermo hanc ab Augustino alienam sententiam continens eidem Sancto Doctori abjudicari debebat. Atsi sermo ille Augustinianus haberi potuisset: consentaneum nihilominus cuique videbitur, in conspectu Epistolæ ad Evodium, & tot aliorum librorum, in quibus de illarum animarum statu ex professo agit Sanctus Doctor, atque de peccato originali latissime scripsit, non satis probare pauca verba ad populum habita, quæ suam rectam, constantemque doctrinam subvertunt atque retractant.

8. Sed quia interea semper animo versabit lector, hanc Divi Thomæ opinionem, inniti sententiæ Divi Augustini, propter relata verba Sermonis alias 137. de Tempore, quem tanti Auctoris esse putavit Angelicus Doctor: necessarium arbitror sub hoc initium aperire, quid de hac concione censuerint Clarissimi Monachi Congregationis S.Mauri, in ea, quam provide mundo dederunt ceteris castigatissima, editione Operum Divi Augustini: hoc enim sublato, magno revera præjudicio spero lectores ad cetera ferventiori studio, quietiorique animo progressuros. Hunc itaque sermonem, primo Lovanienses in Editione Operum Sancti Doctoris appendici adjudicarunt sub numero 52. Tomo X., Augustinianam in eo soliditatem merito desiderantes. Maurini postea rem penitius rimati, illum in appendice secundo collocaverunt sub numero 160. Tomo V., de eo judicium, quod sequitur, pronunciantes. *Consarcinatus*, inquiunt, *ex Gregorii*, & *Eusebii sententiis. Et quidem hic plura sunt ansulis inclusa, quæ minime reperiuntur in MSS.*, *quibus detractis*, *cetera inter se aptius cohærent*. Quamvis igitur verba a Divo Thoma allata memoratis ansulis non includantur: tamen tantorum virorum judicio adeo Augustinum non sapiunt, ut immo incerto auctori ab ipsis dentur, & satis insuper illiterato, quippe qui pugnantes inter se sententias abluere non dignovit. Sed quum de hoc alibi loqui instituerim, juxta meditati ordinis seriem, (quando nimirum ea examinabo, quæ ex Augustino contra Augustinum a plerisque afferuntur): sincero docilique Lectori interim scire sufficiat, eum textum sancti Augustini non esse; ideoque Divum Thomam laudati Patris auctoritate minimè juvari, in stabilienda sententia de statu animarum sinus Abrahæ. Has enim ideo in doloribus posuit Angelicus, quia putabat, reatum originalis peccati adhuc illis incumbere, istius profectò spurii Sermonis auctoritati nixus, qui docet, Christum descendentem absolvisse omnes justos, originali peccato adhuc adstrictos. Deo igitur gratias agentes, qui nos felicioribus temporibus, atque utillimo critices studio illustratis, in vitam eduxerit: ad memoratam Epistolam Evodio nuncupatam accedamus.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Pars epistolarum Evodij ad S. Augustinum, & Augustini ad Evodium: & quomodo manifesto contextui doctrinarum Sancti Patris nihil officiat interpretatio Divi Thomæ.

1. QUid Evodius Episcopus ab Augustino Episcopo sciscitaretur; quidque hic illi rescripserit, legentium oculis subjicere per verba præcisa necesse est; quum de genuina textus intelligentia agatur, quem, ut supra innuimus, Divus Thomas contrarium sibi esse non sentit. Evodius scripserat anno circiter 415. (Epist. inter Augustinianas 2. Tom. 163 aliàs 98) „ Qui sunt illi spiritus, de „ quibus in epistola sua ponit Petrus testimonium de Domino dicens „ (1. Petr. 3.) *Mortificatus carne vivificatus spiritu, in quo & iis, qui* „ *in carcere erant spiritibus veniens prædicavit*, & cetera: hoc inferens, „ quòd in inferno fuerunt, & descendens Christus omnibus evangeli- „ zavit, omnesque a tenebris & pœnis per gratiam liberavit, ut a „ tempore resurrectionis Domini judicium expectetur, exinanitis in- „ fernis. „

2. Hanc quæstionem hausisse Evodium ex scriptis antiquorum, Clementis scilicet Alexandrini, Origenis, & Eusebii; immo etiam ex quibusdam verbis Sanctorum Irenæi atque Epiphanii, ostendere nunc extra locum est. Appositè tamen de hoc lectores admonentur; ut qui fortè invenerint quod nunc dixi, in quibusdam auctoritatibus collectis a Francisco-amato Pouget Gallicano Oratorii doctissimo presbytero in suis *Institutionibus catholicis*, in antecessum cognoscant, hanc opinionem Sancto Augustino minimè probari, quicumque demum eam protegant, pluribus nimirum rationum momentis, mox subjiciendis. Sed quoniam de hac re in hujus operis supplemento agere proposui, ubi omnes textus a Pugetio allatos, tum veterum scriptorum, tum Sanctorum Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ Patrum, examinandos suscipiam; ostensurus, hos etiam sententiæ S. Augustini favere, in visione Dei sanctis antiquis statim a morte conlata, adeoque antequam Christus in inferna descenderet: ideò istud nunc attigisse satis sit. Interim rescriptum Augustini ad Evodium quantum adtinet ad hujus evellendam, suam verò contrariam opinionem firmandam, circa statum animarum sanctorum veterum, diligenter inspiciamus.

3. Respondet itaque S. Augustinus Ep. 164. his verbis. „ I. Quæ- „ stio, quam mihi proposuisti ex epistola Apostoli Petri, solet nos, „ ut te latère non arbitror, vehementissimè commovere, quomodo „ illa verba accipienda sint tamquam de inferis dicta .... II. Quum „ dixisset *Christum mortificatum carne, vivificatum spiritu*, continuò „ subjecit, *in quo & iis qui in carcere erant conclusi spiritibus veniens*, „ *prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabat Dei pa-*

„ *tientia in diebus Noe, quum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animæ* „ *salvæ factæ sunt per aquam*. Deinde subjunxit, & ait: *quod & vos nunc simili forma baptisma salvos facit*. Movet itaque si apud inferos Dominus, „ quando mortuus est, in carcere conclusis spiritibus prædicavit, quid „ boni soli meruerint ut Dominus ad inferna descenderet; qui tunc „ infideles fuerunt, quum fabricaretur arca? Etenim post tempora „ Noe, multa millia tot Gentium usque ad passionem Christi mortua sunt, quæ potuit ad inferos invenire: non utique eorum qui „ in Deum crediderant sicut Prophetæ & Patriarchæ de stirpe Abrahæ, sicuti ipse retro Noe & tota domus ejus, quæ salva facta est „ per aquam, excepto fortassis uno filio, qui postea reprobatus est; „ sicuti etiam præter progeniem Jacob, alii fuerunt credentes in Deum, „ sicut Job, sicut Civitas Ninive, & si aliqui alii sunt, qui vel apparent in scripturis vel in genere humano latent: sed eorum dico „ multa millia hominum, qui Deum ignoranter, & dæmonum vel „ simulacrorum cultui dediti a temporibus Noe usque ad passionem „ Christi ex hac vita emigrarunt, quos apud inferos Christus inveniens, quomodo illis non prædicavit, sed illis tantùm, qui in diebus Noe increduli fuerunt, quum fabricaretur arca. Aut si omnibus prædicavit, cur illos solos Petrus commemoravit, prætermissa „ multitudine tam innumerabili ceterorum? III. Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum satis constat. Neque „ enim contradici potest vel prophetiæ quæ dixit: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*. Quod ne aliter quisquam sapere „ auderet, in Actibus Apostolorum idem Petrus exponit. Vel ejusdem Petri illis verbis, quibus eum asserit solvisse inferni dolores, „ in quibus impossibile erat eum teneri. Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum? Quod si movet aliquem quemadmodum accipiendum sit inferni ab illo solutos dolores (neque „ enim cœperat in eis esse, tamquam in vinculis, & sic eos solvit, „ tamquam si catenas solvisset quibus fuerat alligatus) facile est intelligere, sic eos solutos esse, quemadmodum solvi possunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt. Potest & sic, ut dolores eum solvisse credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed „ quia alii tenebantur, quos ille noverat liberandos. IV. Verùm quinam isti sint, temerarium est definire. Si enim omnes omninò diximus tunc esse liberatos, qui illic inventi sunt; quis non gratularetur, si hoc possemus ostendere? Præsertim propter quosdam, „ qui nobis litterario labore suo familiariter innotuerunt, quorum „ eloquium ingeniumque miramur, non solum poetas & oratores, qui „ eosdem ipsos falsos Deos Gentium multis opusculorum suorum locis contemnendos, ridendosque monstrarunt, & aliquando etiam „ unum Deum, verumque confessi sunt, quamvis illa superstitiosa „ cum ceteris colerent; verùm etiam illos, qui hæc non cantando, „ vel declamando, sed philosophando dixerunt. Multos etiam, quo-
„ rum

„ rum litteras non habemus, sed in illorum litteris didicimus secun-
„ dùm quemdam modum laudabiles vitas, ut excepto Dei cultu, in
„ quo erraverunt, colentes vana, quæ publicè colenda fuerant insti-
„ tuta, & creaturæ potius quàm Creatori servientes: in ceteris mo-
„ ribus parsimoniæ, continentiæ, castitatis, sobrietatis, mortis pro
„ Patriæ saluti contemptu, servatæque fidei, non solùm civibus ve-
„ rùm & hostibus imitandi meritò proponantur. Quæ quidem omnia,
„ quomodo non referuntur ad finem rectæ veræque pietatis, sed ad
„ fastum inanem humanæ laudis & gloriæ, etiam ipsa inanescunt
„ quodammodo, steriliaque redduntur; verumtamen quadam indole
„ animi ita delectant, ut eos, in quibus hæc fuerunt, vellemus, vel
„ præcipuè vel cum ceteris ab inferni cruciatibus liberari, nisi aliter
„ se haberet sensus humanus, aliter justitia Creatoris. V. Quæ quum
„ ita sint, si omnes inde solvit Salvator, & sicut requirens scripsisti,
„ exinanivit inferna, ut deinceps judicium jam expectaretur extre-
„ mum: hæc sunt quæ in hac re non immeritò movent, quæ mihi
„ interim cogitanti solent occurrere. Primum qua auctoritate firme-
„ tur ista sententia. Quod enim scriptum est in morte Christi factum
„ *solutis doloribus inferni*, vel ad ipsum potest intelligi pertinere, quod
„ eos hactenùs solverit, hoc est irritos fecerit, ne ab eis ipse tenere-
„ tur, præsertim quia sequitur, *in quibus impossibile erat teneri eum*.
„ Vel si caussa quæritur, cur voluerit venire in infernum, ubi dolo-
„ res illi essent, quibus teneri omninò non poterat, quia erat, ut
„ scriptum est *in mortuis liber; in quo princeps & præpositus mortis non*
„ *invenit aliquid*, *quod supplicio deberetur*, hoc scilicet quod scriptum est
„ *solutis doloribus inferni* NON IN OMNIBUS, SED IN QUIBUSDAM ACCI-
„ PI POTEST, QUOS ILLE DIGNOS ISTA LIBERATIONE JUDICABAT, ut
„ neque frustra illuc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus,
„ qui ibi tenebantur inclusi, nec tamen sit consequens, ut quod di-
„ vina quibusdam misericordia, justitiaque concessit, omnibus conces-
„ sum esse putandum sit. VI. ET DE ILLO QUIDEM PRIMO HOMINE
„ PATRE GENERIS HUMANI, QUOD EUM INDE SOLVERIT, ECCLESIA
„ FERE TOTA CONSENTIT; quod eam non inaniter credidisse creden-
„ dum sit, undecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum scri-
„ pturarum hinc expressa non proferatur auctoritas; quamquam illud,
„ quod in libro Sapientiæ (cap. 10.) scriptum est: *hæc illum*, *qui*
„ *primus factus est*, *patrem orbis terrarum*, *quum solus esset creatus*, *cu-*
„ *stodivit*, *& eduxit illum a delicto suo*, *& dedit ei virtutem continendi*
„ *omnia*: magis pro hac sententia, quàm pro ullo alio intellectu fa-
„ cere videatur. Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam San-
„ ctis fuisse concessum, Abel, Seth, Noe, & domui ejus, Abraham,
„ Isaac & Jacob, aliisque Patriarchis, & Prophetis, ut quum Domi-
„ nus in infernum venisset, illis doloribus solverentur. VII. SED QUO-
„ NAM MODO INTELLIGATUR ABRAHAM, IN CUJUS SINUM PIUS ET-
„ IAM PAUPER ILLE SUSCEPTUS EST, IN ILLIS FUISSE DOLORIBUS, E-

„ GO QUIDEM NON VIDEO: EXPLICANT FORTASSE QUI POSSUNT. Solos autem duos, ideſt Abraham & Lazarum IN ILLO MEMORABILIS QUIETIS SINU fuiſſe, antequam Dominus in inferna deſcenderet: & de iſtis tantùm duobus dictum fuiſſe illi diviti (Luc. 16.) *inter vos & nos chaos magnum firmatum eſt, ut ii, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*, neſcio utrum quiſquam ſit, cui non videatur abſurdum. Porrò ſi plures quàm duo ibi erant, quis audeat dicere, NON IBI FUISSE PATRIARCHAS, ET PROPHETAS, QUIBUS IN SCRIPTURIS DEI JUSTITIÆ PIETATISQUE TAM INSIGNE TESTIMONIUM PERHIBETUR? Quid his ergo præſtiterit, qui dolores ſolvit inferni, IN QUIBUS ILLI NON FUERUNT, nondum intelligo: præſertim quia ne ipſos quidem inferos uſpiam ſcripturarum locis in bono appellatos potui reperire. Quod ſi nuſquam in Divinis auctoritatibus legitur, NON UTIQUE SINUS ILLE ABRAHÆ, IDEST SECRETÆ CUJUSDAM QUIETIS HABITATIO, ALIQUA PARS INFERORUM ESSE CREDENDA EST: quamquam in his ipſis tanti magiſtri verbis, ubi ait dixiſſe Abraham *Inter vos & nos chaos magnum* firmatum eſt, ſatis, ut opinor, appareat, NON ESSE QUAMDAM PARTEM, ET QUASI MEMBRUM INFERORUM TANTÆ ILLIUS FELICITATIS SINUM; chaos enim magnum quid eſt niſi quidam hiatus multùm ea ſeparans, inter quæ non ſolùm eſt, ſed etiam firmatus eſt? Quapropter ſi in illum Abrahæ ſinum Chriſtum mortuum veniſſe ſancta ſcriptura dixiſſet, non nominato inferno ejuſque doloribus, miror ſi quiſquam ad inferos eum deſcendiſſe aſſerere auderet. VIII. Sed quia evidentia teſtimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla cauſſa occurrit, cur illo credatur veniſſe Salvator, niſi ut AB EJUS DOLORIBUS SALVOS FACERET. Sed utrum omnes, quos in eos invenit, an QUOSDAM, QUOS ILLO BENEFICIO DIGNOS JUDICAVIT, adhuc requiro: fuiſſe tamen eum apud inferos, & IN EORUM DOLORIBUS CONSTITUTIS HOC BENEFICIUM PRÆSTITISSE NON DUBITO. UNDE ILLIS JUSTIS, QUI IN SINU ABRAHÆ ERANT, QUUM ILLE IN INFERNA DESCENDERET, NONDUM QUID CONTULISSET INVENI, A QUIBUS EUM SECUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS NUMQUAM VIDEO RECESSISSE; ſicuti etiam eodem die, quo mortuus eſt, promiſit Latroni, quòd cum illo in Paradiſo fuiſſet futurus, quando ad ſolvendos inferni dolores fuerat deſcenſurus. PROFECTO IGITUR IN PARADISO, ATQUE SINU ABRAHÆ ETIAM ANTE JAM ERAT BEATIFICANTE SAPIENTIA, & apud inferos judicante potentia. Ubi enim non eſt nullo loco obſeſſa divinitas? Verumtamen ſecundùm creaturam, quam ex quodam tempore ſuſcipiendo manens Deus, homo factus eſt, hoc eſt ſecundùm animam, eum fuiſſe apud inferos apertè ſcriptura declarat, & per prophetam præmiſſa, & per apoſtolicum intellectum ſatis expoſita, qua dictum eſt, *Non derelinques animam meam in inferno.* „

4. Di-

4. Diligens & attentus lector ex hac Augustinianæ epistolæ parte, (nisi eam præjudicato inspiciat animo, & alienæ auctoritati, citra liberum rerum examen obstricto), subitò intelliget, magistrum meum tres diversas animarum separatarum conditiones, ante Christi Salvatoris passionem & mortem cognovisse. Prima earum est, quæ vel absque fide vera in Deum verum mundo occubuerunt; tum etiam, quæ Deo credentes, non tamen ejus mandatis obtemperaverunt; quibus satis constat nullum beneficium conlatum fuisse per descensum Christi, quia in infernó jam erant sepultæ, *in quo nulla est redemptio*. Secunda conditio, eas indicat, quæ ex præcedentis vitæ meritis in vera fide acquisitis, beneficio Redemptoris in inferna descendentis poterant frui, ut a doloribus solverentur quibus erant obnoxiæ; atque inter has commemorat, Ecclesiam tunc credidisse inventum primum hominum patrem Adam, adeoque demonstrat Christum pro iis verè descendisse. Tertius demum animarum status eas comprehendit, quæ fidei & operum meritis cumulatæ in pace dormierant, quibus nondum invenisse fatetur quid contulerit Dominus descendens, quia etiam antea ab eis corpore exutis nunquam recessisset per beatificam præsentiam suæ divinitatis.

5. Prima animarum classis per se patet, nec prudentem habet vel habere adversarium potest; nimirum quia inter hæreticas recensetur sententia, qua *quidam opinabantur*, DESCENDENTE AD INFEROS CHRISTO, CREDIDISSE INCREDULOS, ET OMNES INDE, IDEST AB INFERIS LIBERATOS. (D. Aug. 8. Tom. de hæref. ad Quod vult Deum. n.79.) De secundo verò, & tertio animarum statu, qui in unum confunditur a plerisque docentibus, descensum Redemptoris omnes sinus Abrahæ animas, nonnullas etiam in Purgatorio existentes, tunc juvisse, quantùm ad conseqnendam gloriam, qua antea carebant: prolixius agendum est, ut vera S. Augustini mens ex ejus verbis patescat.

6. Christum Dominum ad inferos descendisse catholica fides constantissimè prædicat, tum prophetiæ verbis admonita, quibus scriptum est, *Non derelinques animam meam in inferno* (Ps. 15. 10.); tum apostolica doctrina, quæ in Symboli articulis, antiquissima, constanti, & venerabili traditione docet, *Descendit ad inferos*. Sed cur descenderit dum inquirimus: non aliunde, quod ego sciam, intelligere possumus, quàm ex Petri Apostoli verbis in Actibus Apostolorum. (cap. 2. v. 29.) Ipse enim ibi ajens, *quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo:* absque ambiguitate indicat, Christum ad solvendos inferni dolores, descendisse. Subdens verò, *juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*; non sibi hoc beneficium contulisse demonstrat, quoniam in illis doloribus, vel in inferno, in quo erant dolores, teneri non poterat ob suam sanctitatem. Liber proinde inter mortuos descendit; & præposito mortis nihil in se, quod supplicio deberetur, inveniente, de inferis & de morte triumphavit, juxta prædictionem Oseæ Prophetæ: *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne* (13. 14.)

Quum

Quum igitur in inferni doloribus detineri non potuerit anima sanctissima Christi; doceatque Apostolus dolores ipsum solvisse: quos demum solverit inquirendum est; ne vel Christus in cassum descendisse, vel frustra ab Apostolo, dolores inferni solutos dictum fuisse credatur.

7. In Purgatorii igitur infernum lacum descendisse Christum ex laudatis sanctæ Scripturæ auctoritatibus, credere præstat; nemo enim putabit ambiguum, animas in eo commorantes doloribus acerbissimis fuisse cruciatas. Nam si tribuere liberet latissimam significationem solutioni dolorum inferni: consequeretur contra Evangelium, Dominum diviti etiam in flamma crucianti dimisisse pœnas; sicque inferni fuissent exinaniti, atque æternum supplicium evacuatum, quod absurdissimum est. Quum verò dubitare non liceat, Christum cum effectu ad inferos descendisse: credere etiam oportet, se ibi inventurum præcognovisse animas, quas cruentum sui corporis sacrificium juvare posset, eas beatifica præsentia sua liberando a doloribus, in quibus meritò detinebantur propter temporalem nondum solutam peccatorum pœnam. Inter quas, quum Divus Augustinus Adam recenseat, ex Ecclesiastica traditione suo tempore vigente: hunc etiam primi hominis spiritum a tormentis tunc fuisse absolutum confirmat verbis divinæ Sapientiæ, *Et eduxit illum a delicto suo*. Istud ego eò libentiùs refero, quo magis ostendit, S. Doctorem præclarè cognovisse Purgatorium saltem a morte Adæ. Quamvis enim vellemus, eum hic non tribuisse purgantibus animabus locum diversum a damnatis: diversam tamen earum sortem fatetur; nimirum docens, eas & educi inde potuisse per futura merita Christi, & tunc saltem eductas, quum ipse in inferna descendit; quod de impiis constantissimè denegavit.

8. Quamobrem, præter præclarissimam auctoritatem, quam ex Machabæorum Libro secundo (12. 43.) hæreticorum somniis opponit Ecclesia: Purgatorii antiquitas firmissimo nititur fundamento hujus certi descensus Christi ad inferos, causa manifestata per Apostolum Petrum in Actibus Apostolorum, ut nimirum eos, qui apud inferos detinebantur, clementer a doloribus solveret. Quod revera maximi ponderis documentum nondum hæreticis oppositum inveni, licet decretorium sit, & ex iis libris erutum, quos Canonicos esse nec ipsi renuunt; quodque quum ab Apostolorum Symbolo confirmetur, tantam præsefert antiquitatem, quanta ipsamet Ecclesia gloriatur.

9. Sed quoniam Scholastici opinantur, non purgantibus tantùm juvandis animabus, verùm etiam justis Sanctorum Patrum & Prophetarum spiritibus beatificandis, Christi descensum fuisse necessarium: inde est, ni fallor, quòd aliunde fundamenta conquirant Purgatorium comprobantia, & ab hac abstineant auctoritate, quæ secundùm Scholarum sensum, ad solum non attinet Purgatorium. At si non pro justis illis Christum descendisse pateret: certissimus Christi descensus sine ulla ambiguitate Purgatorium probaret. Idipsum Sancti Patris Augustini suprascriptis verbis ostenditur. Quum enim ipse collocet Adam in

in doloribus, iisdem verò detineri non potuisse propugnet Abraham Noe & ceteros justos: consequens est, Adam in Purgatorio tunc extitisse (inde enim eductum docet; quod de infidelibus & impiis negat): ceteros verò justos ab eo dissitos, longe meliori statu multò ante fuisse donatos. Hanc justorum sortem pluribus exornat, ut vidimus, & repetere juvat. Primò scilicet, quia nullo modo intelligi potest, Abraham, in cujus sinum pius etiam pauper susceptus est, in illis fuisse tormentis. Secundò, quia in cassum sanctissimi Patriarchis & Prophetis in Scripturis Dei justitiæ, pietatisque tam insigne testimonium perhiberetur. Tertiò, quia inferorum nomen nusquam in bono usurpatum in Scripturis canonicis valuit reperire. Quartò, quia Abrahæ sinum, inferorum partem seu membrum fuisse, satis apertè ex Evangelio constat ubi ait, *inter vos & nos chaos magnum firmatum est*. Chaos enim magnum, inquit Augustinus, quid est nisi quidam hiatus multum ea separans, inter quæ non solùm est, verùm etiam firmatus est? Hæc omnia demonstrant, justas Patriarcharum ceterorumque justorum animas, non iisdem afflictas doloribus fuisse, quibus anima Adam erat obnoxia; quam tamen animam descensus Christi juvare poterat, ut ab iis solveretur, & revera juvit, quia illam eduxit.

10. Sed ne cuiquam imaginari fas esset, animas SS. Patriarcharum ac Prophetarum a cruciatibus immunes, qui in scholis pœnarum dolores nuncupantur, nihilo tamen minus pœnis fuisse obnoxias ob dilationem gloriæ speratæ: egregius Doctor sententiam suam multis tuetur argumentis, quæ interpretationem Divi Thomæ, quantum mihi videtur, nullo modo patiuntur. Quasi enim non satis mentem suam patefecisset quum dixit Abraham & ceteros justos in doloribus esse non potuisse; atque ad ampliorem rei explicationem, sinum Abrahæ MEMORABILIS QUIETIS SINUM appellasset; & demùm SECRETÆ CUJUSDAM QUIETIS HABITATIONEM; & iterum, TANTÆ ILLIUS FELICITATIS SINUM: demum dilucidè exponit in quo hujus quietis & felicitatis ratio consisteret. Ait enim: UNDE ILLIS JUSTIS, QUI IN SINU ABRAHÆ ERANT, QUUM ILLE IN INFERNA DESCENDERET, NONDUM QUID CONTULISSET INVENI, A QUIBUS EUM SECUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS, NUMQUAM VIDEO RECESSISSE." Hoc igitur contulit ceteris, qui cum Adam in Purgatorii doloribus erant, ut a suis doloribus eriperentur per præsentiam beatificam Salvatoris. Par autem beneficium conferre non poterat Sanctis Patriarchis & Prophetis; utpote quibus id ipsum olim præstiterat, BEATIFICA nimirum SUA PRÆSENTIA ipsos glorificans, & secundùm hanc nunquam ab iis discedens, proindeque nihil unquam ab eis auferens, quo verè beati essent in contemplatione Dei sicuti est. Quapropter superiùs ait: "Si in illum Abrahæ sinum Christum mortuum venisse sancta Scriptura dixisset, non nominato inferno, ejusque doloribus; MIROR SI QUISPIAM AD INFEROS EUM DESCENDISSE ASSERERE AUDERET. Sed quia evidentia testimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla causa

" oc-

„ occurrit, cur illò credatur venisse Salvator, NISI UT AB EJUS DOLO„ RIBUS SALVOS FACERET. „ Verba igitur Divi Thomæ, S. Augustini mentem ita interpretantis, ut justis illis contulerit Dominus quantum ad adeptionem gloriæ, & per consequens solverit dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ: Augustini doctrinæ è directo opponuntur, qui animabus illis omnem adimit pœnam, immo BEATIFICAM PRÆSENTIAM Divinitatis impertit; qua procul dubio omnis molestia absumitur; quia idem Divus Thomas veracissimè confitetur, quarumdam etiam purgantium animarum cruciatus fuisse solutos, quum misericors Dominus præsentiam suam earumdem oculis manifestavit.

11. Ne quid dissimulem, atque ut ex occasione respondeam, objectionibus doctorum quorumdam virorum, qui me sanè raro atque amicissimo beneficio cumularunt, patienter legendi mea in hanc rem scripta, & de iis animi sui sententiam sincerè aperiendi: fateor, nonnullos verbis laudatæ epistolæ fuisse commotos, quibus S. Augustinus indicat, se edisserere non quod in proposita ab Evodio questione certè tenendum sit, sed ea potius colligere, a quibus ipse movebatur, ne illicò acquiesceret intelligentiæ ab Evodio indicatæ. Hinc constat, dubitativè ut ajebant, non assertivè eum esse locutum, proindeque auctoritatem istam Sancti Patris haud tanti esse faciendam, ut ab hac, solutio petatur satis involutæ & absconditæ quæstionis.

12. Fateor & ego aliquantulam dubitationem in eadem epistola ostendere Magistrum meum. Hanc autem ad præsentem quæstionem trahi prudenter posse, non arbitror. Quæstio enim tunc ab Evodio proposita, circa intelligentiam versabatur quorumdam verborum Epistolæ B. Petri. In qua tractanda, an scilicet textus ille sic potiùs quàm sic, esset explicandus; non dubia argumenta præferebat Augustinus, sed vera; ut legentes edíscerent, rem ab iis qui possent ita esse definiendam, ut cum maximis momentis adductis amicissimè conveniret. Non enim dixit solùm, UNDE ILLIS JUSTIS, QUI IN SINU ABRAHÆ ERANT, QUUM ILLE IN INFERNA DESCENDERET, NONDUM QUID CONTULISSET INVENI, (quæ dubitationem aliquam, accessu cognitionum vel confirmandam vel diluendam, in cortice redolent): sed addidit, A QUIBUS EUM SECUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS NUNQUAM VIDEO RECESSISSE. Et rursus: PROFECTO IGITUR IN PARADISO, ATQUE SINU ABRAHÆ ETIAM ANTE JAM ERAT BEATIFICANTE SAPIENTIA; quæ porro nulli videbuntur ambigua. Itaque ab uno aliud colligendo, patet, ideo Sanctum Patrem nondum invenisse quid animabus illis, contulerit Dominus descendens; quia pro certo habebat, numquam Eum ab illis recessisse, secundùm beatificam præsentiam suæ Divinitatis, quo unico bono beata efficitur anima.

13. Nam si Ecclesiæ traditio aut doctrina ea erat tunc, quæ a Sancto Thoma ac Scholasticis omnibus nunc effertur; Christum nimirum descendentem in inferos, lumen gloriæ contulisse animabus Sanctorum Patrum, quæ eo orbatæ jamdiu detinebantur in sinu Abrahæ: certè S. Au-

S. Augustinus contra vel traditionem, vel receptam communemque doctrinam tunc fuisset locutus, nondum se invenisse dicens quid ipsis contulerit Christus; quum credere deberet, non fortuitum aliquod bonum, sed proprium, qualis gloria beata est, eis tunc tantùm fuisse conlatum. Meliori itaque jure inferimus in alteram partem inclinasse Ecclesiæ doctrinam; fundamentum suppeditantibus iis, quæ Sanctus Pater absque hæsitatione subdit, A QUIBUS EUM SECUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS NUNQUAM VIDEO RECESSISSE. Ita quippe eum statum iis animabus assignat, ex quo palàm elucescat prioris sententiæ vis; cur nimirum nondum invenerit quid ipsis contulerit Christus descendens. Justa enim causa perscrutandum relinquebat aliorum ingenio, quid amplius consequi possent illæ, quas beatas credebat ex visione Dei sicuti est, propter recentem præsentiam animæ Christi, secundùm quam solam Christus Deus descenderat, corpore in sepulcro quiescente.

14. Non igitur dubitanter ibi locutus est S. Augustinus, qui tanta constantia asserit præsentiam Divinitatis beatificam animabus Sanctorum Patrum. Posita enim in hoc S. Patris dubitatione, duo consecuntur incommoda: scilicet vel Augustinum Ecclesiasticam doctrinam ignorasse, vel alibi ab hac sententia recessisse. Istud ostendant qui sentiunt: me interim fatente, nusquam in libris, qui verè sui sunt, quidpiam mihi occurrisse huic doctrinæ contrarium, quam nunc pro viribus exorno; immò sæpè & præcipuè in libris suis contra hæreticos inveniam, beatitatem antiquis Sanctis constanti animo ab illo conlatam, etiam ante Salvatoris incarnationem. Primum verò, injuriosum nimis tanto viro est, qui adeò ecclesiasticæ traditionis instructus, eique addictus hoc ipso in loco apparet; ut diligenter commemoret ut quid Ecclesia ferè tota sentiret de anima primi hominum patris Adæ; hanc nempe tunc a doloribus fuisse solutam, quum Christus ad inferna descendit. Huic insuper Ecclesiasticæ doctrinæ honorem habendum a quibuscumque suo exemplo docet, quum ait: „ Quod „ eam non inaniter credidisse credendum sit, undecumque traditum „ sit, etiamsi Canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur „ auctoritas. „ Immo ut ostendat traditionem istam præsidio Scripturarum haud esse destitutam; ingenio certat, & Scripturæ usu præclaro, subdens: „ Quamquam illud, quod in libro Sapientiæ scriptum est: „ *Hæc illum qui primus factus est Patrem orbis terrarum, cum solus esset* „ *creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit ei virtutem* „ *continendi omnia*, magis pro hac sententia, quàm pro ullo alio in„ tellectu facere videatur.

15. Post hæc, opinionem memorans quorumdam, dicentium tale beneficium antiquis etiam sanctis fuisse concessum Abel, Seth, Noe, Abraham, Isaac &c. (quæ postea Divi Thomæ atque Scholasticorum opinio fuit): non eam pari honore suscipit, aut Ecclesiæ esse dicit, aut veluti traditam, & idcircò non inaniter creditam defendit: sed

C immò

immò eam argumentis, ac Evangelii auctoritatibus insectatur & vincit, ut ex dicta epistola patet n°. VII. & seqq. Quare meritò confirmo, S. Augustinum juxta tunc vigentem Ecclesiæ traditionem, de statu animarum sinus Abrahæ fuisse locutum. Qui enim sciebat & venerabatur, quod Ecclesia ferè tota sentiret de Anima Adæ: ignorare non poterat, quod tota doceret de Abel, Seth, Noe, Abraham, Isaac &c. Quibus si ipse de suo beatificam Divinitatis præsentiam, ante præfinitum tempus fuisset impertitus: ceteri Ecclesiæ Patres nequaquam fecissent, quin ipsum saltem audaciæ arguerent; cujus rei in historiis nullum extat indicium. Sin autem Coepiscopos siluisse quispiam opinaretur, qualibet, nunquam tamen commendabili causa: numquid putabit prætervituros Pelagianos, catholicæ Ecclesiæ dogmatum & traditionum peritissimos, atque Augustino infensissimos; si tantus adversarius, qui contra eos disputans hanc etiam doctrinam efferebat, in ea potuisset de novitate revinci?

16. Demum nisi etiam Evodius cum Ecclesia ita sensisset: nihil proficerent quæ S. Augustinus afferebat ad explanandam quæstionem propositam; quomodo scilicet intelligendus esset textus Epistolæ Divi Petri *Mortificatus carne vivificatus spiritu, in quo & iis, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit*. Hanc prædicationem in carcere constitutis factam, quod erat quæstionis caput, Augustinus tum rationibus, tum auctoritatibus intelligendam demonstrat, de prædicatione facta viventibus in hoc mundo hominibus; carcerem rectissimè corpus interpretando. Rationes autem cumulans (quæ si dubiæ erant nullius roboris fuissent) ostendit, nullo modo nomine carceris infernum hic esse intelligendum; nec prædicationem factam a Domino, respicere separatos apud inferos spiritus; tum quia æternum damnati converti amplius non poterant; tum quia purgantes animæ, inter quas Adam recensent, credentes erant, & in termino, ideoque prædicatione non indigebant; tum denique quia spiritus Sanctorum Patrum jam beatifica Dei visione fruebantur. Humiliter demùm concludens, se ab hisce moveri, ne alium sensum textui illi tribuat: non idcircò robur horum argumentorum infirmat; sed se doctiorum, ut solebat, submittit judicio; ne suo nimis videretur fidere ingenio, aut se velut magistrum in Israel efferre; quamvis talis a sapientioribus ævi sui concordi voto prædicaretur, & a S. Paulino Nolano præcipuè in epist. 94. n. 3., & 121. n. 4.

17. Meritò idcircò suspicari opinor, nec Divi Thomæ, nec recentiorum Scholasticorum dictata speciem præseferre traditionis, quippe quibus antiquitas (primum sanè fundamentum) haud suffragatur: meæ autem sententiæ antiquitatem, tum ex hoc, tum ex multis aliis S. Augustini a me recensendis locis, elucere. Et ne hæc Sancti Patris sententia ipsi peculiaris censeatur: eamdem docuisse SS. Chrysostomum, Ambrosium, & plures alios Ecclesiæ insignes Doctores, suo loco me ostensurum, Deo juvante, promitto.

18. Hæc

18. Hæc sunt quæ me movent, ne assentiar Augustinum veluti incertum hic esse locutum. Quæ si recta sunt, nutantes etiam alios confirmare poterunt: sin minus firma, ad me meliora docendum aditum sapientibus aperient. Ad illud nunc contendamus, quod Divus Thomas, citato loco, postquam dixit, animas Sanctorum Patrum doloribus affectas ex dilatione gloriæ, subdit, *ex cujus tamen spe magnum gaudium habebant*. Sit igitur.

CAPUT QUARTUM.

Justorum animæ in sinu Abrahæ, & spe gloriæ consequendæ habere non poterant tale gaudium, quo dolor privationis visionis Dei vinceretur.

1. NEgotium sanè maximum facessunt omnibus Theologis, qui ab Augustini sententia discedunt, recitata beatissimi Apostoli Petri verba, quæ nullam aliam causam assignant descensus Christi in inferos, nisi ut ab ejus doloribus affectos solveret. Fateri enim coguntur, animas etiam justorum sinus Abrahæ dolorem & pœnas fuisse perpessas, si pro istis quoque descendit Redemptor; aut non pro istis descendisse Christum, dum eas in quiete reponunt. In quiescentibus enim, juxta Petri oraculum, dici non possent soluti inferni dolores. Sed quia dolorum attributio difficultatem adauget, quum nulla suppetat certa, & in divinis libris fundata ratio, propter quam hunc miserum statum eas meritas fuisse monstratur, ut alibi ostendemus; plura verò utriusque testamenti loca, doceant, Patriarchas, Prophetas, & reliquos Deo credentes, &, si ætas patiebatur, servientes, verè justos fuisse, & Dei amicos & dilectos: eò deventum est, ut dolor justis ob dilationem gloriæ tribuatur, & tamen, ex spe futuræ gloriæ, magno simul gaudio perfusi habeantur: quasi hæc duo contraria dolor & gaudium, in separatis justorum animabus potuerint copulari. Hinc fortasse evenit, ut recentiores Theologi putaverint, causam doloris patentem indubiamque adeò victam ab istius simultanei gaudii virtute, ut animas sanctorum antiquorum, licèt visione Dei orbatas, sapienter possent collocare in quadam beata & felici requie nec commemoratis doloribus; aliunde verò docere, Christi descensum etiam illis necessarium, ut gloriam consequerentur. Ad has sententiarum pugnas melius detegendas, nunc cum S. Augustino monstrabimus, quòd si separatæ illæ animæ visione intuitiva Dei erant destitutæ, miseram & inopem vitam vivebant (si tamen illa rectè appellari potest vita & non potius mors); & idcireò ab eo gaudio exulabant, a quo præsens miseria atque inopia vinceretur. Et ut hæc veritas magis elucescat, ea, quibus nititur fundamenta fodiamus.

2. Mox subjiciendæ doctrinæ si debita diligentia pensentur, uberrimè compensabunt lectionis prolixitatem, quæ prima fronte supervaca-

nea alicui poterit videri. Sciant tamen lectores, me sententiis, quæ hic a S. Augustino docentur, sæpius in sequentibus uti; quibus si instructi ad reliqua pergant, non frustra has meditasse & ebibisse persentient. Divus igitur Augustinus 1. Tom. Lib. x. Confessionum cap. xx. & seqq. de vita beata disputat, quam omnes volunt; & quomodo omnes velint sedulò perscrutatur; ut lectores noscant, naturali hoc appetitu, quo quisque beatus esse cupit, animas nostras a Deo fuisse donatas; illumque nonnisi in fruitione ipsius Dei posse compleri. Suamet verba transcribere præstat; quis enim res tantas vel meliùs, vel strictiùs exponere valeat?

3. Cap. XX. „ QUOMODO ERGO, inquit S. Augustinus, TE QUÆRO DOMINE? QUUM ENIM TE DEUM MEUM QUÆRO, VITAM BEATAM „ QUÆRO. Quæram te ut vivat anima mea. Vivit enim corpus meum „ de anima mea, & vivit anima mea de te. Quomodo ergo quæro „ vitam beatam; quia non est mihi, donec dicam sat est, illic, ubi „ oportet ut dicam? Quomodo eam quæro? Utrum per recordationem, tamquam eam oblitus sim; oblitumque me esse adhuc teneam; an per appetitum discendi incognitam, sive quam numquam „ scierim, sive quam sic oblitus fuerim, ut me nec oblitum esse meminerim? Nonne ipsa est beata vita, quam omnes volunt, & omninò qui nolit nemo est? Ubi noverunt eam, quod sic volunt eam? „ Ubi viderunt, ut amarent eam? Nimirum habemus eam nescio „ quomodo. Et est alius quidam modus, quo quisque quum habet „ eam, tunc beatus est; & sunt qui spe beati sunt. Inferiore modo „ isti habent eam, quàm illi, qui jam reipsa beati sunt; sed tamen „ meliores quàm illi, qui nec re, nec spe beati sunt. Qui tamen „ etiam ipsi, nisi aliquo modo haberent eam, non ita vellent beati „ esse, quod eos velle certissimum est. Nescio quomodo noverunt „ eam, ideoque habent eam in nescio qua notitia, de qua satago „ utrùm in memoria sit: quia si ibi est, jam beati fuimus aliquando. „ Utrum singillatim omnes, an in illo homine, qui primus peccavit, „ in quo & omnes mortui sumus, & de quo omnes cum miseria nati sumus, non quæro nunc; sed quæro utrum in memoria mea sit „ beata vita. Neque enim amaremus eam nisi nossemus. Audivimus „ nomen hoc, & rem ipsam omnes nos appetere fatemur. Non enim „ sono delectamur. Nam hoc quum Latinè audit Græcus, non delectatur, quia ignorat quid dictum sit: Nos autem delectamur sicut „ etiam ille, si græcè hoc audierit: quoniam res ipsa nec græca nec „ latina est, cui adipiscendæ Græci Latinique iniant, ceterarumque „ Linguarum homines. Nota est igitur omnibus, quia una voce si „ interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla dubitatione, „ velle responderent. Quod non fieret, nisi res ipsa, cujus hoc nomen est, eorum memoria teneretur.

4. Cap. XXI. „ Numquid ita ut meminit Cartaginem qui vidit? „ Non. Vita enim beata non videtur oculis, quia non est corpus. Num-

„ Numquid ſicut meminimus numeros? Non. Hos enim qui habet „ in notitia, non adhuc quærit adipiſci. Vitam verò beatam habemus „ in notitia, ideoque amamus eam, & tamen adhuc adipiſci eam vo„ lumus, ut beati ſimus. Numquid ſicut meminimus eloquentiam? „ Non. Quamvis enim, hoc nomine audito, recordentur ipſam rem „ qui etiam nondum ſunt eloquentes, multique eſſe cupiant, unde „ apparet eam eſſe in eorum notitia: tamen per corporis ſenſus alios „ eloquentes animadverterunt, & delectati ſunt, & hoc eſſe deſide„ rant (quamquam niſi & exteriore notitia non delectarentur, neque „ hoc eſſe vellent, niſi delectarentur). Beatam verò vitam nullo ſen„ ſu corporis in aliis experimur. Numquid ſicut meminimus gau„ dium? Fortaſſe ita. Nam gaudium meum etiam triſtis memini, ſi„ cut beatam vitam miſer; neque umquam corporis ſenſu gaudium „ meum vel vidi, vel audivi, vel odoratus ſum, vel guſtavi vel teti„ gi; ſed expertus ſum in animo meo, quando lætatus ſum; & ad„ hæſit ejus notitia memoriæ meæ, ut reminiſci valeam, aliquando „ cum aſpernatione, aliquando cum deſiderio, pro earum rerum di„ verſitate, de quibus me gaviſum eſſe memini. Nam & de turpibus „ gaudio quodam perfuſus ſum, quod nunc recordans deteſtor, atque „ execror; aliquando de bonis & honeſtis, quod deſiderans recolo; ta„ metſi fortè non adſunt, & ideò triſtis gaudium priſtinum recolo. „ Ubi ergo & quando expertus ſum vitam meam beatam, ut recor„ der eam, & amem & deſiderem? Nec ego tantùm, aut cum pau„ cis, ſed beati prorſus omnes eſſe volumus. Quod niſi certa notitia „ noſſemus, non tam certa voluntate vellemus. Sed quid eſt hoc, „ quòd ſi quæratur a duobus utrum militare velint, fieri poteſt, ut „ alter eorum velle ſe, alter nolle reſpondeat? Si autem ab eis quæ„ ratur, utrum beati eſſe velint, fieri poſſit ut uterque ſtatim ſe ſine „ ulla dubitatione dicat optare; nec ob aliud velit ille militare, nec „ ob aliud iſte nolit, niſi ut beati ſint? Num fortè quoniam alius „ hinc, alius inde gaudet: ita ſe omnes beatos eſſe velle conſonant, „ quemadmodum conſonarent, ſi hoc interrogarentur, ſe velle gaude„ re; atque ipſum gaudium vitam beatam vocant? Quod & ſi alius „ hinc, alius illinc aſſequitur, unum eſt tamen, quo pervenire omnes „ nituntur ut gaudeant. Quæ quoniam res eſt, quam ſe expertum „ non eſſe nemo poteſt dicere, propterea reperta in memoria reco„ gnoſcitur, quando beatæ vitæ nomen auditur.

5. Cap. XXII. „ Abſit Domine, abſit a corde ſervi tui, qui con„ fitetur tibi: abſit ut quocumque gaudio gaudeam, beatum me pu„ tem. Eſt enim gaudium, quod non datur impiis, ſed eis, qui te „ gratis colunt, quorum gaudium tu ipſe es. ET IPSA EST BEATA „ VITA, GAUDERE AD TE, DE TE, PROPTER TE, IPSA EST, ET NON „ EST ALTERA. Qui autem aliam putant eſse, aliud ſectantur gau„ dium, neque ipſum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudii vo„ luntas eorum non avertitur.

6. Cap.

6. Cap. XXIII. „ Non ergo certum est, quòd omnes esse beati „ volunt; quoniam qui non de te gaudere volunt, quæ sola vita bea„ ta est, non utique vitam beatam volunt. An omnes hoc volunt? „ Sed quoniam caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adver„ sùs carnem, ut non faciant quod volunt, cadunt in id quod valent, „ eoque contenti sunt; quia illud quod non valent, non tantum vo„ lunt, quantum fas est ut valeant. Nam quæro ab omnibus, utrum „ malint de veritate quàm de falsitate gaudere: tam non dubitant di„ cere de veritate se malle, quàm non dubitant dicere beatos esse se „ velle. BEATA QUIPPE VITA EST GAUDIUM DE VERITATE. Hoc est „ enim gaudium de te, qui veritas es, *Deus illuminatio mea*, *salus* „ *faciei meæ*, *Deus meus*. (Ps. 26.) Hanc vitam beatam omnes vo„ lunt, gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum, „ qui vellent fallere; qui autem falli, neminem. Ubi ergo noverunt „ hanc vitam beatam, nisi ubi noverunt etiam veritatem? Amant „ enim & ipsam, quia falli nolunt, & quum amant beatam vitam, „ quod non est aliud quàm de veritate gaudium, utique amant etiam „ veritatem: nec amarent, nisi esset aliena notitia ejus in memoria „ eorum. Cur ergo non de illa gaudent? Cur non beati sunt? Quia „ fortiùs occupantur in aliis, quæ potiùs eos faciunt miseros, quàm „ illud beatos, quod tenuiter meminerunt. *Adhuc enim modicum lumen* „ *est in hominibus*, (Joh. 12.) ambulent, ambulent, ne eos tenebræ „ comprehendat. Cur autem veritas parit odium, & inimicus eis fa„ ctus est homo tuus, verum prædicans, quum ametur beata vita, „ quæ non est nisi gaudium de veritate: nisi quia sic amatur veritas, „ ut quicumque aliud amant, hoc, quod amant, velint esse verita„ tem; & quia falli nolunt, nolunt convinci quod falsi sint? Itaque „ propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. A„ mant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli „ nolunt, & fallere volunt, amant eam quum se ipsa indicat, & „ oderunt eam, quum eos ipsos indicat. Inde retribuet eis, ut qui „ se ab ea manifestari nolunt, & eos nolentes manifestet, & eis ipsa „ non sit manifesta. Sic sic etiam: sic animus humanus etiam, sic „ cæcus & languidus, turpis atque indecens latere vult, se autem ut „ lateat aliquid non vult. Contra illi redditur, ut ipse non lateat „ veritatem, ipsum autem veritas lateat. Tamen etiam sic dum mi„ ser est, veris mavult gaudere quàm falsis. BEATUS ERGO ERIT, SI „ NULLA INTERPELLANTE MOLESTIA, DE IPSA, PER QUAM VERA SUNT „ OMNIA, SOLA VERITATE GAUDEBIT.

7. Cap. XXIV. „ Ecce quantum spatiatus sum in memoria mea, „ quærens te Domine, & non te inveni extra eam. Neque enim ali„ quid de te inveni, quod non meminissem ex quo didici te. Nam „ ex quo didici te, non sum oblitus tui. Ubi enim inveni veritatem „ ibi inveni Deum meum ipsam veritatem, quam ex quo didici non „ sum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, &

„ illic

„ illic te invenio, quum reminiscor tui, & delector in te. Hæ sunt „ sanctæ delitiæ meæ, quas donasti mihi misericordia tua, respiciens „ paupertatem meam.

8. Cap. XXV. „ Sed ubi manes in memoria mei Domine? Ubi il„ lic manes? quale cubile fabricasti illic tibi? Tu dedisti hanc digna„ tionem memoriæ meæ, ut maneas in ea; sed in qua ejus parte „ maneas hoc considero. Transcendi enim partes ejus, quas habent „ & bestiæ, quum te recordarer; quia non ibi te inveniebam inter „ imagines rerum corporalium: & veni ad partes ejus, ubi commen„ davi affectiones animi mei, nec illic inveni te: & intravi ad ipsius „ animi sedem, quæ illi est in memoria mea, quoniam sui quoque „ meminit animus; nec ibi tu eras: quia sicut non es imago cor„ poralis, nec affectio viventis; qualis est quum lætamur, contrista„ mur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, & quidquid „ hujusmodi est: ita nec ipse animus est, quia Dominus Deus ani„ mi tu es, & commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis „ manes super omnia, & dignatus es habitare in memoria mea ex „ quo te didici. Et quid quæro quo loco ejus habites? Quasi verò lo„ ca ibi sint. Habitas certè in ea, quoniam tui memini ex quo te „ didici, & in ea te invenio quum recordor te.

9. Cap. XXVI. „ Ubi ergo te inveni ut discerem te? Neque enim „ jam eras in memoria mea priusquam te discerem. Ubi ergo inveni „ te ut discerem te, nisi in te supra me? & nusquam locus, & re„ cedimus, & accedimus, & nusquam locus. Ubique veritas præsides „ omnibus consulentibus te, simulque tu respondes omnibus etiam di„ versa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes „ audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod vo„ lunt audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur „ hoc a te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod a te „ audierit.

10. Cap. XXVII. „ Serò te amavi pulchritudo tam antiqua & tam „ nova, serò te amavi. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quæ„ rebam, & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum „ eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quæ si in „ te non essent, non essent. Vocasti & clamasti, & rupisti surdita„ tem meam. Corruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. „ Fragrasti & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustavi, & esurio, & „ sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

11. Cap. XXVIII. „ Quum inhæsero tibi ex omni me, nusquam mihi „ erit labor & dolor; & viva erit vita mea, tota plena te. Nunc „ autem quoniam quem tu imples, sublevas eum, quoniam tui ple„ nus non sum, oneri mihi sum ..... Medicus es, æger sum. „ Numquid non tentatio est vita humana super terram? Quis velit „ & difficultates? Tolerari jubes ea, non amari. Nemo quod tolerat

„ amat,

„ amat, etsi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, ma-
„ vult tamen non esse quod toleret.

12. Ex his cedro dignis Divi Augustini verbis, liquidò eruitur, ideam beatitudinis, & veritatis, nonnisi ab ipso Deo, qui beatitudo & veritas est, memoriæ nostræ, nimirum animæ fuisse donatam; qua proindè idea nunquam anima spoliari potest, nisi a Deo qui illam indidit. Potest tamen homo vivens hanc ipsam ideam pro sua stultitia in aliena convertere, quæ nec firmiter vera sunt, nec se meliora, ac proinde non possunt rationalem creaturam efficere beatam; cujus demùm ideæ abusu eò ducetur, ut post hujus vitæ instabilium bonorum falsum gaudium, cujus extrema luctus occupat (Proverb. 14. 13.) vero Dei gaudio orbetur; atque indeficiens desiderium beatitudinis amissæ, æternum fiat ipsi supplicium. Quis autem audeat dicere, justos antiqui testamenti, veram haud cognovisse beatitudinis essentiam, gaudium nimirum de veritate, atque ad eam per caritatem, quæ justitiam operatur, non anhelasse: sæpiùs de David testante Scriptura, quòd in conspectu Dei ambulaverit, mandata omnia custodiens & præcepta? (3. Reg. 11.) Insuper quis non fatebitur, eos firma credidisse fide, nullum hominem in hac vita caduca beatitudinem posse obtinere, dum Elias tanta anxietate exorabat Dominum, ut tolleret animam suam? (3. Reg. 19.) Nonne justi & præcepta servabant, & mortem corporis exoptabant, meliora expectantes?

13. Quum igitur ex hujus consecutione beatitudinis verum gaudium animæ pendeat; quomodo gaudere poterant illæ, quæ ab intimo desiderio exercebantur beatitudinis consequendæ, sine interim amoto desiderii sui? Apertissimè enim S. Augustinus docuit, nullum rationalem animum molestias & difficultates velle: eas autem dum accidunt, & animo insunt, tolerari jubere Deum, non amari. Neminem autem amare quod tolerat, quamvis humili subjectione tolerare amet, quæ tolerat. Itaque, quamquam homo superna prospiciens, gaudeat se tolerare, Dei voluntatem in se & per se compleri desiderans: mavult tamen non esse quod toleret. Hinc miserum quemque esse dum tolerat, perspiquum est. Gaudium verò tolerantiæ conjunctum, tolerantiæ pœnam non minuere, patet; sed justum Deum, qui tolerantes respicit, & patientiæ coronas reddit, de sua justa voluntate laudare. Ideo sancta Scriptura, indicit, *Spes, quæ differtur, affligit animam*. (Prov. 13. 12.) Non quia spes, quæ de bono futuro est, causa afflictionis intelligatur: sed quia adeò non vincit dolorem ex dilatione sperati boni necessariò manantem, ut dolor non sit, donec ipsa spes a re præsente absorbeatur.

14. Igitur Divus Thomas, hunc Scripturæ textum applicans animabus in sinu Abrahæ receptis sapientissimè docuit eas interim affectas fuisse vero dolore, quando ex S. Augustini mente scripsit, quòd *lacrymabili obsecratione* Christum orabant, ut ad se è pœnis eruendas tan-
dem

dem descenderet (3. p. q. 52. ar. 2.) Multò autem plura addidisset, tum ad causam, tum ad effectus veri doloris significandos si juxta phrases sermonis de Tempore 137. (quem Augustinianum credidit, & a quo hæc pauca excerpsit) illarum animarum statum prolixiùs exponere suscepisset.

15. Nec huic intelligentiæ obest textus Apostoli (Rom. 12. 12.), Romanos adhortantis, ut *spe gaudentes* sint. Hoc enim gaudium adeò miserias hujus vitæ non vincit, & justarum animarum a corpore separatarum anxietatem non tollit: ut immò statim subdat Apostolus, *in tribulatione patientes*. Docens nimirum, ob hoc gaudium a sapienti spe in eorum cordibus nutritum, non tribulationes abscedere, ne crucient; sed illud præstari, ut certi de futuris gaudeant, atque ideo patientes in tribulatione persistant. Et quia spes consequendæ mercedis, facit ut patienter præsentem sustineamus angustiam: ideo veracissimè dicimus, animas Deum diligentes Dei amati absentiam etiam cum gaudio sustinere, quantum ad manifestationem attinet sui ipsius. *Tribulatio enim* ex eodem Apostolo (Rom. 5. 4.) *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis*. Ideo supra dixerat: *Et gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei: Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus*; per has enim gressus patet membris in gloriam, ad imitationem capitis. Apposite S. Augustinus. „ Non tardat, inquit, Dominus promissum. „ Modicum & videbimus eum, ubi jam nihil rogemus, nihil interro- „ gemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum late- „ bit. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; „ quum finitum fuerit, tum sentiemus quàm modicum fuerit. Non „ ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est: „ Mundus autem gaudebit. Nec tamen in hujus desiderii parturitio- „ ne sine gaudio tristes simus; sed sicut ait Apostolus: Spe gauden- „ tes, in tribulatione patientes: quia & ipsa parturiens, cui compara- „ ti sumus, plus gaudet de mox futura prole, quàm tristis est de „ præsenti dolore. (2. p. 3. Tom. Tract. 101. in Joh. n. 6.) Hac igitur spe recreati Apostoli sancti, *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*: (Act. 5. 41.) Nec ideò corporalis passionis vim, qua probari meruerunt, minori eos sensu pertulisse rectè diceremus. Nam & ipsa parturiens, quam S. Augustinus dicit plus gaudere de mox futura prole, quàm tristem esse de præsenti dolore; adeò tamen damnationis suæ pœnam experitur in partu, ut de ea dicat Evangelium: *Mulier quum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus*. (Joh. 16. 21.) Vera itaque copulatur afflictio firmissimæ Christianorum spei, & dum in corpore pro futura militant gloria, & dum extra corpus adhuc futuram certissimè expectant; donec spes, qua sustentantur, in rem procedat ardentibus votis concupitam. Nec gaudium illud, quod veluti in eadem spe inveniri legimus,

tormentum aufert tribulationis; sed ideo in anima oritur, quia non in cassum nos perpeti quæcumque patimur, tota fide sentimus. Hinc idem Apostolus, qui in futura promissa tanta fiducia prospiciebat, interim gemens exclamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7. 24.)

16. His me jam monstrasse confido, verum doloris fontem separatarum quamvis justarum animarum, donec earum sapiens desiderium in possessione, & fruitione ipsius Dei conquiescat, quin gaudium, ex spe futuræ gloriæ productum, earumdem præsentem temperet amaritudinem. „ Quantò enim, ut Augustinus ait, sunt caritati futura „ meliora, tantò sunt infirmitati violentiora præsentia. (2. Tom. epist. „ ad Anast. 145. aliàs 144. n. 2.). Infirmum autem eum esse, qui nondum in fortitudine Dei requiescit, palam est.

17. Præterea sanctas illas animas haud experiri potuisse tale gaudium, quo veritas hujus doloris vinceretur, ex eodemmet Divo Thoma colligo. Quærens si quidem (2. 2. q. 28. ar. 1.) Utrum gaudium in nobis sit effectus charitatis, ait: „ Ex amore procedit gaudium, „ & tristitia, sed contrario modo. Gaudium enim ex amore causa„ tur, vel propter præsentiam boni amati, vel etiam propter hoc, „ quod ipsi bono amato proprium bonum inest, & conservatur. Et „ secundum hoc maxime pertinet ad amorem benevolentiæ, per quem „ aliquis gaudet de amico prosperè se habente etiamsi sit absens. E „ contrario autem EX AMORE SEQUITUR TRISTITIA vel PROPTER AB„ SENTIAM AMATI, vel propter hoc quòd amatum, cui volumus bo„ num, suo bono privatur, vel aliquo modo deprimitur. Charitas „ autem est amor Dei, cujus bonum immutabile est, quia ipse est „ sua bonitas. Et ex hoc ipso quòd amatur, est in amante per no„ bilissimum suum effectum; secundum illud Joh. 4. Qui manet in „ charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et ideò spirituale gau„ dium, quod de Deo habetur, ex charitate causatur. „ Postrema Sancti Doctoris verba nos admonent, ut de separatarum animarum caritate in Deum loquentes, duos tantùm ejusdem caritatis effectus consideremus; vel gaudium a præsentia, vel tristitiam ab absentia secundùm manifestationem objecti amati. Quumque Deus, juxta Divum Thomam, ab animabus sinus Abrahæ dubio procul abesset, secundùm revelatam & beatificam præsentiam suam: consequens ipsis erat, non gaudium, sed tristitia, pœnas illas producens, quibus levandis Christum descendisse docet (p. 3. q. 52. citata). Tristitia namque & dolor, ut ipsemet perpendit (p. 1. q. 113. ar. 7.), non est nisi de iis, quæ contrariantur voluntati. Quòd si ex parte propriæ bonæ voluntatis cruciabantur justi illi in absconditum objectum anxiè tendentes, & de hac invisa privatione dolentes: idem cruciatus minùs atrox non evadebat ex parte Dei. Adeò enim nullo modo Deus eorum doloribus medebatur; ut iisdem animabus applicari contendat D. Thomas (ut infra videbimus) verba glossæ interlinearis, *Tu eos libera-*

berasti, qui tenebantur vincti carceribus, ubi nulla misericordia eos refrigerabat. Non itaque rectè misceri puto indubios ex hoc fonte cruciatus, gaudio illi magno quod simul, commemorat, Doctor Angelicus; quatenus hoc gaudium veracissimos illorum cruciatuum effectus infirmet. „ Est enim gaudium, quod non datur impiis, ut supra ex S. Augustino legimus, sed iis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu „ ipse es. Et ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, „ ipsa est & non alia. „ Sed quia S. Augustinus quæstionem hanc fusiùs alibi tractat: inutile non erit, ejusdem mentem abundantiùs inquirere. Sit igitur.

CAPUT QUINTUM.

Qui beatus non est, miser & egens est ex S. Augustino.

I. „ Beatè certè omnes vivere volumus, ait S. Augustinus (1. Tom. „ de Morib. Eccl. cath. l. 1. c. 3.), nec quisquam est in „ hominum genere, qui non huic sententiæ, antequam plenè sit „ emissa, consentiat. Beatus autem, quantùm existimo, neque ille „ dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit: neque qui „ habet quod amat si noxium sit: neque qui non amat quod habet, „ etiamsi optimum sit. Nam & qui appetit quod adipisci non potest, „ cruciatur; & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; & „ qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem „ istorum animo contingit sine miseria. NEC MISERIA ET BEATITUDO IN HOMINE UNO SIMUL HABITARE CONSUEVERUNT. „ Ut autem evidentiùs legenti pateat miseriam continuò illum sequi, qui beatus non est: Sancti Patris pulchetrima atque robustissima argumenta, quæ 1. Tom. in libro de *Beata vita* persequitur, repetere juvat.

2. Tribus quæstionibus liber hic dividitur juxta numerum dierum, quibus ipse de hac re singillatim cum matre, & fratre, & amicis sermonem habuit. Prima igitur die de hominum ad beatitudinem communi appetitu differentes, consensere, illum hominem esse beatum, qui habet quod vult, si tamen bona velit. Quumque bona velit & non habeat, continuò miserum esse; itemque si ea quando vult, & quamdiu vult non habet. Sed quoniam quidquid mortale & caducum est, non potest a nobis quando volumus, & quamdiu volumus haberi: consequebatur, solum Deum æternum, & semper manentem, qui nobis invitis, nobis ipsis abripi non potest, beatum facere hominem, qui eum habeat. Quis autem hominum Deum habeat inquirentes, alii eum dixere, qui quæ Deus vult fieri, opere complet; alii qui benè vivit. Puer verò Adeodatus, qui inter illos erat, super ceteros acutiore dixit ingenio, illum scilicet habere Deum, qui spiritum immundum non habet. At quia duo prima in idem consentire meritò videbantur, tertium maturiore diligentia, altera die consideraverunt.

 3. Igi-

3. Igitur statuerunt illum non habere spiritum immundum, qui castè viveret, hæcque castitas, non ab illicitorum dumtaxat temperantia dicta est, sed illum verè castum definiebant, qui Deum attendit, & ad ipsum solum se tenet. Et quia hoc non potest nisi benè vivat, & quæ Deus vult faciat: tribus recitatis sententiis idem contineri fassi sunt omnes. Quoniam verò dum in hac mortali carne sumus, Deum quærimus, & qui quærit non habet: consequebatur, eum etiam qui benè vivit, Deum non habere; quærit enim ad quem nondum pervenit. Consenserunt itaque, bene viventem hominem, Deum habere propitium; malè autem viventem, infestum. Sed quia contra primam beatitatis definitionem, ille etiam beatus censendus videbatur, qui nondum haberet optatum: demum definitum est, quòd omnis, qui jam Deum invenit, & propitium habet, beatus sit; omnis autem qui Deum quærit, propitium quidem Deum habeat, sed nondum sit beatus. Qui autem beatus non esset, miserum continuò esse quum prima die concessissent: consequebatur, esse miserum etiam hominem, qui propitium habet Deum, donec illum invenerit; hunc enim, quum adhuc quærit, beatus non est: hocque ad tertiam disputationis diem discutiendum reservarunt.

4. Consenserant autem præcedentibus diebus, nihil aliud esse miseriam quam egestatem; atque ideò eos omnes miseros esse, qui egent. Sed utrum etiam omnes miseri egeant, nonnulla quæstio erat. Hoc itaque investigandum proposuerunt, quo invento, perfectissimè demonstratum esset qui sit beatus; erit enim ille, qui non egeat. Quum enim omnis non miser, beatus sit: beatus erit, qui egestate careat; si quam dicimus egestatem, eamdem miseriam esse constiterit. Egere autem hominem etiam locupletissimum, & omnibus his terrenis bonis abundantem, præclarum est. Si enim ea metuit amittere, in ipsa possessione miser est. Eget enim sapientia, qua istis, quæ pendula & nutantia bona sunt, imperet animus. Neque unquam imperabit; nisi sapientiæ institutis imbutus intelligat, nec nostro timore, nec ullis humanis solicitudinibus hæc adeò firma evadere posse, ut nullo modo, nobis etiam invitis, a fortioribus non abripiantur. Si autem possessa amittere non timeret, quia stabilia crederet, quum nutantia sint: continuò miserior esset. Altiore quippe stultitia demersus, ea firma, & stabilia putaret, quæ omnino infirma atque instabilia sunt. Omnis igitur, qui caret sapientia, magnam patitur egestatem qui autem aliquo eget, miser est: unde fit, hominem sapientiæ compotem, nihilo egere, proindeque beatum esse. Egestati enim nullum nomem accommodatius opponitur, quam plenitudo. Nam sicut egestas non habendi nomen est; ita plenitudo habere significat; atque ideo esse, & non esse his duobus nominibus convenientissimè demonstratur. Quum verò plenitudo in modo consistat, nam vel parum vel nimium obnoxium est egestati: sapientiam esse plenitudinem consensere, qua qui compos est, nihilo eget, & proinde beatus est.

5. Quæ

5. Quæ sit autem Sapientia quum quæreretur: eam esse confessi sunt, quæ Dei Sapientia est; ipsa enim & veritas est. Accipimus enim auctoritate divina, Dei Filium nihil aliud esse quàm Dei Sapientiam, & est Dei Filius profectò Deus. Deum habet igitur quisquis beatus est. „ Sed tamen quamdiu quærimus, subjicit S. Augusti„ nus, nondum ipso fonte, atque ut illo verbo utar, plenitudine sa„ turati, nondum ad nostrum modum nos pervenisse fateamur: & „ ideò, quamvis jam Deo adjuvante, nondum tamen sapientes ac „ beati sumus. Illa est igitur plena satietas animorum, hæc est vita „ beata, piè perfectèque cognoscere, a quo inducaris in veritatem, „ qua veritate perfruaris, per quid connectaris summo modo (n. 35.) Quod quartum illud efficit in memorato libro & loco de Moribus Ecclesiæ Catholicæ propositum: „ Quartum inquit restat, ut video, ubi „ beata vita inveniri queat, quum id, quod est hominis optimum, „ & amatur, & habetur; QUID ENIM EST ALIUD QUOD DICIMUS „ FRUI, NISI PRÆSTO HABERE QUOD DILIGIS? Neque quisquam bea„ tus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum; nec quis„ quam, qui eo fruitur, non est beatus. „ Quum igitur pateat, nullum hominum in hac mortali carne ad hanc perfectam Dei cognitionem, & fruitionem posse pervenire, quod hominis optimum est: meritò mundus hic egestatis, & miseriæ regio nuncupatur; a qua ut eripiamur, fusis ad Deum præcibus, beatam vitam deprecamur, quam in hujus mundanæ egestatis fine incipere cognoscimus.

6. Si ergo Sanctos Patriarchas atque Prophetas hæc ipsa intellexisse nulli dubitare licebit; finem etiam vitæ hujus eos appetisse inficiari non poterit. Qui si mundo sublati Deum non videbant, in eadem egestate erant, quam patiebantur in mundo; neque enim tunc habebant, quod habere cupiebant, proindeque beati non erant: ergo ex probatis miseri erant & cruciabantur. Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur. Huic tamen statui antiquis sanctis tribuendo apertissimè obsistit quod habemus in Psalmo (15.) *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum*. Quam inopiam si perseverantem putemus; tanto ferventiore dolore eos excruciasse necesse est, quanto firmiore intellectu, & caritate, privationis pondere premebantur. Anima namque nullis tunc corporum illecebris aut vinculis impedita, firmiore nisu in æterna provehitur, & finem suum ardentissimis appetit votis; quo fine dum se orbatam invenit, nonnisi maximo dolore percellitur. Hæc enim pœna damni est, cujus pondus sequentibus examinabimus.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Privatio visionis Dei pœnam maximam damnatorum efficit; ejusdemque pœnæ causa, & differentia in quatuor classibus damnatorum.

1. POEnam damni in privatione visionis Dei consistere pro rationalibus creaturis, quæ sint in termino, magno consensu omnes docent Theologi. Confitentes enim quod vera fides habet, visionem Dei sicuti est, beatitudinem efficere; quam qui obtinet spiritus, plenitudine gaudii repletur, quia Deum perfectè noscit, eoque fruitur: ita maximam noverunt egestatem, & miseriam eorum, qui ab hoc gaudii unico fonte alienantur; a bono enim deficiunt, propter quod facti sunt, & quo solo impleri possunt, & perfici. Hujus pœnæ efficaciam S. Augustinus exponit 6. Tom. Enchiridii capite 112. n. 29. Postquam enim in præcedenti docuerat, post resurrectionem, facto universorum completoque judicio, suos fines habituras civitates duas, unam scilicet Christi, alteram diaboli, unam bonorum, alteram malorum, utramque tamen & Angelorum & hominum; illis in æterna vita verè feliciterque viventibus: istis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus: hæc addit. „ Frustra itaque nonnul„ li, immò quamplurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus „ sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita „ futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversan„ do, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem fle„ ctendo sententiam, quæ putant in eis terribiliùs esse dicta quam „ verius. *Non enim obliviscetur*, inquiunt, *misereri Deus, nec continebit* „ *in ira sua miserationes suas*. (Ps. 76. 10.) Hoc quidem in Psalmo „ legitur sancto: sed de iis sine ullo scrupulo intelligitur, qui vasa „ misericordiæ nuncupantur, quia & ipsi non pro meritis suis, sed „ Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existi„ mant pertinere, non ideò necesse est, ut damnationem opinentur „ posse finiri eorum, de quibus dictum est. *Et ibunt isti in supplicium* „ *æternum*: ne isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas „ etiam illorum de quibus, e contrario dictum est, *Justi autem in vi*„ *tam æternam*. (Matt. 25. 46.) Sed pœnas damnatorum certis tem„ porum intervallis existiment si placet, aliquatenus mitigari. Etiam „ sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est ipsa dam„ natio (hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio) „ ut in ira sua, hoc est manente ira sua, non tamen contineat mi„ serationes suas; non æterno supplicio finem dando, sed levamen „ adhibendo vel interponendo cruciatibus. Quia nec Psalmus ait ad „ finiendam iram suam, vel post iram suam, sed *in ira sua*. QUÆ SI „ SOLA ESSET QUANTA IBI MINIMA COGITARI POTEST; PERIRE A RE„ GNO DEI, EXULARE A CIVITATE DEI, ALIENARI A VITA DEI, CA-

„ RERE

„ RERE TAM MAGNA MULTITUDINE DULCEDINIS DEI, QUAM ABSCONDIT TIMENTIBUS SE, PERFICIT AUTEM SPERANTIBUS IN SE, TAM GRANDIS EST POENA, UT EI NULLA POSSINT TORMENTA QUÆ NOVIMUS COMPARARI, SI ILLA SIT ÆTERNA, ISTA AUTEM SINT QUANTUMLIBET MULTIS SÆCULIS LONGA. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, idest ALIENATIO A VITA DEI, ET OMNIBUS ERIT IPSA COMMUNIS; qualibet homines de varietate pœnarum, de dolorum relevatione, vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur: sicut manebit communiter omnium vita æterna sanctorum, qualibet honorum distantia concorditer fulgeant. „

2. Hæc probè demonstrant, pœnam damni adeò præcipuam inferni rationem efficere; ut non desineret esse lacum miseriæ, desperationis & egestatis perpetuæ; quamvis daretur, pœnas sensus, ad quas intendit S. Pater, vel ex intervallo mitescere, vel etiam post quamtumlibet longa sæcula cessaturas.

3. Hinc admonemur, ideas Dei veluti ultimi finis omnium rationalium creaturarum, & beatitudinis ab illius fruitione manantis, innatas esse; animamque nostram, impedimentis corporum remotis, earum mensuram pondusque sentire. Nec audiendos eos puto, qui meris philosophorum inventis innixi contendunt, animas hominum nullas ideas innatas habere, sed quascumque habent, a corporis sensibus mutuare. Etenim quum indubium sit, infantium animas, quæ sine Baptismo decedunt, pœnæ damni incommoda, quantacumque sint, fore experturas: postulo, unde Deum noverint, regnique ejus gaudia, & civitatis Dei dulcedinem, quem esse non audierunt, & cujus præmia experientia non didicerunt, cujus tamen alienatione & amissione punientur? Nam si animæ has ideas inesse nolunt: vel hinc eam puniri negabunt; vel animam tunc eas acquirere ostendendum est, quum a corpore per mortem recedit. Quum verò confiteri cogantur, nonnisi a Deo has illis tunc imprimi posse, & non per sensus corporis, quod deposuerunt, acquiri: meliori jure in creatione animæ infusas fuisse agnoscerent, nisi suarum amore speculationum impedirentur. Quod enim prohibet quominùs pœnam intelligamus separatarum animarum infantium: idem pariter obstat, ne communem firmumque hominum consensum in nondum expertam beatitudinem explicemus, de quo Cap. IV., & V. D. Augustinum tam solidè disputantem audivimus.

4. O utinam non sine Theologicarum veritatum præsidio, ad philosophicas meditationes homines accederent; ne quædam systemata vera crederentur humana speculatione, quæ divina franguntur auctoritate. Puduisset sanè Du-Vigierium monstrosæ fabellæ, qua peccati originalis propagationem in filiis Adæ, physicis quibusdam adinventionibus explicare aggressus est; nec loco excusationis putasset confiteri, se Theologicas disciplinas ignorare. Harum nempè ignorantia admonebatur, ne ultra crepidam sutor excederet. Miror autem quibusdam nostris tales libros in deliciis esse, ex quorum principiis hæc absurda

descen-

descendunt ; atque talium auctoritate scriptorum, Sancti Patris Augustini philosophicis præscribi doctrinis, quæ nunquam a Theologica veritate dissentiunt. Cujus Opera si tamdiu nostri legerent, quamdiu in iis versari gloriantur, quæ Ultramontana libertas Italiæ nimis avidæ ministrat: melius fortasse res Philosophicæ cum Theologicis convenirent; & Ecclesiasticis studiis magnum lucrum accederet.

5. Sed ad rem. Privatio igitur visionis Dei a rationali creatura ut sui ultimi finis cogniti, infelicissimam efficit animam; nec huic miseriæ aliter subveniri potest, nisi revelata præsentia ipsius Dei, quæ extemplò animam efficeret felicissimam. Quæcumque igitur anima huic egestati subjacet, infelicissima est. Quamobrem qui essentiam pœnæ damni rectè scrutantur, optimè cum Ecclesia dicunt, purgantes animas inferni doloribus cruciari: in hac enim tribulatione interim sunt etiam æternùm damnatis communi. Quia verò has inter & æternum damnatas aliquid distare necesse est: haud inutile opinor, originem modumque hujus pœnæ diligentiùs indagare; eamque pro modulo meo explicare. Ab æternum damnatis exordior.

6. Angelorum creationis privilegia contemplans S. Augustinus, ut omnia paucis redderet, Deum dixit eorum condidisse naturam, gratiam una simul impertiendo. Quid autem nomine gratiæ intelligendum sit, si petatur: cum eodem Sancto Patre respondeo, esse *voluntatem bonam*. Si rursus requirant, quid ista sit, *amorem castum* cum illo dico. „ Et istam inquit (voluntatem bonam) quis faceret nisi „ ille, qui eos cum bona voluntate, ideſt cum amore casto, quo illi „ adhærerent creavit, simul eis & condens naturam, & largiens gra„ tiam. (7. Tom. de Civit. Dei l. 12. c. 9. n. 2.) Sanctam hanc dilectionem largitum esse Deum istis spiritibus fideliter credo: quam custodientes, in gratia confirmarentur, quamque violantes, casto amore in æternum orbarentur, sine fine in ira Dei, ideſt in damnatione mansuri. Liberum idcircò iis fuisse ab hac inspiratæ dilectionis gratia & bona voluntate deficere, non dubito; ut ad se conversi, & amoris proprii suggestionibus auscultantes, uni Deo adhærere nollent amore sancto; in se ipsis excitantes vim amoris proprii inspirata divina dilectione majorem, & se proinde magis quàm Creatorem Deum diligentes, cui subjecti esse, magna inflati superbia propriæ excellentiæ, noluerunt. Malæ igitur voluntatis facti, quum a bona deficere voluere; sancta hac dilectione, quam spreverunt, spoliati, amoris proprii tyrannidi justè dimissi sunt; atque hinc ab æterna felicitate, quam aliquo modo gustaverant depulsi, inferni tormentis sunt adjudicati.

7. Ex his constat, Dæmones non alio amore torqueri quàm proprio. Divina siquidem jamdiu inspirata dilectione orbati, Deum diligere casto amore non possunt; a se ipsis enim hanc acquirere dilectionem semel amissam, spretamque non valent. VOLUNTAS ENIM BONA, ut S. Augustinus, ait NON REDDITUR PERDITA, NISI AB ILLO, A QUO EST CONDITA (10. Tom. Lib. 5. op. imper. n. 61.). Deum igitur

igitur consequenter oderunt quàm maximè, juxta illud Psalmi (73. 23.) *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*. Vellent enim, si possent, non esse Deum, aut ipsum destruere, ut impunè liceret de malè concupita propria excellentia, in mala voluntate gaudere. Cognoscentes autem, non aliunde quam in illo rationalem creaturam benè posse subsistere; miserrimè verò se vivere sine illo experientes: desperatione summi boni, quia exoptatis commodis suis adversi, & propriæ immortalitatis certa notitia, infelicissimè tabescunt & furunt. Hujus pœnæ vim malefactorum conscientia adauget, non ut salutarem de ipsis pœnitentiam agant (nec enim ad Deum converti, Deo aversi, jam possunt); sed ut peccati vel breve gaudium, vel inutile tentamentum, tanto majori tormento compensari persentiant. Memoria igitur & invisa præsentia propriæ perversitatis, quam obscurare vel deperdere non valent, dæmonem a dæmone in pœna discernit, plus minusve pro malitiæ mensura eos torquente conscientia.

8. Pœnas damnatorum hominum hinc probè metimur. Adæ enim creato hanc sanctam castamque dilectionem largitus est Deus, UT COGNITA SANCTO AMORE FACERET, QUÆ PROPRIE GRATIA EST. Scilicet etiam de eo pronunciavit S. Augustinus (10. Tom. lib. 5. op. imp. n. 61.) „ Cum bona voluntate factum esse hominem; „ & 7. Tom. lib. 14. De Civit. Dei, cap. 11. „ Fecit Deus, inquit, sicut „ scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ; „ non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. „ Nihil autem aliud Sancto Doctori est bona voluntas, quàm caritas seu dilectio. Peculiaris Sancto Augustino est ista phrasis, ut id quod nos volitionem dicimus, ex latinissimorum auctorum usu, voluntatem vocet. Hoc abundantissimè ostendit doctissimus, mihique semper colendissimus Vir Domnus Celsus *Migliavacca*, Abbas S. Celsi apud Mediolanum, aliàs autem Congregationis suæ meritissimus Præses in suis Animadversionibus adversus celebrem Historiam Theologicam, Lucæ impressis anno 1750; tum in altero libro cui titulus *Difesa delle Animavverfioni* eodem anno vulgato; tum in aliis opusculis, quibus essentiam & veram gratiæ notionem ex Augustino acriter vindicavit. Viro huic insigni, & Augustinianæ doctrinæ peritissimo atque amantissimo, multa debeo; nec postremum istud est, quòd, licèt magnis distentis curis, & gravi pressus ætate, hæc mea legere voluerit, & tenuitati meæ sua approbatione addere vires. Adæ igitur, cui breve, & facile, unumque præceptum dederat Dominus, non comedendi de vetito ligno, amorem proprium suggessisse ut comederet, satis novimus: quæque ex hac transgressione & illi & nobis acciderint, scimus, ac experimur. Liberè autem offerenti mulieri paruisse, non dubium est; sicuti illa priùs tentanti diabolo, quia voluit, obtemperavit; unde colligamus ab amoris proprii mensura amorem sanctum fuisse superatum, quo a Deo ambo ornati fuerant; & primos hominum parentes, tantam gratiam amisisse, dum in vetitum ruere non

hæsitarunt. Misericordem autem Deum, amoris sui donum primis hominibus, aliena tentatione, licèt propria voluntate peccantibus, denuò largitum fuisse, cognoscimus ex iis, quæ de Adamo supra perpensa ab Augustino sunt. Dum enim Adam & Eva secum (ut Sanctus Pater innuit 10. Tom. de Peccat. mer. & remiss. l. 2. c. 34. n. 55.) in Purgatorio adhuc fuerint, quum Christus in inferna descendit; cujus sanguinis pretio inde eruti & liberati sunt: patet, eos de peccato suo sanè magno pœnitentiam in mundo egisse. Quam quum salutariter agere non potuissent, nisi Deum ut justitiæ fontem, & super omnia diligendo, atque peccatum suum detestando, quia Deo injurium & odiosum: constat, hanc supernaturalem dilectionem ab eodem Deo ipsis fuisse conlatam, qua & converterentur, & rectè viverent, atque in unione sanctæ hujus caritatis mundo decederent; temporalem pœnam delictis suis debitam, tanto tempore soluturi, secundùm divinum justumque judicium.

9. Cujus tam diuturni supplicii si humano sensu quispiam misereretur; duriusque appareret, dum ad Adæ veram in hac vita pœnitentiam adtendit, nec non Domini misericordiæ per sacrificia etiam tunc placati meminerit, immò Abrahæ & aliis pluribus gloriam etiam tunc ex mea sententia largientis: perpendat quæso quæ S. Augustinus de peccatorum pœnis edocuit. „ Qualis autem, inquit, & quanta pœna „ cuique culpæ debeatur, divini judicii est non humani: quæ utique „ & quum conversis remittitur, magna est bonitas apud Deum; & „ quum debita redditur, nulla est iniquitas apud Deum. „ (8. Tom. De natur. boni contr. Manich. c. 9.) Liberavit idcircò Dominus Adam a pœna peccatis suis debita, quando eorumdem reliquias satis abstersas agnovit: atque utinam hoc terribile exemplum homines a peccatis absterreat, quorum supplicium tot seculis a justo Domino sumi jam vident.

10. Certissimum est, hanc sanctam caritatem singulis filiis Adæ largiri misericorditer Deum, quos sacro fonte Baptismatis abluit. Cujus gratiæ munere illi benè vivunt, qui ætatis, & propriæ actionis beneficio fruuntur; ii verò coronantur, quos ante rationis usum Divina miseratio rapit e mundo. Qui autem tanto beneficio ingrati, ad hæc mundana & ludicra conversi, hanc gratiam amittunt: vel eam gemitibus in Sacramento pœnitentiæ denuò impetrant; vel in peccatis morientes eadem privatur in æternum.

11. In infernum igitur depulsi, & amandi gratis Deum facultate sublata: amoris proprii, cum quo decesserunt, desideriis vitiosis derelinquuntur; Deum serò intelligentes felicitatis fontem, a quo se alienos in æternum sciunt & dolent, omnium peccatorum suorum invisa imagine pressi, & tormentorum inutili impatientia tabescentes; quorum vis eo magis augetur; quò magis beneficiorum Dei recordantur, quibus in vita fuere prosecuti.

12. Inde intelligere mihi videor, quomodo remissius erit in judicio

cio Tyro & Sidoni, juxta prædictionem Domini in Lucæ Evangelio (10. 14.) quàm Hebræis, qui signa & prodigia, quæ faciebat conspexerunt. Inde pariter quomodo mitissima pœna punientur, juxta S. Augustinum, infantium animæ, absque baptismo decedentium, de quibus mox.

13. Plus igitur omnibus peccantibus diabolus punietur, qui etiam princeps peccati in Scripturis appellatur: quia nullo suadente, propria cogitatione, ut Augustinus docet, (1. Tom. de lib. arb. l. 3. c. 10.) graviùs peccavit . „ Hoc enim explicatur , ait Sanctus Pater (1. „ Tom. de Gen. contr. Manich. l. 2. c. 17. n. 26.) his verbis: *Ite* „ *in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, quibus in eum profertur „ sententia: & inde major pœna, quia de hac tam infelici potestate „ lætatur, qui solebat antequam caderet, de sublimi veritate gaude- „ re, in qua non stetit. „ Quantò igitur majora in eum fuere divina beneficia, tantò perversior ejus a Deo aversio; eòque acerbiùs ex bonorum recordatione cruciabitur in comparatione præsentium malorum, & in inflexibili mala voluntate.

14. Minùs diabolo plectetur peccator homo aliàs in gratiam admissus, quia Eva primùm diabolica fraude & tentatione peccavit. Adam verò, licet non serpentino dolo seductus, tamen „ amicali qua- „ dam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne mu- „ lier contristaretur, pomum comedit. „ (1. p. 3. Tom. de Genes. ad litt. lib. 11. c. 42. n. 59. Vide 7. Tom. de Civit. Dei l. 14. c. 11. n. 2.) Quamobrem occasio diversa, & qualitas transgressionis, multò minoris proterviæ primos homines accusant; quos clementissima reparatione pietas Dei recreavit, quam Diabolo & angelis ejus noluit impertiri. Quare si ex qualitate delicti, pensemus aversionem a Deo, quæ delictum inchoavit, & consecuta est: minùs a Deo aversa facta est hominis anima, quàm diaboli spiritus, qui eo, qui summè est, ut S. Augustinus docet (1. Tom. de vera Relig. cap. 13. n. 26.) jam fruebatur, atque intolerabili superbia triste in eum extulit caput. Consequens porrò erat animæ etiam hominis in Deum aversio, quum a caritate, in qua creata est, impiè descivit: sed pro qualitate conversionis in se ipsam, minor tamen. Hanc doctrinam ab Augustino didici, qui 1. Tom. l. 3. de lib. arb. cap. 10.; postquam docuit, duas esse origines peccatorum, una scilicet ex spontanea cogitatione, altera ex aliena persuasione: „ Utrumque volunta- „ rium, inquit . . . . Sed tamen gravius est non solùm nullo sua- „ dente propria cogitatione peccare, sed etiam peccandum alteri per „ invidentiam dolumque suadere; quàm ad peccandum alterius sua- „ sione traduci . . . . . Et tamen quia minus peccaverat homo quàm „ diabolus, idipsum ei valuit ad reparandam salutem. „

15. Sed quoniam de primorum Parentum salute a misericordia Dei operata nonnisi cum jam damnatis ab Ecclesia Encratitis, atque aliis

 hære-

hæreticis dubitaremus (Vide S. Irenæum advers. hæres., & Pougetium Institut. Catholic. P. 1. Sect. 2. cap. 3. §. 20.); atque ideò qualitas scrutanda non est æternæ pœnæ eorum, qui cum Deo nunc sine fine gaudent: ad investiganda tormenta filiorum suorum convertatur oratio, qui ab hac infecta radice per pudendam concupiscentiam propagati, atque cum hac aversione a Deo, & propria mala voluntate in pœnam primi peccati nati sunt; & demum vel ex hoc uno, vel ex propriis superadditis delictis, cum diabolo aut nunc damnantur, aut imposterum damnabuntur.

16. Tolerabilior porrò damnatio hos manet, non solum ob minorem a Deo aversionem, qua illorum anima in dæmonum comparatione primò vitiata est; sed etiam ob majorem difficultatem, resistendi ingruenti innatæque concupiscentiæ; quamvis per diffusionem caritatis in Baptismo primùm, in Pœnitentia postmodum, amissam Dei amicitiam reparaverint. Quum enim indubium sit, gratiam Baptismi reatum quidem originalis peccati ad pœnam æternam delere; ignorantiam verò & difficultatem, quæ ejusdem peccati effectus sunt, in hominibus, dum hic vivunt, relinquere: hominis culpa tantò inferior est diaboli malitia quantò vel Dei cognitio imperfectior, vel natura ipsa fractior in homine invenitur. Qui porrò homines peccando, diabolum peccati patrem imitari possunt: diaboli verò perfidiam, protervium, superbamque malitiam, quantumvis impii, æquare non valent. Ex minore igitur in Deum aversione, minus punientur. Fatendum tamen est, damnatorum animas in illa æternitate pœnarum mirabiliter & excellenter punitum iri a memoria beneficiorum Dei. Siquidem recordabuntur, se in partem filiorum a divina clementia, tot millibus posthabitis, fuisse vocatas. Facilitatem perpendent, qua, Dei succurrente præsidio, quælibet gravia peccata vitare valebant. Dei patientia occurret toties vocantis, & ad pœnitentiam invitantis: tum misericordia tam sæpe parcentis. Denique aut inutile, aut semper vile gaudium patratorum delictorum contra se ipsos statuent; sincerum justorum gaudium a suis cruciatibus metientes. Hinc illæ voces sunt: *Dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis . . . . . Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius præcurrens. Sic & nos nati continuò desivimus esse: & virtutes quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* (Sapien. 5.) „ Erit enim ibi

„ pœni-

„ pœnitentia, ait S. Augustinus, sed infructuosa; erit ibi pœnitentia, „ sed dolorem habens, medicinam non habens. (5. Tom. Serm. 22. aliàs de Temp. 109. n. 3.)

17. Ex quibus inferre me posse opinor, quòd, quamvis pro semel dimissis peccatis, minimè puniendi sint damnati in inferno, quia misericors & justus Dominus ea adeò dimisit, ut nullo modo, quantum est in se, eadem imputare velit peccantibus: illorum tamen reminiscentia pœnalis damnatis fiat. Sin autem quispiam revocaret in dubium, num homo possit omnium delictorum recordari, quæ in vita commisit, licèt eorumdem veniam a Domino sit consecutus: satis erit Sancti Augustini Confessiones in medium afferre, ea omnia narrantis, quæ ex propria malitia patravit, usque dum salutari lavacro ablutus, eorumdem perfectam veniam a Domino obtinuit. Quæ igitur peccata Deus parcendo ita oblitus erat, ut eorum, juxta verba Scripturarum, non amplius recordaretur: eadem Augustinus Davidis secutus exemplum in gemitu amoris & horroris pleno contra faciem suam statuebat; clementissimum Dominum pro conlata misericordia humiliter exaltans.

18. Hanc memoriæ vim separatis animabus inesse non dubito. Nec mihi occurrit quomodo aliter intelligam librum omnia continentem, qui in peculiari & universali judicio cujuscumque hominis oculis patebit, a quo actorum suorum universam colligat seriem. „ Quædam „ vis est intelligenda divina inquit S. Augustinus qua fiet, ut cuique „ opera sua vel bona, vel mala, cuncta in memoriam revocentur, & „ mentis intuitu mira celeritate cernantur; ut accuset vel excuset „ scientia conscientiam; atque ita simul & omnes & singuli judicen-„ tur. Quæ nimirum vis divina libri nomen accepit. (D. Aug. 7. Tom. de Civitate Dei, lib. 20. cap. 14.) „ Quomodo enim in Sapientia describentur peccatores tam exactè commemorantes propriam superbiam, & vias difficiles iniquitatis, ac perditionis quas ambulaverunt, suamque jactantiam, & derisum in sanctos sibimet ipsis exprobrantes; nisi plenè meminerint præteritorum?

19. Aliud igitur est, Deum quorumcumque dimiserit non recordari, neque eadem in inferno sua justitia punire: aliud hominem, eorum etiam reminisci, quæ dimissa fuerunt; dum ab hac reminiscentia repetimus peccatoris angustias, a præteritorum memoria malorum procedentes; peccatoris, inquam, mente volventis divinæ misericordiæ aut præsumptionem aut spretum, quo delicta delictis cumulando, demum in ea ductus est, quorum reatum nunc portat, & in æternum portabit. Hoc siquidem ad illud tormentorum genus adtinet, quod Scriptura vocat vermem vivacissimum, cui ignis accedit inextinguibilis, quibus duobus damnati cruciabuntur in æternum. Istum itaque vermem si Deus in damnatis conservat, immò si post divisionem animæ a corpore ipsis reddit præsentissimum, faciens scilicet ut anima, impedimentis corporis depositis, in se ipsa inveniat exquisitam memoriam

riam criminum, quæ in corpore perpetravit: hoc iis imputandum est, qui inquinari voluerunt, non bono naturæ, quæ eorumdem imaginem non deperdit. Deus itaque vindictam de peccatoribus sumens, vermen delictorum, cum quibus decesserunt suscitari propriè vult, & sine fine servari: iniquitatum verò, quas ipse clementer dimiserat, memoriam in damnatis non impendit, quum tamen posset. Quorum peccatorum recordatione, sicuti quisque damnatus diuturnæ malitiæ suæ, & præteritæ Dei misericordiæ in se ipso convincitur; ita pro iisdem quoque, ipse sibimet ipsi fit pœna. Quantum autem est ad iram Dei, „ nequaquam negandum est, inquiebat S. Augustinus, etiam ipsum „ æternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum, aliis „ leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor „ pro pœna digna cujusque varietur; sive ipse æqualiter ardeat, sed „ non æquali molestia sentiatur. „ (7. Tom. De Civit. Dei l. 21. c. 16.)

20. Hinc explicatur, quomodo qui decem debitor est, tantumdem solvat, quantum scilicet ad exteriora tormenta, sicuti qui unum debet, totidem cruciatur. Interior verò angustia bifariam inspici potest ex dictis: scilicet considerando, vermem qui pro peccatis adhuc inhærentibus animam angit, quique sub ira Dei manet; atque vermem, quem anima transactos annos vitæ suæ in corpore recogitans, contra se ipsam suscitat, dum multitudo occurrit peccatorum, quibus clementiam Dei furiosè lacessivit. Hanc subesse memoriam diviti in flamma crucianti intellexit Abraham, dum dixit illi, *Memento quia recepisti bona in vita tua;* eamdemque servare se dives ostendit, dum quinque fratrum suorum adhuc in mundo degentium recordabatur.

21. Verùm quia istius peccata non fuisse ex dimissis quispiam rectè opponere posset, indeque fortasse contendere, memoriam de dimissis non probari: hanc etiam memoriam damnatis inesse aliunde confirmandum est. Divus Augustinus de æterna felicitate Sanctorum agens; „ Erit, inquit, illius Civitatis, & una in omnibus, & inseparabilis in „ singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bo- „ no, fruens indeficienter æternorum jocunditate gaudiorum, OBLITA „ CULPARUM, OBLITA POENARUM; nec tamen ideò suæ liberationis „ oblita, ut liberatori suo non sit grata. „ Quia verò hoc grati animi testimonium præcipuè elucere cognovit in illo perpetuo Sanctorum cantico, quo misericordias Domini juxta Psalmum (88) cantabunt in æternum: explicandum censuit, quomodo intelligenda sit, quam supra memoraverat, culparum pœnarumque oblivio; atque ita sequitur. „ QUANTUM ERGO ADTINET AD SCIENTIAM RATIONALEM, „ MEMOR PRÆTERITORUM, ETIAM MALORUM SUORUM; QUANTUM AU- „ TEM AD EXPERIENTIS SENSUM, PRORSUS IMMEMOR. Nam & peritissi- „ mus medicus, sicut arte sciuntur, omnes ferè morbos corporis novit: „ sicut autem corpore sentiuntur, plurimos nescit, quos ipse non passus „ est. Ut ergo scientiæ malorum duæ sunt, una, qua potentiam mentis non

„ latent,

„ latent, altera, qua experientis sensibus adhærent: (Aliter quippe sciuntur „ omnia vitia per sapientiæ doctrinam, aliter per insipientis pessimam „ vitam) ita & obliviones malorum duæ sunt. Aliter ea namque „ obliviscitur eruditus & doctus, aliter expertus & passus: ille si pe„ ritiam negligat, iste si miseria careat. Secundùm hanc oblivionem, „ quam posteriore loco posui, non erunt memores sancti præteritorum ma„ lorum; carebunt enim omnibus, ita ut deleantur de sensibus eorum. „ EA TAMEN POTENTIA SCIENTIÆ, QUÆ MAGNA IN EIS ERIT, NON „ SOLUM SUA PRÆTERITA, SED ETIAM DAMNATORUM EOS SEMPITER„ NA MISERIA NON LATEBIT. ALIOQUIN SI SE FUISSE MISEROS NE„ SCITURI SUNT, QUOMODO, sicut ait Psalmus, MISERICORDIAS DO„ MINI IN ÆTERNUM CANTABUNT? Quo cantico in gloriam gratiæ „ Christi, cujus sanguine liberati sunt, nihil erit profectò illi jocun„ dius Civitati. „ (7. Tom. De Civit. Dei l. 22. cap. ult. n. 3. & 4.)

22. Si ergo de Sanctis loquendo, hanc memoriam a scientia rationali procedentem, repetimus, & non a Deo ipsis exprobrante propria peccata, quorum se oblitum in Scripturis dicit, sed ab animæ naturali virtute manantem agnoscimus: ita in damnatis erit. Quia autem sancti præteritæ miseriæ recordabuntur sine miseria, sed in sempiterna lætitia: inde gratias Deo liberatori referent, ejusdem misericordias cantantes in æternum. Damnati è contrario in vera miseria pro non dimissis delictis constituti, præteritæ etiam miseriæ, licèt de dimissis peccatis, cum animæ angustia recordabuntur: ut de justitia punitoris in æternum convincantur. Huc referri videtur visio Christi judicis, qui extremo die etiam impiis in sua gloria apparebit, dum juxta Evangelium (Joh. 19. 37.) *Videbunt in quem transfixerunt*. Hæc enim visio tum Christi tum Ecclesiæ Sanctorum, in cujus conspectu sistentur judicandi, atque damnandi „ licèt, ait S. Augustinus, „ ad modicum tempus; & hoc ad judicium non ad gaudium; ad „ supplicium non ad præmium „ (2. p. 3. Tom. Tract. 76. in Joh. n. 2.): minus tamen pœnalis damnatis esset, si objectis necessariæ visionis sepositis, conspectarum rerum deperiret memoria. Verùm durabit ipsa in æternum in eorum cordibus vivacissima. Et sicuti per eam de gloria tum Christi capitis, tum membrorum sanctæ civitatis suæ, aliquo, licèt inferiori modo, erudientur: ita frementes repetent: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est* (Sap. 5. 3.). Quæ porrò dici non possent, absque recordatione anteactæ superbiæ atque sine singulorum eventuum reminiscentia; unde confirmatur præteritorum actuum exquisita memoria, ad augendam pœnam damnatorum. Neque enim sine pœna, quæ ab anxio solicitoque timore procedit, recordari poterat dives quinque fratrum suorum; quorum salutem ipse a salute alienus adeò desiderabat, ut Abraham exoraret ad mittendum Lazarum, *ne &*

ipsi

ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Hujus itaque pœnæ sibimet ipsi auctor erat dives, ea recolendo, quæ faciliùs poterat præterire, quàm propriorum imaginem deperdere delictorum, quibus, ut assolet, quasi gradibus in malitiæ profundum ductus est, & propter quæ nunc a Deo justo vindice plectitur.

23. Utinam quæ tandiu disputavi, homines eò magis in amorem sanctitatis accendant, quò majorem percipient futuram miseriam etiam illius, qui ob unum mortale delictum in tenebras mittetur exteriores: ubi præter ea, quæ a justo Domino infligentur, non dimissa punienre; ipse sibimet ipsi inevitabilis ultor evadet etiam de dimissis, conscientiam suam minimè latentibus. Hisce doctrinis me nullo modo damnum intulisse censeo quæstioni in p. 2. Decreti, de Pœnitentia Dist. 4. agitatæ, num scilicet peccata dimissa per pœnitentiam redeant. Sed mea etiam fortasse opinio, Canonum intelligentiæ aliquatenus poterit suffragari; in qua & effectus veræ remissionis manet, juxta Dominicas promissiones; & tamen aliqua pœna damnato homini relinquitur pro præteritis, licèt dimissis, peccatis, in eorumdem reminiscentia. Istam quippe pœnam minari Deum puto in Scripturis sanctis, dum de filiis Israel loquens, quibus originale peccatum, & culpas proprias hactenùs dimissas rectè sentimus; *omnes* tamen abominationes suas, & *omnia* scelera sua se *super eos* impositurum protestatur per Ezechielem, ita ut *in medio sui* futura sint, nimirum a corde eorum nunquam eorumdem memoria, & invisa præsentia depereat. Ecce Prophetæ verba. *Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt*„ Et versu 8, *Et imponam tibi omnia scelera tua*, iis repetitis, quæ superius dicta sunt. (Ezechiel. cap. 7. 3. & seqq.) Postquam autem de pœnis illorum actum est, qui in sortem filiorum Dei vocati, clementissimam vocationem propria mala voluntate abjecerunt: juxta præstitutum ordinem, de tormentis, quæ Gentes manent, disseramus.

24. Gentibus itaque, quæ non noverunt Deum, nec in sortem filiorum vocatæ sunt, minor pœna continget. In naturali enim aversione in Deum, ab originali peccato producta occubuere, in eaque conversione ad se ipsas, quæ eò minorem continet malitiam, quò minùs peccatis suis æternum Creatorem injuria afficere noverunt. Minor item eas plectet beneficiorum Dei, quæ spreverint, reminiscentia; nam divitias misericordiæ suæ, non intelligibili quidem, sed tamen semper recta justitia, in eas non effudit. „ Aliter itaque judi-„ cabuntur, inquit S. Augustinus, qui non audierunt, aliter qui au-„ dierunt & contempserunt. Qui enim sine Lege peccaverunt, inquit „ Apostolus (Rom. 2. 12.) sine Lege & peribunt; & qui in lege „ peccaverunt, per Legem judicabuntur. (2. p. 3. Tom. Tract. 54. in Joh. n. 6.) De hoc testimonium perhibet Dominus in Evangelio (Luc.

(Luc. 12. 47. & 48.) parabolam narrans servi & domini. *Ille autem servus*, inquit, *qui cognovit mandatum domini sui, & non praeparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

25. De illis demum sermo sit animabus, quæ in solo originali peccato occubuere. Istarum damnationem in inferno unde nulla redemptio, firmissimis rationibus & auctoritatibus hactenus S. Augustinus asseruit; & miror, quòd a tanto Doctore quidam postea desciverint, ut tertium locum hisce animabus de suo crearent. Multò autem magis mirandum est, quòd ea, contra quæ tamdiu disputavit Augustinus, quasi iisdem verbis repetantur in libris etiam, qui nonnisi certa dogmata religionis nostræ continere deberent; & Limbum puerorum veluti regionem loco & statu ab inferno diversam, apud ignaram plebem doceri audiamus; quin Catechismi Romani silentium ea de re attendatur; immo quin ab hujusmodi opinione deterreat fides præclarissima Sacrosancti Concilii Florentini. Ecce Oecumenicæ Synodi definitionem: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Unum igitur infernum utrosque manere de fide est; sicut unum erit post corporum resurrectionem.

26. Rectæ firmæque Sancti Concilii doctrinæ repetendæ, atque inculcandæ hoc etiam, licèt valde illuminato sæculo, necessitatem pariunt ea, quæ recenter probata leguntur a pluribus Hispanis Theologis in libro Fratris *Joseph a Sancto Benedicto* Hispani, qui inter cetera absurda, non dubitavit effutire: *carentiam visionis Dei, nullam pueris absque baptismo defunctis adferre molestiam, aut tristitiam.* Istam, præter reliquas illius libri propositionem rectissimè objurgavit doctissimus Joannes *Lamius* in Florentinis Ephemeridibus anni 1751. col. 321; magis deplorans adprobantium ignaviam, quàm auctoris ignorantiam. Hinc patet, contrariæ Ecclesiasticæ doctrinæ veritatem minùs firmam compluribus esse (atque utinam non etiam in Italia), qui tamen Theologicas facultates profitentur, & Magistri in populo sedent; quod munus Frater ille, præter vires & suum institutum, assumere non dubitavit.

27. Diversitatem ergo pœnarum, fortasse ex dictis metiri commodè possumus. Animæ enim illorum, qui in solo originali decedunt, quum nihil propriæ actionis habeant superadditum, quo conscientia reclamante, puniantur; ea aversione a Deo cruciabuntur, cum qua natæ sunt, & decesserunt; sicutique omnium minima est, ita mitissima pœna torquebuntur. Sed numquid benè, vel saltem non malè se habebunt? Absit. Audiamus S. Augustinum iterum. „ Quamvis enim, „ ait, condemnatio gravior sit eorum, qui originali delicto, etiam „ propria conjunxerunt; & tantò singulis gravior, quanto graviùs quis „ peccavit: tamen etiam illud solum, quod originaliter tractum est, „ non tantum a Regno Dei separat . . . . verùm & a salute & a

„ vita æterna facit alienos. (10. Tom. de pecc. merit. & remiss. „ l. 1. c. 12. n. 15.) Et si in possessione regni Dei nunquam erunt, „ add.t ipse, æterno supplicio tenebuntur: quoniam non est locus me-„ dius, ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in „ regno. „ (7. Tom. De Civit. Dei l. 2. c. 25.)

28. Tum igitur isti, tum Gentes, quæ Deum non noverunt, tum illi, qui in filiorum sortem vocati, propitium Deum factis spreverunt, & denique diabolus eum angelis suis, in eodem inferno damnati, in ira Dei perpetuò morientes vivent; homines quidem amplius adhuc recepturi per corpus in mortuorum resurrectione, dæmones in inferorum stabili mansione. „ Quæ (interim) ira Dei (ut supra ex „ S. Augustino animadversum est) si sola esset quanta ibi minima „ cogitari potest; perire a Regno Dei, exulare a civitate Dei, alie-„ nari a vita Dei, quam abscondit timentibus se, perficit autem spe-„ rantibus in se, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormen-„ ta, quæ novimus comparari, si illa sit æterna, ista autem sint „ quantumlibet multis sæculis longa. „

29. Quum autem hæc pœna omnibus, qui ibi erunt, ex Augustino communis sit; & tamen sciamus disparia futura tormenta: non inutiliter fortasse desumpsimus hanc diversitatem a gradibus malæ voluntatis, idest aversionis a Deo; unde diabolus plus ceteris, filii rebellionis illo minus, Gentes minus adhuc, infantes autem mitissimè respectu ad ceteros, sed tamen miserrimè puniantur. Nam sicut bonorum Angelorum beatitudinis causa, ut S. Augustinus docet (7. Tom. de Civit. Dei l. 12. c. 1. n. 2.), est adhærere Deo, in ejus æternitate, veritate, & caritate persistentium: ita damnatorum causa miseriæ ex contrario derivat quod est non adhærere Deo, vel aversum esse a Deo; qui usque adeò rationalium spirituum bonum est, ut sine illo miseros esse necesse sit. Sicuti enim hæc adhæsio perfectionem complet naturæ a bono Creatore pro se creatæ, & ad se directæ: ita aversio ab hac perfectione, vitium naturæ est contra naturalem inditum appetitum digladians. Quo quum nullus damnatus spoliari possit: illius complementum in cassum desiderat. Frustra autem desiderans, desperatione cogitur ad bonum abhorrendum, quo uno se impleri posse cognoscit.

30. Maturiùs itaque rem cogitantibus non imprudenter videri poterit, quemlibet damnatum suimet ipsius tortorem existere, dum pro qualitate suæ in Deum aversionis ab eadem aversione cruciatur. Cujus quidem pœnæ quum finem exoptet, cumque impediri a Deo naturarum conservatore cognoscat: ab auctore durationis suorum tormentorum mirabiliter abhorret; pœnæ privationis omnium delectabilium bonorum, illam etiam cumulans ex vitio manantem tantæ perversitatis. „ Quod si non valet (dæmon) in bonum respirare, non divina facit „ violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac vo-„ luntaria obstinatio. „ (D. Bernard. De grat. & lib. arb.) Hinc homi-

minum cum eo damnatorum habitudines inferre debemus, atque percipere.

31. Privatio igitur visionis Dei est fundamentum omnium pœnarum, nam ea cessante, cessarent. Hanc a Deo esse indubium est, qui beatificantem vultum suum ubique præsentem, animabus damnatorum abscondi. Pœna verò cujuscumque damnati ex propria mala voluntate, atque aversione in Deum tota exoritur; cujus causa Deus non est, quia nec mali auctor existit. Ipse quidem neque ex hoc culpandus, dum justè conservat animas tot afflictas, & in æternum affligendas suppliciis. Quia non in eis malum conservat, quo bonam deturparunt naturam, sed eam, quæ in malo voluntariè superaddito perseverat, naturam bonam, cujus opifex Deus est. Quòd ergo servatur natura bona, Dei est semper laudandi, qui ut Augustinus ait, „ nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat, dignitatem. „ (1. p. 3. Tom. de Gen. ad litt. lib. 8. cap. 23. n. 44) Quòd autem patitur ex bona facta peccatrix, ex illorum culpanda iniquitate derivat, qui bonam maculaverunt, & malam in sæcula æterna gestabunt; pœnas meritas dantes concupiti quondam vitii sive per se, sive in primo hominum patre, nunc naturæ suæ indissolubili nexu incumbentis, eadem interim bona reclamante natura. Nam si nulla in eis natura esset bona, non de malis præsentibus tristarentur; cruciantur autem quàm maximè, quia vitium in se contra naturam congemiscunt ac dolent.

32. Sine ullo igitur refrigerio in æternum doleret damnatus, hoc ipso miserrimus quia vitiosus; quamvis proprium corpus iniquitatum socium nunquam deberet resumere. Hoc autem resumpto, quo corporalis ignis supplicia per proprios sensus animæ viventi & corpus vivificanti communicabuntur: novus cruciatus accedet. In quem adhuc futurum cogitatione præeunte, impius, quamvis non juxta sensus exterioris veritatem, aliquo fortasse spirituali modo nunc etiam ante tempus torquetur, de quo sit.

CAPUT SEPTIMUM.

Dæmones nondum in inferno sepulti fortasse non torquentur pœna sensibili ignis materialis. Istis verò, nec non damnatis hominibus, probabiliùs nonnisi in sæculi fine hoc etiam accedet supplicium.

1. QUæ superiori capite acta sunt, maximè pendere opinor ab hac, quam modo juxta vires & occasionem, tractandam quæstionem suscipio. Etenim fidelissimè credimus, dæmones, & cum iis spiritus hominum damnatorum perfectè nunc etiam cruciari. Quare si hujus tormenti causam, a nulla interim corporali creatura manantem noverimus: pœnæ damni pondus in sua veritate metimur. Ne verò per hanc opinionem, sanctissimæ fidei aliquid detrahi quispiam pertime-

scat: quid de hac re Divus Thomas recentiùs, & S. Augustinus antiquiùs senserint, aperire in animo est. Unam præcipuè in hoc mihi mercedem propono; ut homines, qui nondum valuerint, spiritualibus assuescant pœnis contemplandis; atque durissimam damnatorum angustiam in pœna damni (licèt nunquam exterior pœna ignis esset accessura) probè percipiant.

2. Dixi supra, damnatorum animas per proprium resumptum corpus nova ignis pœna in fine sæculi esse cruciandas; quam nunc quidem juxta exterioris sensus veritatem experiri non possunt; sed dum certò futuram opperiuntur, anxia cogitatione præeunte, aliquo fortè spirituali modo hac etiam interim torqueri. Hæc arridere videtur sententiæ D. Thomæ, qui de præsentibus dæmonum pœnis disputans (p. 1. q. 64. ar. 4. ad 3.) ait: „ Similiter dicendum est, quòd dæ„ mones, licèt non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in ae„ re isto caliginoso: tamen ex hoc ipso quod sciunt illam alligatio„ nem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur. „ Ita siquidem, quantum capio, ignis tormentum ad phantasiæ potius & apprehensionis vim trahitur, quàm ad veram ejusdem actionem in eorum spiritus. Idipsum confirmat illa Glossa (Jacobi 3.) a Sancto Thoma laudata, dæmones nimirum portare secum ignem gehennæ quocumque vadant. Nam si credimus, materialem ignem in inferno esse; dæmonesque interim caliginosum hunc aerem veluti suum carcerem incolere: profectò tantum absunt a vera passione ignis, quantum a stagno distant, in quo servatur; ideoque nonnisi ad eorum apprehensionem significandam suprascripta Glossa & Angelici verba possunt inservire.

3. Quæ si recta putamus: cur non hic tormenti modus dæmonibus reliquus erit, etiam quum in infernum trudentur: si nempe concipimus naturam illorum merè spiritualem; ignem verò gehennæ, ut indubium est, materialem? Nulla enim unquam meditatione assequemur, quomodo spiritus nullis partibus constans quidquam pati possit a corpore, cujus vis in actione consistit concitatissima particularum, ex quibus coalescit.

4. Scio Divum Augustinum (7. Tom. lib. 21. de Civit. Dei cap. 10.) hanc etiam innuisse sententiam, non quantum ad præsens, sed quantum ad futurum pertinet tempus, dicens: „ Adhærebunt ergo, si eis „ nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, immo spiritus dæmones, li„ cèt corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhære„ bunt, eorum junctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent „ spiritu & corpore; sed ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhæ„ rendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. „ Attamen, sicuti etiam in Vindiciis Augustinianis (cap. 16.) ad aliam rem dixi, textum explicaturus S. Augustini ex lib. 20. cap. 15. de Civit. Dei, cujus quædam verba a contextu avulsa mihi opponebantur: ita hic etiam lectores rogare fas sit, ut priusquam pronuncient, hanc Sancti Patris verè fuisse sententiam, locum integrum legant,

atque

atque doctrinæ ab eo alibi traditæ recordentur. Quamvis enim pœnam ignis in dæmonibus inquirentes, dicere cum Augustino possimus, miris & ineffabilibus modis, Deo jubente, ignem adhærere spiritibus, & agere in illos, quod vocabulo alligationis significat S. Thomas: animadvertendum tamen est, Sanctum Patrem valdè detulisse rectæ rationis principiis, in iis, quæ supra rationem non sunt, illisque potius acquievisse, ut alii acquiescerent præstitisse, qui eorumdem principiorum vim attentiùs scrutarentur; licèt ne sibi nimis indulgere videretur, etiam aliter sentientibus aliquando se attemperaret. Sequentia produnt, Augustinum putavisse ad hanc classem pertinere quæstionem, quæ spiritus dæmones respicit, eorumque vel præsentem vel futuram materialem discutit pœnam.

5. Etenim Sanctus Doctor, ut ostenderet, dæmones ab actione ignis pœnam aliquam sumere posse (1. p. 3. Tom. de Gen. ad litt. l. 3. n. 15.) hæc docet. „ Si autem transgressores illi, antequam trans„ grederentur, COELESTIA CORPORA GEREBANT, neque hoc mirum „ est, si conversa sunt ex pœna in aeriam qualitatem, UT JAM POSSINT „ AB IGNE, idest elemento naturæ superioris aliquid PATI; nec aeris sal„ tem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi „ sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est usque ad tem„ pus judicii. „ Alibi ostendit dolorem ab externa ignis actione procedentem, dæmones manere post universale judicium, dicens. „ Si„ cut etiam desertores angeli, licèt secundùm modum quemdam mor„ tui sint peccando, quia fontem vitæ deseruerunt, qui Deus est, „ quem potando, sapienter beatèque poterant vivere: tamen non sic „ mori potuerunt, ut omninò desisterent vivere atque sentire; quo„ niam immortales creati sunt: atque ita IN SECUNDAM MORTEM „ POST ULTIMUM PRÆCIPITABUNTUR JUDICIUM, ut nec illic vita ca„ reant, quandoquidem etiam SENSU, QUUM IN DOLORIBUS FUTURI „ SINT, NON CAREBUNT. (7. Tom. de Civit. Dei l. 13. cap. ult. n. 6.) In sequentibus (scilicet lib. 21. c. 23.) de diaboli damnatione disserens, inquit: „ . . . . nisi quia Scriptura, quæ neminem fallit, di„ cit, eis Deum non pepercisse, & sic ab illo esse interim prædamnatos, ut carceribus caliginis inferni retrusi traderentur servandi, „ atque ultimo judicio puniendi, QUANDO EOS ÆTERNUS IGNIS ACCI„ PIET, ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum. „ Hinc patet S. Augustinum aerium saltem, sed tamen proprium corpus dæmonibus tribuere ad actionem ignis sensu percipiendam, atque putare tale tormentum illis servatum quum in ignem præcipitabuntur inferni, quando nempe doloribus secundùm exteriorem sensum afficientur.

6. Idem colligimus ex iis, quæ de damnatorum animabus scripsit, de Civit. Dei laudato libro 13. cap. 2.; quas docet in prima morte, æquè ac dæmones nunc manere, donec in secundam decidant post judicium; interea tamen sensum doloris ab igne productum haud experientes. „ Hanc (secundam mortem) inquit, Salvator significavit, ubi „ ait

„ ait *Eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam perdere in* „ *gehennam*. Quod quum ANTE NON FIAT, quàm quum ANIMA COR- „ PORI SIC FUERIT COPULATA, ut nulla diremptione separentur; mi- „ rum videri potest, quomodo corpus ea morte dicatur occidi, quæ „ non ab anima deseritur, sed animatum sentiensque cruciatur. Nam „ in illa pœna ULTIMA, AC SEMPITERNA, de qua diligentiùs suo lo- „ co disserendum est, rectè mors animæ dicitur, quia non vivit ex „ Deo: mors autem corporis quonam modo, quum vivat ex anima? „ NON ENIM ALITER POTEST IPSA CORPORALIA, QUÆ POST RESURRE- „ CTIONEM FUTURA SUNT, SENTIRE TORMENTA . . . . . Verùm in „ damnatione novissima, quamvis homo sentire non desinat: tamen „ quia sensus ipse nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed do- „ lore pœnalis est, non immeritò mors est potius appellata, quàm „ vita. „

7. Itaque opinio eorum, qui juxta verba Divi Thomæ in loco citato „ dixerunt, usque ad diem judicii differri pœnam SENSIBILEM, „ tam dæmonum quàm animarum, „ non adeò absurda est, ut bonis fundamentis ab Augustino usque nunc petitis, sit destituta. Quum autem addunt „ & similiter beatitudinem sanctorum differri „ usque ad diem judicii „: hoc prorsùs erroneum, & auctoritati divinæ contrarium est. Sicuti enim in damnatis per dilationem pœnæ sensibilis, non extinguitur interim pœna intellectualis animæ propria: ita e contrario quæcumque beatitudo animarum negari videtur in præsens, dum ad diem judicii differtur; quod absurdissimum est. Quare rectissimè Divus Thomas illud Apostoli opponit, (2. Cor. 5.) *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum habemus in cœlo.* Erroneum igitur, & Apostolicæ auctoritati repugnans prorsus esset, si beatitudinem SENSIBILEM nominantes, (illud quippe adjunctum hoc etiam nomen respicere fortasse volunt), interim intelligerent sanctos a Cœlo exulare, nec beatitudinem intellectualem, & suo modo sensibilem (gaudium enim est de veritate) obtinere. Verùm si illorum mens causas respicit externas atque sensibiles beatitudinis adaugendæ, præcipuè per visionem humanitatis Christi, & Ecclesiæ Cœlestium Angelorum, atque Sanctorum hominum, per oculos carnis nostræ in judicio novissimo; nullum credo futurum, qui hanc etiam sensibilem beatitudinem tunc non expectet per viventis corporis sensus.

8. Propterea non imprudenter, & certè sine culpa sentiri posse puto, omnes sensibiles pœnas ab externa causa productas, damnatos etiam homines manere, quum resumpto corpore, per hujus organa quidquid asperum & triste animæ communicabitur, multumque per ipsum & in ipso patietur; tuncque accessura ignis tormenta, illoque arsuros damnatos, quocumque itidem alio sensu corporis molestiam & pœnam patiente. Interim verò fideliter confitendum est, gravissimas intellectuales, & suo modo sensibiles, pœnas pati damnatos, dum Dei visione & participatione orbati, atque propriæ malæ voluntatis con-

scien-

scientiæque stimulis incessanter afflicti, vindicem Deum in semetipsis verè sentiunt atque experiuntur: in quo mortem primam animæ S. Augustinus paullo superiùs stare nos docuit.

9. Hactenùs dicta satis clarè confirmantur doctrina ejusdem capitis 10. de Civit. Dei, de quo nunc quæstio. „ Hic occurrit quære„ re, inquit Sanctus Pater, Si non erit ignis incorporalis, sicut est „ animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora „ cruciari; quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum? „ Idem quippe ignis erit, supplicio scilicet hominum adtributus, & „ dæmonum, dicente Christo *Discedite a me maledicti in ignem æter„ num, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Nisi quia sunt QUÆDAM „ SUA etiam DÆMONIBUS CORPORA, sicut doctis hominibus visum est, „ ex isto aere crasso atque humido, cujus impulsus, vento flante, „ sentitur. Quod genus elementi, si nihil igne perpeti posset, non „ ureret fervefactus in balneis. Ut enim urat, prior uritur, fa„ citque quod patitur. „ Primus igitur modus a doctis viris approbatus, ad demonstrandum, dæmones ab actione ignis impeti posse, in eo est ut concipiamus, dæmonibus etiam quædam sua esse corpora; quæ licèt ex aere constare putentur, non tamen ignis actionem effugiunt, aquæ fervefactæ facili experientia. Quo dato quilibet nullo negotio cognoscit, quale futurum sit tormentum dæmonum, quum, Christo judice apparente, ab hoc caliginoso, & terris proximiore aere projicientur in materialem ignem inferni.

10. Quia verò inquirendum proposuerat S. Augustinus, *An ignis gehennæ, si corporalis est, possit malignos spiritus, idest dæmones incorporeos tactu suo adurere:* reliqua respondere coactus est, quæ vidimus supra: ne, qui nulla corpora dæmones habere præsumit, idcircò imaginaretur contra Evangelicas auctoritates, eos ignis certissimi, iisdemque præcipuè parati, pœnas posse vitare. Urget itaque quantum plus valet acie ingenii, neque propterea dæmones ab ignis tormentis immunes habendos. Ideo sequitur: „ Si autem quisquam (nec hic fortasse in„ ter doctos supra memoratos censebitur) nulla habere corpora dæ„ mones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inqui„ sitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non di„ camus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorpo„ reos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam „ ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus „ membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter „ alligari? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæ„ monum, immo spiritus dæmones, licèt corporeis ignibus cruciandi: „ non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur, „ & animalia fiant, quæ constent spiritu & corpore; sed ut dixi, „ miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœ„ nam, non dantes ignibus vitam. Quia & iste alius modus, quo

„ corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omninò mirus est, „ nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.

11. Quod igitur antea dixit de corporibus dæmonum, id ex consensu doctiorum hominum doctis propinavit hominibus; videlicet admonens, non per ambages, & abstrusas rerum indagationes esse quærendum, quod planè explicari possit tam facili negotio, sed tamen semper miro atque ineffabili. Illis autem, quibus hæc subtilissima reddit, modum requirens, quo ignis corporalis tactu noxius agat in dæmonum spiritus, immò spiritus demones: secreta quadam intentione denegat scientiam, qua docti pollent, atque non parvam tribuit afferendi proterviam; dum quod facillimè intelligere, & definire possent, in immensas protendere difficultates, per abrupta disputationum delectantur. Horum itaque curiositatem facilè reprimit, ad miras & ineffabiles confugiendo rationes, quibus id fieri posset, jubente Deo; cujus veritas inviolata custodienda est, licèt homo hanc ignis comminationem dæmonibus factam, aut minus, aut nullo modo assequi valeat.

12. Verùm, ut ostendat, se ab hac hypothesi minimè suasum, veluti præoccupans argumentum, quod ab adversariis desumi posset ex Evangelio, ubi dives ait *Crucior in hac flamma;* veriùs autem ostendens unde magis moveretur ita prosequitur: „ Dicerem quidem sic „ arsuros sine ullo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille „ dives, quando dicebat *Crucior in hac flamma;* nisi convenienter re„ sponderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos „ levavit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum „ desideravit infundi; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri po„ stulavit: ubi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorpo„ ralis & illa flamma, qua exarsit, & illa guttula, quam poposcit; „ qualia etiam sunt visa dormientium, sive in ecstasi cernentium res „ corporales, habentes tamen similitudinem corporum. „

13. Denuò itaque per hæc, difficultatem proponit intelligendi, quomodo sine corpore actionem flammæ sentire posset dives; quæ omnino par est etiam in dæmonibus post diem extremi judicii, dum meri spiritus habeantur. Sed quia Sanctus vir excogitaverat adhæsionem dæmonum ad ignem, saltem per mirum quemdam & ineffabilem modum: has omnes sententias summatim perstrinxit, subdens „ At verò „ gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, „ corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & ho„ minum & dæmonum, solida hominum, aeria dæmonum; aut tan„ tùm hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus „ sine corporibus, hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vi„ tam corporalibus ignibus. Unusquippe utrisque ignis erit, sicut Ve„ ritas dicit. „

14. Ex dictis satis patere opinor, Divum Augustinum in eam partem

tem potius inclinasse, quæ dæmonibus quædam corpora tribuit; unde sæpè in operibus suis animalium appellatione eos etiam designat. Num autem ita aeria censuerit eorum corpora, ut non etiam organica, & quinque notis sensibus instructa, ideoque a spiritu dæmonum vivificata; sed aeria dixerit, quia sensus nostros omninò fugiunt, ob servatam in istis a Deo aliquantulam subtilitatem, atque penetrabilitatem: alio loco me examinaturum promitto. Dum verò tanta constantia Sanctus Pater ostendit, animas interim hominum ab illo non posse igne torreri, donec corpus recipiant (quod nullibi in controversiam positum apud eum inveni): ab æqualitate rationis conjiciendum est, verum & animale corpus etiam dæmonibus tribuisse Augustinum, ne suspicari liceat, eos, quibus ex Evangelio ignis paratus est, phantasticum tormentum ab hoc experiri debere; homines autem proprium, quos per resumendum corpus mirabiliter cruciandos nostra qualicumque experientia etiam nunc percipere possumus.

15. Proinde quod dixit de adhæsione dæmonum ad ignem, magis confert ad sedandam, quàm ad diluendam quæstionem. Quod autem de illorum corpore pronunciavit, ad homines commonefaciendos pertinet, ut majori otio, atque diligentia, huic etiam quæstioni penitiùs perscrutandæ incumbant. Qnam, si studio partium deposito, quietè examinabunt, invenient; quòd ubicumque anima, sive creatus spiritus sit, profectò a materiali aliqua creatura circumdatur. Ex qua vicinia, si aliquid pati anima posset, jam materialis creatura directè in spiritum ageret; nec ignis solùm, sed & humidus aer & frigidus; indeque dæmones in caliginoso isto aere interim damnati, miror ni æstate sudare dicerentnr, algere hyeme. Quæ quidem incommoda, quando damnatis dæmonibus tribuerentur hunc tenebrosum aerem incolentibus, veluti animali corpore instructis: rerum naturæ hoc modo consideratæ nihil officiunt; actione petita ab elemento naturæ superioris juxta S. Augustini sententiam. Id quippe nullo negotio etiam rudiores capiunt, dum corpus illud qualecumque sit, ita ipsis aptatum a Deo percipiant, ut instrumentum sit ad exteriores sensationes in eorum spiritum inducendas. At, dum dæmones animali corpore exuti concipiantur: nunquam assequi dabitur, quomodo eorum spiritus a circumstanti materia quidquam perpeti possit, nisi illius partes directè in istum agant, qui tamen nulla parte componitur. Attamen in præsenti cognitione rerum haud imprudenter asserimus, istud neque a Deo fieri posse, juxta ideas quas habemus substantiæ spiritus & corporis, eorumque mutuæ actionis in individuis.

16. Hæc sanè magna difficultas S. Augustini menti adeò insedebat; ut quod de dæmonum adhæsione ad ignem veluti divinans pronunciaverat, idem tamen meliori jure denegandum putaverit hominum spiritibus, quos in inferis esse non dubitabat, ut legenti patet; quamvis hæc mira adhæsio, ex æqualitate rationis, sed præcipuè ex Evangelicis verbis *Crucior in hac flamma*, potissimùm prædicanda videretur

G de

de hominum animabus a corpore separatis. Sed quia credebat Sanctus vir ignem inferni corporalem esse: ideò pœnas ab hoc infligendas differt ad extremi judicii diem; quum corpora damnatorum ignis cruciabit, aut & hominum & dæmonum, solida hominum, aeria dæmonum; aut tantùm hominum corpora cum spiritibus. Rectissimè autem in hoc stetisse S. Augustinum de pœnis animarum loquentem mihi videtur, etiam ob præclaram Pauli sententiam: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque* PROPRIA CORPORIS, *prout gessit sive bonum sive malum* (2. Cor. 5. 10.) Dum enim dicit *propria corporis:* patet eum intelligere, esse aliquid, quod tum beati tum damnati aliter sentire aut perpeti non possint, nisi quum propria ejusdem corporis recipient in carnis resurrectione. Ita videlicet vim acquirunt Augustini considerationes in Evangelica oracula circa damnati divitis tormenta; & multò majori difficultate premuntur, qui in negandis dæmonum corporibus, veluti in re dogmatica, delectantur.

17. Nec ad dæmonum corpora in dubium revocanda me impellit alia S. Augustini hypothesis a similitudine desumpta, ut veluti explicet, ideò ignem miris & ineffabilibus modis in dæmones spiritus acturum eisdem adhærendo, quin ab ipsis spiritibus vitam suscipiat; quia etiam hominum spiritus, licèt incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis indissolubili nexu alligari. Adeò enim, aut ego fallor, ab una ad aliam quæstionem non procedit hæc comparatio, quantò vivificare, & non vivificare ad invicem opponuntur. Corpora namque hominum & nunc ab anima inspirantur, & tunc inspirabuntur. Et quamvis supra captum hominis sit, quomodo incorporeus spiritus terreno corpori includatur, in eumque agat, ab illoque patiatur: attamen, dum semel capiamus, hunc mirabilem nexum a Divino Opifice ordinatum; aliquo modo assequimur, qua ratione sensus corporis ab anima vivificati in animam agant, quia ipsa potiùs in se ipsam per hæc instrumenta, quæ informat, agit. Proinde rectè asserimus animam nostram per sensus corporis videre, audire, olfacere, gustare, & denique sentire. E contrariò, repugnat hominum ratio cujuscumque hominis auctoritati, eos inducere conantis, ut credant, corpus aliquod spiritum circumdans, neque ab hoc vitam suscipiens, neque organis instructum ad sensationes communicandas aptis, in eumdem spiritum ita agere, ut etiam pati compellat.

18. Cui repugnantiæ vitandæ juvat; si opinemur, angelos omnes a principio, cœlesti quidem & immortali, sed tamen materiali & organico corpore a Deo instructos, eorum actionibus, atque præordinationi congruo. Insuper, corpus istud dæmonibus conservatum fuisse ad pœnam; iis tamen donis privatum, quæ naturam meliorem efficiunt, quibus etiam sublatis, non primæva natura destruitur. Alibi animadvertimus, putavisse S. Augustinum, Angelos a principio corpore cœlesti instructos, cujus verba repetere præstat. „ Si autem, inquit, trans-
„ gref-

„ greffores illi antequam transgrederentur COELESTIA CORPORA GERE-
„ BANT, neque hoc mirum eft, fi conversa sunt ex pœna in aeriam
„ qualitatem, ut JAM POSSINT AB IGNE, ideft ab elemento naturæ
„ superioris aliquid PATI. „ Tunc igitur quum cœleftia gerebant corpora, porrò materialia gerebant; & nisi eadem suo spiritu vivificabant, iisdemque ad actiones sibi congruas utebantur: perperam instructi dicerentur corpore, licèt cœlesti, ex quo nihil ipsis commodi accederet. Quo quidem, in rebellibus angelis per peccatum in pejus mutato: gloriæ & sanctæ voluptatis inftrumenta in eorumdem pœnam conversa sunt, non tamen ablata; ficuti homines damnati quinque corporis sensibus pollebunt non secus ac sancti; sed intereft quibus quisque objectis exerceatur.

19. Integrè igitur perseverat illud mirum & ineffabile, quod subtiliter inquirebatur, ad explicandam ignis adhæsionem ad spiritus dæmonum, ut isti divinitùs comminatam pœnam inde suscipiant; etiamsi imaginemur eos non meros spiritus, sed animalia quædam ex spiritu & corpore, ambobus immortalibus, composita. Adeò enim mira & ineffabilis in dæmonibus erit hæc unio, & passio ab unione promanans, ficuti omninò mirus eft modus, quo corporibus adhærent spiritus hominum, & animalia fiunt, atque ad invicem agunt, quod comprehendi ab homine minimè poteft, ut Sancti Augustini verbis diximus supra. Mirabilis ideo essentiæ hominum, quæ supra rationem eft, contemplatione contenti, in eaque Creatoris sapientiam omnipotentiamque laudantes: eamdem in constitutione dæmonum adoremus, si etiam ipsis tale corpus aptavit, quo pœnæ ignis materialis tolerandæ capaces fierent, ad quem ignem sua justitia eos esse damnandos ab æternitate cognoverat: quin Deo quædam miracula tribuamus, quæ eum facere noluisse discimus, ex Evangelicis teftimoniis attentiùs consideratis. Etenim Evangelia conclamant ignem inferni dæmonibus præcipuè paratum; prædicantque eumdemque, & non dissimilem, experiri debere homines diaboli imitatores. Quare ficuti per vigilantissimum doctissimumque Augustinum, præclaris Scripturarum oraculis innixum, admonemur, homines hanc pœnam verè pati non posse, nisi propriis resumptis corporibus in die extremi judicii: ita libenter cum eodem censeamus, ignis pœnam fore communicandam spiritibus etiam dæmonum per proprii corporis organa.

20. Alibi namque hanc confirmavit sententiam, pœnas considerans damnatorum. „ In pœnis autem malorum, inquit, & inextinguibilis
„ ignis, & vivacissimus vermis ab aliis atque aliis, aliter atque aliter
„ eft expositus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad
„ animam retulerunt: alii propriè ad corpus ignem; vermem verò tro-
„ picè ad animam, quod credibilius videtur. „ (7. Tom. De Civit. Dei l. 20, cap. 22.) Juxta quam tum Sancti Patris tum aliorum explicationem, jam tormentum ignis ad diem resurrectionis carnis potius differtur; manente interim in anima mala voluntate & verme vivacissimo, quo ex conscientia malè gestorum sub ira Dei mirabiliter

 cru-

cruciatur tum pars dæmonum nondum in inferno sepulta, tum populus damnatorum jam in inferno commorantium.

21. A qua certè pœna interim immunes vel dæmones omnes vel damnatorum hominum spiritus haudquaquam putaverunt illi, qui vermem & ignem ad corpus propriè referebant. Per hanc quippe opinionem non evacuatur illa spiritalis pœna, qua interea divitis anima sine corpore, dubio procul cruciabatur ex Evangelio. Qua pœna manente, insuper ex Scripturis habebant, novum per carnem supplicium in die judicii animæ peccatrici accessurum, ignem scilicet & vermem. Revera in libro Judith (16. 20.) scriptum est. *Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos. Dabit enim* IGNEM ET VERMES IN CARNEM EORUM, *ut urantur* ET SENTIANT *usque in sempiternum.* Quum Judicii dies in textu memoratus, trahi non possit ad peculiare judicium, in quo ignem & vermes in peccatorum carnes dare non potest Deus, corpore ab anima adhuc separato: necessariò designat diem extremi judicii. Tunc enim, facta universali carnis resurrectione, instrumentum non deerit, quo ignis & vermium tormenta hominibus communicentur, ita ut propria corporis recipientes verè urantur & sentiant usque in sempiternum. Qui postremi vivacissimique cruciatus, si solos homines peccatores, secundum corporalem effectum manent; dæmonibus autem, quia corpore destitutis, hæc etiam tormenta nequaquam servantur: miror, ni quispiam æternam dæmonum pœnam, hominum sempiterno supplicio mitiorem imaginetur; indeque contendat, ignem ipsis præcipuè paratum, tropicè intelligendum. Verùm huic interpretationi Evangelicum occurrit oraculum proclamans eumdem ignem, dæmones pariter & iniquos homines manere; obstant præterea ipsorum dæmonum preces, quibus rogaverunt Dominum, *ne imperaret illis ut in abyssum irent* (Luc. 8. 31.). Et licèt ista petitio intelligi possit juxta explicationem Divi Thomæ (loc. cit.), ne scilicet excluderentur a loco, in quo possunt hominibus nocere: nihil tamen vetat, quominus abyssum timerent dæmones, ne cum effectu alligarentur igni, ad quem se prædamnatos sciunt.

22. Intelligant ergo qui possunt, causam hanc liberæ opinionis limites non excedere, cui tuendæ Sancti Augustini suffragia, Scripturarum auctoritates, & rectæ rationis momenta non desunt. Sanè Augustinus firmissimæ catholicorum fidei nihil propterea deperire cognovit. Dubium scilicet non de infernali igne instruitur, quo diabolus & angeli ejus certissimè cruciandi sunt; sed tempus, quo huic etiam certo supplicio damnati deputentur, sobria disputatione perquiritur. Nec Deus minus laudatur, si opinemur, tali per eum corpore ab initio Angelos instructos fuisse, quo non solum idonei fierent ad officia per eos exercenda in hoc mundo, & erga terrenos homines; sed etiam quo extra se & verè contueri possent humanitatem Christi gloriosam; nec non in fine sæculi corporalem aspicere splendorem Sanctorum hominum; quo cœlestis Jerusalem circumdabitur & fulgebit, atque ordinatissi-

natissima sensibili pulcritudine voluptateque exultabit in æternum. Rursus quis non mirabitur, rebelles etiam Angelos a sapientissimo Creatore per hoc corporale instrumentum fuisse ordinatos dentium stridori, lacrymis incessantibus, perpetuisque ululatibus, tum fœtori, fumo, inextinguibili fami, siti, ac caligini, tremendasque Judicis visioni, & reciprocis corporum impulsionibus, & incommodis stationibus, quæ confusè in baratrum præcipitantibus obvenient, denique tormentis ignis perpetui: præsertim quum eos tali corpore instruxerit, quod interim oculorum aciem, & quoslibet effugit hominis sensus, nisi istud videri a nobis, & sentiri divinæ congruat ordinationi, præcipue in pœnam pessimæ hominum talia exoptantium voluntatis? Quæ omnia, sicuti nullo modo explicantur, dum dæmones sine corpore percipere cogimur: ita inextricabiles quæstiones pariunt iis, qui Angelos putant aerium & ætherium gestare corpus, quod ab eorum spiritu non vivificetur. Nam, una ignis actione per hanc hypothesin aliquatenus explicata: incomoda objecta visus, auditus, odoratus, & gustus in dæmonibus vel non agnoscimus, vel in summa relinquimus ambiguitate.

23. E contrario, sobria hæc opinio de Angelorum corpore, quæ homines mirabilia Dei sincerè atque humiliter scrutantes impellit ad laudes tanto Opifici concinendas, alia etiam de causa nos juvat. Dum enim certa fide credendum est, divitem in inferno sepultum ea tunc passum esse, & nunc pati, ob quæ frustra exorabat Abraham ut Lazarum mitteret ad quinque fratres suos, *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*: nullus sapiens dubitabit, quin ejus anima veris angeretur spiritualibus cruciatibus, licet interim a corporalibus servaretur immunis. Quid namque aliud denotant visio illa Abrahæ & Lazari; quid cum iisdem tam mœsta collocutio, (quatenus corporaliter hæc gesta non fuisse S. Augustino auctorante, jam vidimus), nisi infelicis animæ cogitationes, quæ a proprio infelicissimo statu eorumdem felicissimum certè metiretur; quem item nunquam sibi accessurum cognosceret, unde nec ab inferis liberari, sed tantùm per Lazari digitum refrigerari rogabat? Hæc nimirum indicant quid in mundo adhuc degens agnoverit dives de futura sorte spirituum, quamvis hanc fidem turpiter spreverit. Deum igitur sciebat bonorum remuneratorem, malorum vindicem. Neque enim felicitatem Lazari in eo stare censebat tunc, quia non careret aqua materiali; sed quia pauper, misericordia, gratia, visione fruitioneque Dei gaudebat, a quo ipse derelictus æstuabat; de quibus prolixius infra agemus.

24. Huc igitur avocantes ea, quæ superiori capite dicta sunt de pœna damni: utinam tandem intelligant quorumdam ingenia, quàm inutiliter a solis gehennæ ignis tormentis concuti patiantur Christianorum corda in Sacramento Pœnitentiæ; dum hanc materialem pœnam, non debili fortasse fundamento, noverint in sæculorum finem peccatoribus esse dilatam. A qua materiali cogitatione dum sensim hac hipothesi pœnitentes revocarent: faciliùs eos, quantum homini

licet,

licet, inducerent ad pœnam damni in sua veritate æstimandam; atque hinc ad amorem Dei inflammarent; a cujus sanctæ dilectionis, beatæque visionis subtractione, cum propriorum delictorum conscientia, tanta interim dæmones, ac sceleſtos hominum ſpiritus pati jam constat. Et quamvis inculcandum sit, pejora in die judicii damnatis expectanda per corporis commercium: utiliter tamen peccatores in consideratione detinebuntur illorum spiritualium malorum, in quæ nudi spiritus post mortem decident, quæ non abſcedent, quum iſta exteriora ipſis accedent ſupplicia. Rurſus ſicuti ad æſtimandam præſentem Sanctorum beatitatem prudentes & recti magiſtri, non per umbras corporum, ſed per meditationem ſpiritualium bonorum, quæ a Dei præſentia dimanant, ſuos elevant auditores, nec plebem ipſam aliter inflammari patiuntur: ſciant denique, eamdem viam etiam cum peccatoribus ſibi eſſe ineundam, ut recto tramite eos perducant ad legitimam ſuorum criminum pœnitentiam. Nullos, vel paucisſimos Chriſtianorum hominum eſſe credo, qui de præſentibus Paradiſi gaudiis ita colloquantur per imagines corporum, ut eadem gaudia in corporali aliqua fruitione & ſenſu interea perſtingant; nullos novi magiſtros, qui talia cogitantibus non rectioribus occurrant documentis. Sed (quod deflendum eſt) pauciſſimos invenias, qui de inferni tormentis apud populum locuturi, non iis præcipuè immorentur, quæ ignis ſenſum & actionem auditorum mentibus altiùs infigere valent.

25. Credamus ergo ignem diabolo & angelis ejus, nec non peccatorum hominum naturæ acceſſurum. Sed, donec ſæculi finis perveniat, ob hujus tormenti defectum, damnatorum infeliciſſimam ſortem explicare atque docere non deſiſtamus; etiam ut homines rectiùs cogitare aſſueſcant de animæ ſuæ, ceterorumque ſpirituum natura & viribus, neque in corporalibus objectis ſemper hæreant veluti ligati. Hoc facilè fieret, ſi Angelis, æquè ac dæmonibus propria corpora ineſſe plebs quoque cognoſceret; atque ſentiret, corporales ignis etiam pœnas poſtremis hiſce eſſe acceſſuras in fine ſæculorum. Nullus enim eſt qui dæmones non infeliciſſimos credat, quia fortaſſe in gehenna ignis nunc concluſos putat. Sed quia extra inferos morari pleroſque jam noſcit, dum ænergumeni ab iiſdem agitati noſcuntur: multum profectò conferet ſano eliciendo nutriendoque judicio ſi auditores ſeriò edoceantur quæ verè nihilominus patiuntur rebelles angeli; atque a corporeis tantùm imaginationibus abſtrahantur; quin laudabili hominum curioſitati doctiores occurrant, arcanis quibuſdam reſponſionibus, quibus non expletur ſitis, ſed veriùs accenditur.

26. Ita ab errore alienarentur fideles dubitandi, num pejor interim ſtatus damnatarum ſit animarum, quàm ipſius diaboli. Illæ enim ab igne etiam nunc cruciatæ leguntur, a quo diabolum nunc abeſſe, dum in inferno non eſt, quiſque cognoſcit. Quin multùm officiat opinio ſuperiùs ex Divo Thoma citata, quòd nimirum ſcientes dæmones deberi ſibi alligationem ad ignem, eorumdem pœna non

dimi-

diminuitur, dum in hoc crafsiori aere interea verfantur. Sine labore enim occurrit difcrimen anguftiæ in iis, qui virgis damnati, hunc mente reputant futurum cruciatum, ab ea, quam per corpus præfentem experiuntur. Nec facilè datur intelligere, quomodo dæmonum pœna non minuatur, dum ab alligatione ignis abfunt; fi hæc alligatio verum ipfis fenfibileque tormentum aliquando fit allatura. Sed potius per hanc præfumptam nullam pœnæ diminutionem, in abfentia licèt vera a ftagno ignis, directè confequitur, nihil pejus dæmonum naturæ in extremo judicio obventum iri, atque ita illud Evangelii: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, magis ad explicandam antiquam dæmonum pœnam, quàm ad novam indicandam infervirct.

27. Alitur præterea hac opinione non laudabilis fortaffe dubitatio, num fcilicet ignis inferni verè habendus fit materialis; tum illa qua inquiritur an corpus extraneum directè in fpiritum agat, nullo animali inftrumento intercedente; illa denique opinio nutritur, quam præcedenti capite, quantum licuit, deftruere conatus fum, oftendens nimirum diaboli pœnam nunc etiam excedere quorumlibet damnatorum tormenta, quia in altiori alienatione a Deo, perverfiorique voluntate invenitur; fecundùm quas fuorum vitiorum mole obrutus, durioribus etiam malæ confcientiæ ftimulis agitatur. Plus ergo (quantum tenuitati nunc affequi licet) fideles juvat, incerta in his cogitatione non detineri, quàm nocere valeat, fi veluti certum putent, dæmonum fpiritus proprio materiali corpore inftructos, quamvis iftud jufto Dei judicio, invifibile crafsioribus oculis noftris ut plurimum perfeverat. Hæc namque opinio juxta Divum Thomam faltem inter eas cenfenda eft, de quibus in utramque partem agere fas eft fobriis hominibus. „ Dicendum, inquit ipfe, quòd five DÆMONES „ HABEANT CORPORA SIBI NATURALITER UNITA, SIVE NON HA„ BEANT; HOC NON MULTUM REFERT AD FIDEI CHRISTIANÆ DO„ CTRINAM. Dicit enim Auguftinus l. 21. de Civit. Dei cap. 10.: „ Sunt quædam etiam fua dæmonibus corpora, ficut doctis homini„ bus vifum eft, ex ifto aere craffo atque humido, cujus impulfus, „ flante vento, fentitur. (In quæft. difput. q. 16. art. 1.) Nunc de Purgantium animarum pœnis, earumque caufis agamus.

C A-

CAPUT OCTAVUM.

Purgantes animæ infeliciſſimæ ſunt ſua juſta damnatione durante. Hujus pœnæ præcipua cauſa deſumitur a non omninò pura caritate cum qua deceſſerunt. Quod autem loco ſolatii fuiſſe & eſſe animabus iſtis coniici poteſt, idem durior damnatis fieret Sanctis antiqui teſtamenti in Limbo detentis.

1. Recenſuimus jam maximam reproborum pœnam, qua in æternum puniendi ſunt, privationem nimirum viſionis Dei, a quo ſua quiſque mala voluntate averſus eſt; majori vel minori huic vitio internis & ſpiritualibus interim reſpondentibus tormentis, quin tamen ideò quiſque eſſe deſinat infelicisſimus. Dum autem infelicisſimum dico, hoc a ſingulorum individuorum ſtatu metiendum volo, non a comparatione unius cum altero. Uique faciliùs meam mentem aperiam, damnatorum differentias eruere ſatagam a gradibus beatitudinis Sanctorum. Felicisſimum illum eſſe, cui ex diverſis regni cœlorum manſionibus licèt infima obvenerit; & illum infelicisſimum, qui in inferno, quamvis pro uno tantùm mortali peccato in aliorum comparatione leviore, detinetur: conſtanti credimus fide. Illud inde eſt, quia quicumque Deum videt, eodem pro modulo ſuo omninò repletur & gaudet; qui autem in plenitudine gaudet, nonniſi felicisſimus poteſt haberi. E contrario qui Dei participatione orbatur, bonis omnibus deſtituitur, quia bonorum omnium uno & vero fonte privatus. Vacuus igitur omni bono, ſua tantùm iniquitate circumdatus atque repletus, infelicisſimus fit. Eſſentia itaque beatitatis in eo eſt, ut quiſque beatus Deo repleatur & gaudeat. Ex adverſo eſſentia damnationis ex eo efficitur, ut damnatus quiſque Dei participatione omninò careat, indeque areſcat.

2. Quamvis enim juxta Apoſtolum ſtella a ſtella differat: omnes tamen ſtellæ ſunt, nec earum minima deſinit eſſe rutilans ſtella, quia majoribus cœlum ornetur. Ita major & minimus in regno cœlorum, alter ampliori, alter minori in iſtius comparatione, ſed tamen uterque perfecta gloria coruſcat. Nec minor majori invidet, quia eodem felicitatis fonte ſunt ambo repleti; ſicuti, ut doctisſimus Bellarminus appoſitè docet, nullus ex ſeptem fratribus, pro ætatis differentia alter altero ſtatura minor, ſeniori invidet veſtem purpuream quantitate majorem, dum & ipſe eadem purpura pro ſui corporis menſura aptè circumdatur. De maximis & minimis in inferno ſepultis peccatoribus eadem ratione loquendum eſt, quantùm ad eſſentialem damnationem, unde omnes infeliciſſimi reverà habeantur. Ita intelligendus mihi videtur Divus Auguſtinus, quum Plotino conſentiens dixit: „ ILLA NAMQUE VISIO DEI TANTÆ PULCHRITUDINIS „ VISIO EST, ET TANTO AMORE DIGNISSIMA; UT SINE HAC, QUI- „ BUSLIBET ALIIS BONIS PRÆDITUM ATQUE ABUNDANTEM, NON DU-

„ BI-

„ BITET PLOTINUS INFELICISSIMUM DICERE. „ Idque eò magis verum in damnatis apparet, quia nullum bonum habent, quo infelicissimæ vitæ suæ ullo excogitabili modo pondus allevetur. Nec enim dæmonum pœna supra ceteros omnes damnatos exquisitior, propriam cujusque damnati egestatem, malamque voluntatem, in qua derelictus est, lenire potest; dum eam quisque damnationem portat, quæ meritis anteactæ vitæ respondet; ad quam vasa iniquitatis aut parva aut magna adjudicat Deus, atque æternæ respondenti miseriæ condemnat. Vermis quidem minor ex meritorum conscientia quemque manet. Verùm, quia omne mortale peccatum est aversio a Deo, ita ut homo illud perpetrans Creatori pro creatura renuntiet: ita quisquis perseverat in hac auctoris omnium bonorum voluntaria abdicatione propriæ perversitatis pœna infelicissimus fit. Omnes ideò damnati infelicissimi, quamvis alter alterum ex propriis malis meritis in pœna vincat intellectuali, sicuti in duriori ignis tormento, ut dictum est, superabit.

3. Quia verò recitatus S. Augustini textus infelicissimos eos definit, qui visione pulchritudinis Dei privantur, quibuslibet aliis bonis præditos atque abundantes; atque ita eamdem infelicitatem purgantibus etiam animabus facit communem: opportunum est indagare discrimen damnatas inter & purgantes animas; quamvis tum illæ tum istæ rectè infelicissimæ habeantur, donec in privatione permanent visionis Dei. Diligentes lectores præcognovisse confido discrimen istud, ex voluntaria aversione a Deo, quam in damnatis invenimus; quam tamen purgantibus animabus asserere esset absurdum. Definitum itaque pœnarum tempus in istis, earumque fidelis Deo adhæsio, hac etiam beatitudinis privatione durante, opponitur tormentorum æternitati, atque odio in Deum, quibus damnati puniuntur. Purgantium nihilominus animarum cruciatus noscemus interim esse durissimos illorum fontem attentiùs perscrutando.

4. Primò itaque opinor extra quæstionis aleam apud sapientes esse, nullam animam hunc purgationis misericordem quidem, sed itidem infelicissimum lacum ingredi, quæ absque amore vero in Deum verum mundo occubuerit; Deum scilicet, in fine saltem vitæ, fideliter & sincerè anteponendo quibuscumque delectationibus cupiditatibusque carnalibus, quæ mortalis peccati vinculum consentientibus inferunt; præterita delicta salutari & vera pœnitentia deflendo, eorumdemque absolutione ab auctoritate Ecclesiæ vel voto vel actu impetrata. Post acceptam autem justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam dimitti, debitumque pœnæ æternæ ita deleri, ut aliquid pœnæ temporalis exsolvendum reliquum sit, vel in hoc sæculo vel in futuro, docemur a Sacrosancto Concilio Tridentino, a quo anathema dictum est contraria sentientibus Canone XXX. Sessionis sextæ. Idem Concilium declarat, pœnam istam vel totam exsolvi ad præstitutum tempus ab animabus, quibus debitum incumbit; vel a Christifidelibus

in hac carne viventibus pro iis satisfieri, ut citiùs liberentur, Sessione XXV credendum præcipiens, *animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari.*

5. Certum præterea apud omnes puto, nullam animam in Purgatorii lacum descensuram, si in ea caritate raperetur è mundo, quam Apostolus dicit *de corde puro*. Hac enim, quæ multitudinem operit peccatorum, Deus adeò sibi conjungit spiritum hominis, in quo hanc gratiam diffundit, ut unus cum Deo spiritus fiat juxta promissionem Johannis; ideoque hoc exutus corpore, quod aggravat animam, continuò in Dominico constituitur conspectu. Dum igitur aliquam animam Purgatorio adjudicamus, intelligendum est, eam ab hoc mundo discessisse illa quidem caritate ornatam, quia Deo suo conjungeretur super omnia dilecto, sed quæ nihilominus aliquam maculam contineret, ob quam ad aliquod tempus Dei revelato conspectu efficeretur indigna. Hanc maculam cum S. Augustino repeto ab amore terrenorum quamvis licitorum bonorum; quo fit, ut anima, licèt Deum super omnia diligeret (nam secus utiliter non diligit) aliqua tamen inferiora permissa bona simul cum Deo, terreno quodam inordinatoque prosequatur affectu. Quo posito, intelligere datur, quomodo in anima perseverent reliquiæ aliorum etiam peccatorum temporalibus pœnis exsolvendæ post mortem. Hoc namque secluso defectu, anima ornata pura ordinataque caritate sive perfectè contrita, ejusdem amoris perfectione, peccatorum reparat reliquias: unde nulla causa assignari posset, per quam a fine suo, brevi quantumvis spatio, amoveretur. Inordinatus itaque amor terrenorum quamvis licitorum bonorum, necessaria origo est descensus animarum in Purgatorio; tuncque pro reliquiis etiam aliorum peccatorum puniri animæ possunt: alioquin purgatorias pœnas nescirent, amoris divini perfectione in Paradisum elatæ. Hanc sententiam a Sancti Magistri mei doctissimi Augustini documenti descendere, sequentia monstrabunt.

6. Arguerat ipse quorumdam audaciam, qui facta nefaria habentes, quæ regnum Dei non possidebunt, sibimet ipsis nihilominus blandiebantur dicentes: „ Quoniam habeo signum Christi, & Sacramenta „ Christi, non delebor in æternum; & si purgor, per ignem salvus „ ero. Nam quid est, quod ait Apostolus de his, qui habent funda„ mentum? *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod posi„ tum est, quod est Christus Jesus.* (1. Cor. 3. 11.) Quid est inquiunt „ quod sequitur? *Unusquisque autem super fundamentum videat quid su„ perædificat. Alius enim superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos: „ alius ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus quale sit ignis proba„ bit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur. Si cujus „ opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet: hoc est quia „ super fundamentum justa opera ædificavit, aurum, argentum, lapides pre„ tiosos. Si autem peccata, lignum, fœnum, stipulam: tamen propter fun„ damentum ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Fratres (prosequi-

„ quitur Augustinus) nimis timidus esse volo: melius est enim non „ dare vobis securitatem malam. Non dabo quod non accipio, timens „ terreo: securus vos facerem, si securus fierem: ego ignem æternum „ timeo. *Et erit tempus eorum in æternum*, non accipio nisi ignem æ- „ ternum: de quo alio loco scriptura dicit, *Ignis eorum non extingue-* „ *tur, & vermis eorum non morietur*. (Marc. 9 43.) Sed de impiis „ dixit, ait aliquis, non de me; qui quamvis peccator sim, quamvis „ adulter, quamvis fraudator, quamvis raptor, quamvis perjurus: ha- „ beo tamen in fundamento Christum, Christianus sum, baptizatus „ sum: ego per ignem purgor, & propter fundamentum non pereo.„ Solita soliditate respondet Sanctus Pater, vitia hæc fundamentum Christi evertere; unde talia patrantes nonnisi perperam in fundamento glorientur, in eoque sibi blandiantur. Immò demonstrat, quod etiam ex hac præsumptione culpabili, duriori tradentur æternæque & justæ punitioni qua non purgabuntur, ut eorum peccata tandem abscedant, sed in æternitate ærumnosa punientur pro peccatis in æternum manentibus.

7. Quoniam verò, his omissis, adhuc explicare oportebat, de quibus loqueretur Apostolus. dum dixit: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem:* ex ejusdem interrogantis ore ita prosequitur Sanctus Doctor. „ Expone er- „ go, inquit, nobis, ligna, fœnum, stipulam qui ædificant super fun- „ damentum, quomodo non pereant, sed salvi fiant, *sic tamen quasi* „ *per ignem*. Obscura quidem illa quæstio, sed ut possum breviter di- „ co. Fratres, sunt homines omninò contemptores sæculi hujus, qui- „ bus non est gratum quidquid temporaliter fluit, non hærent dile- „ ctione aliqua terrenis operibus, sancti, casti, continentes, justi, „ fortassis & omnia sua vendentes & pauperibus distribuentes, aut „ possidentes tamquam non possidentes, & utentes hoc mundo tam- „ quam non utentes. Sunt autem alii, qui rebus infirmitati concessis „ inhærent aliquantum dilectione. Non rapit villam alienam, sed sic „ amat suam, ut si perdiderit conturbetur. Non appetit uxorem alie- „ nam, sed sic inhæret suæ, sic miscetur suæ, ut modum non ibi „ teneat præscriptum tabulis (matrimonialibus) liberorum procreando- „ rum causa. Non tollit aliena, sed repetit sua, & habet cum fra- „ tre suo judicium. Talibus enim dicitur, *Jam quidem omninò delictum* „ *est in vobis, quia judicia habetis vobiscum*. (1. Cor. 6. 7.) Verùm „ ipsa judicia in Ecclesia jubet agi, non ad forum trahi, tamen de- „ licta esse dicit. Contendit enim Christianus pro rebus terrenis am- „ plius quàm decet eum, cui promissum est Regnum cœlorum. Non „ totum cor sursum levat, sed aliquam partem ejus trahit in terra. „ Denique si veniat tentatio ducendi martirii, illi, qui habent in fun- „ damento Christum, & ædificant aurum, argentum, lapides pretio- „ sos, qui dicunt ex hac opportunitate? *Bonum est mihi dissolvi & es-* „ *se cum Christo*. (1. Cor. 3. 12.) Alacres currunt, aut nihil aut „ modicè de terrena fragilitate contristantur. Illi autem amantes res

„ proprias, domos proprias, graviter conturbantur, fœnum, & stipu-
„ la, & ligna ardent. HABENT ERGO LIGNA, FOENUM ET STIPULAM
„ SUPER FUNDAMENTUM; SED RERUM CONCESSARUM NON ILLICITA-
„ RUM. Dico enim, fratres; possides fundamentum, hære cœlo, cal-
„ ca terram. Si talis es, non ædificas nisi aurum, argentum & la-
„ pides pretiosos. Quum autem dixeris, Amo possessionem istam, ti-
„ meo ne pereat; & imminet damnum, & tu contristaris: non qui-
„ dem præponis eam Christo; nam sic amas possessionem istam, ut si
„ dicatur tibi, ipsam vis, aut Christum? etsi tristis eam perdis, plus
„ tamen amplecteris Christum, quem posuisti in fundamento: salvus
„ eris tamquam per ignem. Audi aliud: Non potes tenere possessio-
„ nem istam, nisi dixeris falsum testimonium. Et hoc non facere,
„ Christum in fundamento ponere est: veritas enim dicit: *Os quod*
„ *mentitur occidit animam*. (Sap. 1. 11.) Ergo si possessionem tuam
„ diligis, non tamen propter illam facis rapinam, non propter il-
„ lam facis homicidium, non propter illam falsum juras, non
„ propter illam Christum negas: eo quod non propter illam fa-
„ cis hæc, Christum habes in fundamento. Sed tamen quia diligis
„ illam, & contristaris si perdas illam, super fundamentum posuisti
„ non aurum, aut argentum, aut lapides pretiosos; sed ligna fœnum
„ stipulam. Salvus ergo eris quum ardere cœperit quod ædificasti, SIC
„ TAMEN QUASI PER IGNEM. Non enim super fundamentum hoc æ-
„ dificans adulteria, blasphemias, sacrilegia, idololatrias, perjuria, pu-
„ tet se salvum futurum per ignem, quasi ista sint ligna, fœnum,
„ stipula: SED QUI ÆDIFICAT AMOREM TERRENORUM SUPER FUNDA-
„ MENTUM REGNI COELORUM, IDEST SUPER CHRISTUM, ARDEBIT
„ AMOR RERUM TEMPORALIUM, ET IPSE SALVUS ERIT PER IDONEUM
„ FUNDAMENTUM, „ (4. Tom. Enarat. in Ps. 81. n. 21.)

8. Purissimi itaque & unici amoris defectus, qui a perfectione declinat omnibus hominibus (juxta mensuram gratiæ unicuique tributam) semper, & in utroque testamento præcepta, illis verbis *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *ex tota anima tua*, *& ex tota mente tua*, (Deut. 6. 5.) fundamentum quidem non aufert, quo apertè beata aliquando esse anima mereatur, quia illicita omnia verè propter Christum odit quem propitium habet & in se habitantem; verumtamen obnoxiam facit pœnæ illi maximæ quam immodica licitorum terrenorum bonorum dilectio subsequitur, privationi scilicet ad tempus beatificantis visionis Dei, in quem unum non unicè intendit. Istam porrò pœnam verbis *quasi per ignem* censeri opinor interim pro purgantibus animabus, amore scilicet, ut Sanctus Augustinus explicat, ardente exsolvendam.

9. Duplicem namque ignem hic agnoscit S. Augustinus; alterum æternæ punitionis, qui adulteros, blasphemos, sacrilegos, licèt baptizatos manet; alterum purgationis temporalis, quem eo modo experientur, quo possunt, illorum animæ, qui supra fundamentum Christi amo-

amorem terrenorum ædificaverunt. Et quia Sanctus Pater, ignis æterni tormenta protrahit ad resurrectionem corporum pro damnatis damnandisque cum diabolo, ut superiori capite ostensum est; tunc verò purgatorium evacuabitur, ad dexteram judicis collocatis electorum animabus, quæ adhuc invenientur in illo; ita ad indicandam etiam temporalem ignis pœnam in animabus purgatione indigentibus, vigilantissimè Apostoli repetit verba, IPSE AUTEM SALVUS ERIT, SIC TAMEN QUASI PER IGNEM. Illud enim *quasi*, nunquam scelestis hominibus rectè applicabitur, queis fundamentum deficit Christi; quique non per ignem purgari possunt, aut salvari. Purgandis verò atque salvandis separatis animabus, fortasse non adeò convenit ignis, ut ab isto unquam vere patiantur; ideòque dictum puto QUASI PER IGNEM. Actionem namque ignis supplet ardor ille vehemens, quo purgantes animæ Dei gratia impelluntur in desiderium Dei sui adhuc absconditi, secum reputantes, quòd propria culpa in hac privatione derelinquantur. Non enim aliter intelligi potest quod dixit S. Augustinus, amorem arsurum. Hanc revera intelligentiam adjuvat Propheta Jeremias (20.9.) qui amoris tormentum ignis vocabulo exprimit dicens, *Et factum est in corde meo ut ignis ardens*. Ignis namque ardens amor est, qui rectè ardere concipitur, dum in privatione fovetur illius boni, ad quod rationalis spiritus intimè atque unicè tendit.

10. Sed quia, donec hac peregrinamur in carne, difficilè æstimamus ea, quæ solum spiritum afficiunt incommoda: ad ejusdem angustias, quantùm possumus, assequendas, ministerio utamur verborum Sancti Ambrosii, qui ab effectibus Sanctorum adhuc in corpore manentium, imbecillitatem nostram adjuvat, ut electorum spirituum pœnas in purgatorio percipiat. Explicat ipse verborum vim, quibus Deo dicebat David *Defecit in salutare tuum anima mea*, & ita inquit: „ Non „ usitatus sermo nos capiat, ut tamquam corporeas fatigationes defectio- „ nem hujusmodi judicemus. Neque enim hoc solum dixit *Defecit anima mea; sed defecit in salutare tuum*. Itaque ut de usu capiamus exem- „ plum, si verbi gratia dicamus, *Defecit ille in illam*, videtur exprimi „ hoc verbo, quòd totus in mulieris desiderium cupiditate transierit. „ Et quidquid est quod vehementer expetimus; nisi ejus maturiorem „ habeamus effectum, id nos videtur longa quadam intentione lassa- „ re. Amor impatiens diu noctuque meretricias fores pulsans, si diu- „ tiùs potiendi desideria differantur, ipsa deficit expectatione dum spe- „ rat; in quo utique non finis amoris sed incrementum est. ET QUID- „ QUID EST DESIDERABILE SI NON CONTINGAT DESIDERANTI, DEFI- „ CIT IN ILLUD, & quasi ipsam deponit animam qui desiderat: si ta- „ men spes propior assurgat, dat vires spes proxima. SI AUTEM AB- „ SENTIA SIT DILECTI, EO IPSO QUO ABSENTEM DESIDERAT, QUEM „ CONCUPIVIT, ANIMÆ SUÆ PATITUR DEFECTIONEM. Itaque quantò „ longiùs est illud, quod desideratur, tantò magis deficit qui deside- „ rat. IDEM ERGO DEFICERE EST, IN ID UNUMQUEMQUE TOTIS STU-

„ DIIS

„ DIIS MIGRARE QUOD DILIGIT. Illud cogitat, illi adhæret, illud per-
„ sonat, quod receperit diligendum. In id quadam animæ defectione
„ transfunditur, ut si mater filii expectet præsentiam, quemadmodum
„ expectabat Tobiæ uxor filium peregrinantem. Deficiens a desiderio
„ & in angustiis constituta, & tamquam resoluta viribus. Quid enim
„ aliud nisi defectum quemdam ejus verba significant? SED QUO MA-
„ GIS LASSATUR AFFECTUS, EO AMPLIUS AMOR CRESCIT; ET QUO DIU-
„ TIUS ABEST, QUI DESIDERATUR, EO EXPECTANTIS DESIDERIA MA-
„ JORE QUADAM VI AMORIS IGNESCUNT. Caro deficit, sed cupiditas
„ alitur & augetur. Hinc ergo colligere possumus quid sit *Defecit in sa-*
„ *lutare tuum anima mea*. Etenim spiritui adhærens anima, deficit ab
„ eo quod est anima, & fit unus spiritus, *quoniam qui adhæret Domino*
„ *unus spiritus est*. Itaque sanctus & timens Deum nescit aliud desi-
„ derare nisi salutare Dei, quod est Christus Jesus. Illum concupi-
„ scit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus: illum gremio
„ mentis fovet, illi se aperit & effundit, & hoc solum veretur, ne
„ illum possit amittere. ITAQUE QUANTO MAJORE DESIDERIO EXCI-
„ TATA FUERIT ANIMA CUPIENS ADHÆRERE SALVATORI SUO, TAN-
„ TO MAGIS DEFICIT. Ergo ista defectio, immutationem quidem fra-
„ gilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Denique ipse alibi di-
„ cens *Sitivit in te anima mea*, subjecit infra *Adhæsit anima mea post*
„ *te, me autem suscepit dextera tua*. Qui enim sitit, cupit semper adhæ-
„ rere fonti, nec aliud sibi nisi aquam expetere & contingere vide-
„ tur, ut ipso pascatur affectu. Suscipiens ergo me Dei dextera ani-
„ mæ meæ inhians, & de sua virtute mihi impartiens, facit eam esse
„ quod non erat, ut dicat: *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me*
„ *Christus*. Disce autem etiam hoc exemplo defectionem istam nimiæ
„ esse cupiditatis. *Concupiscit enim & deficit anima mea in atria Domi-*
„ *ni*. Ante concupiscens inquit, & quasi totam se effundens in con-
„ cupiscentiam, LONGO FINE SUSPENSA, DEFECTIONE DISSOLVITUR.
„ Denique quomodo deficiat anima in salutare Dei Hieremias docet:
„ *Et factum est*, inquit, *in corde meo ut ignis ardens, flammans in ossi-*
„ *bus meis, & dissolutus sum undique, ut ferre non possim*. Hoc igitur
„ inflammatus desiderio ait David, *Defecit in salutare tuum anima*
„ *mea, & in verbum tuum speravi* . . . . Ergo propheta considerans
„ quod legerat, & cernens quòd quum adesset corpori, velut quibus-
„ dam ligatus vinculis vitæ hujus, aberat a salutare Dei; concupisce-
„ bat, desiderabat, deficiebat, & toto dissolvebatur affectu, ut totus
„ illius fieret, quod desiderabat. Sic enim in posterioribus ipse dicit: *Ef-*
„ *fundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante*
„ *ipsum pronuntio, in deficiendo ex me spiritum meum*. Deficit enim e-
„ jus spiritus, immò ab eo deficit spiritus suus, qui seipsum negat
„ ut adhæreat Christo: Unde semitæ ejus cognoscuntur a Domino,
„ quia non sunt carnis sed Christi semitæ. Etenim requirentium Deum
„ via Christus est. „ (D. Ambros. Exposit. in Ps. 118. Serm. 11.)

„ Dum

11. Dum itaque defectionis sanctissimi David in salutare Dei, parem invenimus in purgantibus animabus; indubium est, privationem istam eò majora in istis tormenta parere, quò magis, quove sine ulla intermissione constantiùs, anima exuta corruptibili corpore in Deum suum fertur amatum & cognitum, cujus absconditam faciem sibi revelari desiderat. „ Nam & qui appetit, quod interim adipisci non „ potest, cruciatur „ ut S. Augustinus inquiebat. Alibi autem accommodatius. „ An quia, inquit, & ipse amor non potest esse sine do- „ lore? QUIDQUID ENIM AMAMUS, ET NON HABEMUS, NECESSE EST „ UT DOLEAMUS. Nam ille & amat, & non dolet, qui habet quod „ amat: QUI AUTEM AMAT ut dixi, ET NONDUM HABET QUOD AMAT, „ NECESSE EST UT IN DOLORE GEMAT. Inde illud in persona Eccle- „ siæ sponsa Christi in Cantico Canticorum, *Quoniam vulnerata cari-* „ *tate ego sum*. Vulneratam se dixit caritate: AMABAT ENIM QUID- „ DAM, ET NONDUM TENEBAT; DOLEBAT QUIA NONDUM HABEBAT. „ ERGO SI DOLEBAT, VULNERATA ERAT: sed hoc vulnus ad sanita- „ tem rapiebat. „ (4. Tom. Enar. in Ps. 37. n. 5.)

12. Hoc sanè percussæ vulnere purgantes animæ cruciantur, quod ob desiderati boni privationem assiduè crudescit; sine intermissione repetentes, *Defecit in salutare tuum anima mea*. Hinc illi gemitus columbæ, quos parit in eis Spiritus-sanctus, qui docet eas gemere. Insinuat enim eis quia peregrinantur, & docet eas in patriam suspirare, ipsoque desiderio gemere. Hinc autem efficacior earum dolor. Noscentes quippe hæc suspiria a Spiritu sancto in se suscitari, atque operari, ut Spiritum-Sanctum in æterna Trinitate desiderent; seque proinde ei caras sentientes: eò magis de abscondita facie beatissima Dei cruciantur, quo magis ex ejus dono & impulsu hanc se exoptare noverunt. Quisnam igitur satis percipiet, quibus fluctibus agitentur amantes illæ animæ, Deum desiderantes apertum, benedicentes occultum? Dulcedinem Dei cognoscentes; & tormenta ab ejus privatione manantia patientissimè tolerantes?

13. Rectè propterea infelicissimæ interim habentur. Nulla enim ope illarum vulneri interea medetur Deus, quod immo indefficientibus earum desideriis acerbius efficit, ut amor ardeat atque purgetur, quo Dei sui conspectu tandem dignæ efficiantur. Bona itaque & certissima spe sustentantur; sed de hoc etiam magno bono verum est quod Veritas pronunciavit: *Spes quæ differtur affligit animam;* unde illud confirmatur S. Augustini dicentis: „ Illa namque visio Dei tantæ „ pulchritudinis visio est, tantoque amore dignissima; ut sine hac qui- „ buslibet aliis bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plo- „ tinus infelicissimum dicere. „ Amore hoc igitur puro, vivacissimi ignis effectus æmulante, cruciantur, donec in illo requiescant, ad quem solum lacrymabili obsecratione proclamant.

14. Quæ utinam illis, qui in præcepto amoris Dei adeò laxas opiniones invexere, tam fortiter insonent; ut incipiant meliora sentire, dum

dum vident, animas fidelium Purgatorii supplicio in plura sæcula detineri, qnia terrenorum, quamvis licitorum, affectum cum Dei dilectione miscuerunt. Unde enim melius quàm ab hac causa tam diuturnam repetemus primorum parentum in Purgatorio mansionem, de qua, veluti ex communi Ecclesiæ traditione Divus Augustinus superiùs locutus est? Si enim, quamvis Dei amore in fundamento posito (aliter namque nulla salus); tamen mixtura terreni amoris rerum permissarum, Purgatorium meretur: quid aliud manet hominem, qui non ex vero amore Dei illicita tamdiu cara detestatur, nisi illa inopia & miseria, quam ab hujus sancti amoris privatione derivare probavimus? Nam si non purus atque unicus Dei amor purgatorio igne expiatur: nullus amor Dei, quid, nisi infernum habebit, ex cujus privatione infernum effici supra demonstratum est?

15. Durissimis igitur cruciantur tormentis purgantes animæ in privatione visionis Dei sui; unaque magis alia, ad mensuram caritatis, qua a Deo dum viverent donatæ fuerunt. „ Illa est enim species, „ quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, tantò ardentiorem quantò mundiorem. „ (D. Aug. 8. Tom. de Trinit. l. 2. „ c. 17. n. 28.) Huic quidem caritati quidquam addere non possunt ad incrementum, ita ut ampliorem gradum suscipiat: perficere autem eam debent, propriis scilicet cruciatibus maculas detergentes, quas propria voluntate sancto amori injecerunt, divinam interim justitiam in suo exilio laudantes. Omnes quippe Theologi consentiunt, quòd, licèt purgantes animæ vehementibus desideriis concupiscant faciem Dei: tamen, dum ipsis daretur optio subitò transeundi ad hanc gloriam, nondum satis detersis maculis; purgari prius vellent, quàm illicò sisti in Domini conspectu.

16. Si quid ergo solaminis in purgantibus animabus excogitari potest: illud derivare rectè censebimus a cognitione propriorum mala meritorum, atque a desiderio satisfaciendi pro iisdem divinæ justitiæ; quæ tamen submissa voluntate pondus non minuitur absentiæ a revelata contemplatione veritatis, ad quam ardentissima patientia suspirant.

17. Ab harum itaque probè intellecto infelicissimo statu, si quem haberent metimur animæ Sanctorum Patriarcharum Prophetarum, ceterorumque justorum in Limbis, ut ajunt, detentæ usque ad descensum Christi ad inferos: multò durior istis fuisse intelligendus est, duplici ex capite. Tum scilicet a caritatis puritate, cum qua eas hinc discessisse fateri debemus; tum a propriæ responsione conscientiæ, nihil in se invenientis, quod tanto plecti deberet supplicio. Mox Sanctum Thomam docentem audiemus, Sanctorum Patrum animas in limbis fuisse captivas, propter solum temporalem reatum originalis peccati naturæ humanæ adhuc incumbentem; eis de cetero absolutis per fidem in Christum venturum, tum a pœna æterna huic peccato debita, tum ab omnibus peccatis actualibus propriæ personæ. Eo igitur

suf-

suffragante, antiqui justi in caritate perfecta (secundùm mensuram donationis Christi) hinc discesserant: unde ex nullo proprio defectu a visione Dei amoveri promerebantur. Quantò igitur puriorem caritatem in ipsis invenimus; quantò itidem magis ab omni macula purgatam conscientiam: eò acerbiore dolore damnamus eorum animas in privatione visionis Dei; quin hoc saltem solatii ipsis adesset, quod in purgantibus animabus concessimus, laudandi scilicet justitiam Dei, quæ se pro meritis affligeret.

18. Neque enim sine mendacio sibi tribuere possent quidquam mali in tanta sanctitate; neque sine Dei injuria, privationem fruitionis ejusdem Dei, veluti a divina voluntate manantem imaginari. At Deo nolente, quidquam mali creaturam pati quis credet? Quis autem asserere non contremiscat, innocentes sanctasque creaturas a Deo puniri, minima quantumvis pœna? Quæ verò durior Sanctis damnatio, quàm in Deo perfectissimo repugnantiam invenire, unde earum unicus finis, Deus nimirum ipse destruitur? Vel enim non illæ perfectè justæ si puniebantur; vel non Deus justus si puniebat insontes.

19. Argumentationis hujus robur haud effugere possunt, qui non valentes negare pœnas animarum sanctarum, in privatione visionis Dei concupiti & cogniti, quin Divo Thomæ apertè contraire præsumant: earum conformitatem arripiunt divinæ voluntati, prætendentes, earumdem certissima tormenta hac sua humili patientia evanescere; unde statum saltem quietis sortiantur, usque ad descensum Christi ad inferos. Sed primò absurdum in hac infirma opinione patet, donec adversantes non probent quietem, contra communem sensum, rectè tormentis sociari. Insuper donec vel tormenta negent hujus absentiæ, atque ita genuinam pœnæ damni intelligentiam inficientur; aut causam non assignent, per quam puniri sancti mererentur antiqui, & a malè excogitato quietis statu ultrò discedant; aut, quod pejus est, desperanter culpare non erubescant justitiam Dei contra innocentes animadvertentis. Secundò verò, nullo modo valet argumentum petitum a conformitate animarum divinæ voluntati, atque ab earum in tribulationibus patientia: antequam ostendant, hanc circa eas fuisse divinam voluntatem; quod nulli unquam demonstrare continget. Quatenus autem hoc absque controversia adversantibus daremus: novis salebris etiam ex hac concessione sepiuntur. Dum enim ipsi fateri debent, eamdem conformitatem divinæ voluntati purgantibus animabus inesse: ex parilitate rationis, istas etiam in statu quietis ponere coguntur; sicque purgatorium inficiabuntur a sæculo, atque idem apud eos locus erit cum sinu Abrahæ.

20. Sed quia fatentur, nonnullas animas, etiam ante plenitudinem temporum, ex propriis malis meritis in purgationis lacum descendisse, ut ibi debita redderent, acerbissimis agitatæ doloribus: nunquam istas eodem loco sapienter concludent cum animabus in sinu Abrahæ collectis, quis nulla mala merita exprobrant, queis immò ob confor-

mitatem voluntati divinæ, statum quietis assignant. At si propter conformitatem voluntati divinæ, damnum supprimimus privationis visionis Dei; rursus affingimus statum quietis etiam purgantibus animabus, quamvis loco separarentur. Quum autem certissimæ fidei sit, purgantes animas perfectè esse conformes voluntati divinæ, quin ideò desinant miris, sed veris, vivacissimisque modis cruciari: consequitur, hanc perfectam conformitatem divinæ voluntati, non adimere damnum privationis visionis Dei; unde non minus cruciatæ fuissent animæ purgantium, quàm Sancti sinus Abrahæ, quibus interim non videntibus Deum, status quietis perperam tributus apparet.

21. Nec defuerunt qui dicerent, Deum ipsum eas animas exemisse a doloribus, qui privationem visionis suæ necessariò consecuntur. Peto autem, qua auctoritate firmetur hæc opinio, cui ipsamet constitutio naturæ nostræ, ineluctabili se opponit fundamento. Etenim ut ab eo dolore, qui privationem beatitatis consequitur, animæ fierent immunes, oportuisset, ut usque ad Christi adventum cessarent a desiderio adeptionis finis omnium rationalium creaturarum. Quia tamen istud insitum humanis animis a Deo est, sicuti cap. IV. probavimus: nonnisi a Deo adimi poterat, qui ut S. Augustinus ait (1. Tom. Confess. l. 1. c. 1.) CREAVIT NOS AD SE, UNDE INQUIETUM EST COR NOSTRUM DONEC IN IPSO REQUIESCAT. Quod porrò desiderium si ipse adimeret, creaturas suas deteriores faceret: a bono enim, quo nihil majus est, retardaret. Illud autem a Deo unquam factum impugnat Apostolus docens (Rom. 11.) quòd *sine pœnitentia sunt dona Dei*, idest ut Divus Augustinus explicat (10. Tom. de prædest. Sanctor. l. 1. c. 16.) sine mutatione stabiliter fixa sunt. Quum enim anima nostra in peccato Adæ vitiata, ad meritorium aliquod bonum agendum incapax omninò sit: nonnisi ex Dei in nobis operante misericordia Deum amamus, & veram beatitudinem concupiscimus. Qui proinde amor, & quod beatitatis desiderium, ejus clementissima dona sunt; quorum auxilio homines æternam felicitatem, ejusque fontem suspicientes, tanto proposito præmio, in hac valle lacrymarum miserias tolerent, concupiscentias vincant, & uni Deo se subdant serviantque. Stat igitur, sicut idem Apostolus docet, quòd *Caritas nunquam excidit* (1. Cor. 13.). Ex qua permanente caritate in Deum, uti unum & summum bonum directa, dolor ex dilatione visionis & possessionis ipsius Dei, quod caritatis præmium est, nonnisi maximus concipi potest. „ Deus „ enim usque adeò bonum est earum (animarum scilicet & spirituum „ intellectualium) ut sine illo misera esse necesse sit, ut docet S. Au„ gustinus. (7. Tom. de Civit. Dei l. 12. cap. 1.)

22. At verò si interim quasi probabilibus inventis & conjecturis decertare expediret, & loco argumentorum objicerent, quod Deum facere potuisse imaginantur: hac etiam via me causam obtenturum spero. Nam si ideò venerari cogar opinionem allatam, quia impossibile, ut ajunt, non erat Deo, dolorem adimere antiquis sanctis separatis ani-

animabus; quamvis beatificam præsentiam su m haud illis impertiret: (posthabitis iis, quæ ex jam dictis reponere possem, si contrariam sententiam defendere hujus loci esset) attamen mature rem cogitantibus opinio altera videbitur probabilior, qua ego dico, potuisse Deum justis illis animabus seipsum ineffabili modo communicare ubicumque essent; ut illarum insitus est sapiens & justus appetitus conquiesceret, neque inopiæ subjicerentur, sicuti toties spoponderat evenire non posse, timentibus nomen suum. Quæ doctrina eò tutior est, quantò rectius respondet justitiæ, fidelitati, omnipotentiæ, & misericordiæ Dei. Nam si silere ideò me velint, quia a doloribus privationem visionis Dei necessariò comitantibus, ajunt ipsi, Deus (mutato, sicut consequitur suæ providentiæ ordine in constitutione creaturarum suarum elucescente) animas illas præservaverit, quia poterat cur non & ipsi cedant mihi dicenti, Deum, (servato eodem providentiæ ordine, suisque promissis fideliter stando), animabus justis beatificam suam præsentiam fuisse impertitum; non solùm quia poterat; sed quia secundùm veritatem misericordiæ & fidelitatis suæ, eam illis reddere omninò debebat. Hæc interim satis sint, ut par propositis responsio procedat, dum iis, quæ Deus facere potuerit, decertamus. At si contraria sentientes usque eò abirent, ut Deum potuisse quidem facere dicerent, quæ ipsi opinantur, non quæ ego; idque confirmare pergerent auctoritatibus divinæ Scripturæ: lectores interim admoneo, harum etiam difficultatum solutionem eo loci inventuros, ubi de reliquis auctoritatibus Scripturarum agam quæ meæ sententiæ a quibusdam objiciuntur.

23. Quum igitur nullum excogitari possit refrigerium, quo damni pœna allevaretur, usque dum in Abrahæ sinum Christus descenderet: hinc est quod Divus Thomas animas ibi collectas rectè in doloribus agnoscit, etiam P. 3. q. 52. ar. 2. ad 2.; & sic pœna damni ad tempus cruciatas docet. Sed quoniam *Deus*, ut ait Sapientia (12. 15.) *quum justus sit, justè omnia disponit*; *ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimat a sua virtute, virtus enim sua justitiæ initium est*: aliquam oportebat excogitare causam, qua putari posset, salva justitia Dei, has animas fuisse punitas, quibus tam insigne justitiæ pietatisque testimonium in Scripturis perhibetur, ut Augustinus ait in laudata Epistola ad Evodium. Causam hanc Divus Thomas repetit a reatu originalis peccati, quo adhuc obstringebantur. Dum autem sequentibus ostendere aggredior juxta exiguas vires meas, nullam earumdem animarum puniendarum fuisse rationem: justitiæ Dei laudes propono in illarum vera justitia, atque non retardata beatitate. Sit igitur.

CAPUT NONUM.

Animæ justorum in sinu Abrahæ receptæ reatum originalis peccati luendum non habebant.

1. DIu anceps hæsi, num doctrinas, quibus reatum originalis peccati in animabus sanctis antiqui testamenti permanentem, quo a vita gloriæ exclusæ fuerint usque ad descensum Christi Domini in inferos, ab eodem Divo Thoma excriberem, an ab alio quoquam magni nominis inter Scolasticos auctore. Multam scilicet declinare cognoscebam invidiam, dum Doctorem Angelicum, qui meritò tantæ in Ecclesia Dei auctoritatis est, nec nominarem quidem in hac controversia; eamque acceptiorem multis futuram noveram, ni tanti viri documenta ex adverso stare, me etiam fatente, viderent. Attamen considerans, nullum auctorem in hac re posse proferri, qui sententiam suam auctoritate Divi Thomæ non vallaret: futurum speravi, ut sapienter perpenderent, frustra me tanti nominis usurpandi necessitatem declinaturum, quum semper doctrinis suis obviam ire cogerer; incumbente mihi scilicet necessitate ostendendi, Divi etiam Thomæ opinionem, ab assumpto auctore pro se laudatam, doctrinæ Sancti Augustini omninò oppositæ, in hoc non præscribere; sicque volens nolens in illius etiam examen lectores adducerem. At si Angelici Doctoris nomen dissimulare voluissem: quosdam invenire facile erat, qui scientes Sanctum Thomam omninò contraria docere suspicarentur, me data opera id occultasse; ideoque pessimam me egisse causam vocitarent. Brevius igitur & tutius arbitratus sum, si illum S. Augustino objicerem nomine suo, qui, ut jam vidimus, non contra Augustinum stare arbitratus est, dum verbis Sancti Patris in sermone de tempore 137, opiniones suas studuit protegere.

2. Rem etiam addam quibusdam interea incredibilem, Divum scilicet Thomam minimè incertum fuisse circa veram Sanctarum animarum in sinu Abrahæ quiescentium beatitatem, in actuali Dei visione consistentem; quod suo loco Cap. videlicet XXVII, ex ejus scriptis elucere, Deo juvante ostendam. Hinc istius Sancti Doctoris argumenta adducere, difficultatesque ex iisdem manantes proponere libentiùs elegi; ut si quid virium meæ meditationes haberent: extremum robur caperent ex illius met magistri doctrina ex cujus auctoritate quispiam præscribere niteretur non meæ, sed Augustini, sed ceterorum illustrium Ecclesiæ Patrum opinioni.

3. At si tantum subsidium in Divi Thomæ operibus invenire nescissem: diligentem & æquum lectorem animadversurum speravi, modestam hanc libertatem, eodem docente Augustino, nobis esse permissam, tunc præcipuè, quum non nostras peculiares meditationes proferimus, sed firmas constantesque sententias antiquiorum Patrum, & abs-

absque dubitatione doctiorum contra recentiores exhibemus; ut hinc inde pensitatis momentis, quibus utræque firmantur, quibusnam acquiescendum sit eligamus. „ Non enim, inquiebat S. Augustinus, quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scripturis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. „ (2. Tom. ad Fortunatianum epist. 148. aliàs 111. n. 15.)

4. Ad quæstionem igitur nunc descendens, præmonendum duco, eumdem Divum Thomam (P. 3. q. 70. ar. 4.) docere, a Theologis omnibus veluti extra controversiam teneri, originale peccatum in circumcisione fuisse remissum, nec non per fidem absque circumcisione, tùm semper in fœminis, quæ non habent ubi hoc signaculum recipiant; tum in masculis, qui, vel ante circumcisionem institutam mundo occubuerunt, vel post hanc præceptam, ante octavam diem moriebantur; in qua ex lege, & mysteriorum plenissima significatione expoliatio carnis exequi debebat. Sola enim viva fides in Deum & hominem Christum Jesum venturum, vel a parentibus in caritate Dei pro pueris elicita, vel quam adulti ore proprio in eadem caritate profitebantur, gratiam justificationis singulis comparabat.

5. Huic Theologorum consensui, fundamentum suppeditat præclarissima Apostoli auctoritas, qui ad Romanos scribens, sic ait (cap. 4.) *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundùm propositum gratiæ Dei. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio: ut sit Pater circumcisionis non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.*

6. Hinc illi minùs audiendi videntur, qui contenderunt, circumcisione significari, non peccatorum purgationem jam factam, sed solùm faciendam; quum scilicet Christus sanguine proprio in clementissima sua passione mundi maculas abstergeret. Sanctus Bruno in hac fuit fortasse sententia, qui (Serm. 1. in octava Natalis de Circumcis. Domini, juxta editionem Jodoci Badii Ascensii an. 1524.) ait: „ Si „ enim

„ enim circumcisione vel baptismo originale peccatum deleri potuisset, Christi passio necessaria non fuisset. Sed impossibile erat sine „ effusione illius sanguinis, originale solvi peccatum. „ Huic, quantum opinor, non rectæ doctrinæ causam fortasse dederunt haud benè perpensa Sancti Ambrosii verba, qui (l. 2. c. 2. in Lucam circ. med., scripserat „ Nam & circumcisio purgationem significat delictorum. „ Ita enim Sanctum Doctorem innuere voluisse non dubito, ex multis ejus auctoritatibus suo loco videndis quod semper tenuit Ecclesia, circumcisionem nimirum non effecisse remissionem peccatorum, sed eam jam factam dumtaxat demonstrasse. Demonstrabat quidem quod ipsa non efficiebat: nec tamen inde benè desumitur, remissionem originalis & actualium delictorum, nonnisi post corporalem Domini passionem, exordium habuisse.

7. Circumcisio enim ita significabat purgationem delictorum, sicuti fidei erat signaculum. Paulus autem ait de Abraham, *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei*. Unde intelligimus, circumcisionem dono fidei, quo Abraham justificatus est, tempore fuisse posteriorem: quam proinde justificationem ipsa largiri non poterat. Sed æquè intelligimus, verum fidei donum Abraham credentem justificans, verè a Deo ipsi fuisse conlatum etiam ante passionem Christi. Idcircò quamvis circumcisio non remitteret peccata, sed eorumdem purgationem significaret: attamen intelligendum non est, peccata, tempore circumcisionis præceptæ, non fuisse remissa; sed immo per circumcisionem susceptam, eorum veram remissionem fuisse monstratam.

8. Quum igitur negari non possit, antiquos homines remissionem peccatorum recepisse per fidem in Christum venturum, quia scilicet, ut Divus Thomas explicat (ibid. in O) „ justitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante „: ideò homines in circumcisione, vel in fide absque circumcisione (dummodo possent, nec contemnerent obedire præcepto) remissionem culpæ, & pœnæ consequebantur.

9. Laudatus tamen Sanctus Doctor hoc discrimen assignat, „ quòd „ pro actualibus peccatis, & culpæ, & pœnæ remissio fiebat, PRO ORIGINALI VERO, CULPA TANTUM REMITTEBATUR NON ITEM POENA. Hæc sunt ejus verba (P. 3. q. 52. ar. 5.). In quo autem hujusmodi pœna consisteret, explicat tum hoc loco dicens, „ quòd reatu originalis peccati excludebantur a vita gloriæ; „ tum etiam citata quæstione 70. ar. 4. „ Dicendum, quod in circumcisione AUFEREBATUR ORIGINALE PECCATUM EX PARTE PERSONÆ, REMANEBAT TAMEN IMPEDIMENTUM INTRANDI IN REGNUM COELORUM EX PARTE TOTIUS NATURÆ, quod fuit sublatum per passionem Christi: & ideò etiam Baptismus ante passionem Christi non introducebat in Regnum, sed & circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in Regnum.

10. Si hic solus Divi Thomæ textus occurreret, circa reatum peccati

cati originalis antiquis animabus post mortem solvendum: facillimè interpretari possem mentem ejus, atque ostendere, eum cum sententia Divi Augustini aliquo pacto convenire. Quæstio enim de loco instituі videretur; utrum scilicet in regnum cœlorum, qualem nunc credimus, animæ illæ justæ elevarentur, an extra regnum detinerentur in beatitudine, videntes nimirum Deum sicuti est. Ita enim nihilominus a doloribus fuissent immunes, & feliciter beatèque vixissent, quod pariter docuit Augustinus. Nec visio Dei extra regnum Cœlorum Divo Thomæ indecens videri posset; quandoquidem ipse docet, in triduo sepulturæ Christi, beatorum animas in sinu Abrahæ apud inferos visione Dei, & lumine gloriæ donatas. (P. 3. q. 52. art. 2.) Quamobrem si non repugnat illas fuisse gavisas visione Dei apud inferos per tres dies, immò usque ad Ascensionem, ut ipse pariter vult (P. 3. q. 57. art. 6.): nec repugnaret, eadem divina visione gaudere potuisse eas omnes, quæ pro diversitate temporum in justitia decesserant, atque in eumdem Abrahæ sinum perducebantur. Sed quia apud Divum Thomam exclusio a regno cœlorum idem est cum exclusione a vita gloriæ, & a visione beatifica Dei; ita ut ob hanc gloriæ dilationem doloribus obnoxias asserat Sanctorum Patrum animas, causa desumpta a reatu originalis peccati naturæ humanæ incumbente: inquirendum est, utrum hic reatus inhærere posset animabus, procul dubio per gratiam Dei justificatis.

11. Duas tantùm primo peccato pœnas incurrisse Adam, & totum in ipso genus humanum in Scripturis sacris invenio. Æternam unam tam pro anima quàm pro corpore, nisi peccatum illud remitteretur a Deo. Temporalem alteram, animæque dum in corpore vivit assiduam, quæ nonnisi corporali morte persolvitur cum ipsius animæ passione ac mœstitia. Hæc pœna quantacumque sit, animæ luenda superest, vel si ab originali peccato non absolvatur, vel si istud dimittat Deus. Hinc Apostolus docet: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & sic in omnes homines pertransit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. 5. 12.) Peccatum quidem dicens, mortem æternam animæ significat. Sola enim anima, substantia scilicet rationalis in homine peccati capax est: quo usque dum inquinatur, a vera vita sua abest, quæ Deus est; sicque vivens & immortalis quodammodo mortua est. Mors verò corpori propria est: per hanc enim a vita sua scilicet ab anima dividitur, & corruptionem perficit nativitate inceptam, omnemque pristinam speciem deperdit, ut non amplius humanum corpus videatur, & sit; sed ut plurimum in pristinum pulverem revertatur, juxta sententiam Creatoris in Adam pronunciatam: *pulvis es, & in pulverem reverteris* (Gen. 3. 19.) Ita S. Augustinus „ Nos certè, inquit, quod nemo Christianus ambigit, & anima & „ corpore mortui sumus; anima propter peccatum, corpore propter „ pœnam peccati, ac per hoc & corpore propter peccatum (8. Tom. de Trinit. l. 4. c. 3. n. 5.)

12. Nec

12. Donec autem anima inferiorem hanc carnis subſtantiam informat, non ſolùm ſubditur propriæ malæ voluntatis paſſionibus ex peccato Adæ contractis, ſed prorſus innumeris malis ex carnis ſocietate venientibus. Ipſa enim in corpore, quamvis per hujus organa, torquetur & angitur, ſive febribus, ſive algore, aut frigore, ſive fame aut ſiti, & quibuſcumque aliis, quæ ſenſus afficiunt, incommodis. Senſus enim aut organa corporis, quæ aliquo egent, propriam indigentiam animæ denunciant per debilitationem, ſive per impreſſionem, ſive alio quocumque excogitabili modo. Cui indigentiæ ſi congrua auxilia præſto ſunt, moleſtia continuò ſilet. Sin iis, quæ indigentiæ opportuna ſunt, anima caret: anguſtia recrudeſcente, diuturno labore cruciatur; & tandem a corpore, quod de die in diem magis magiſque corrumpitur, quod tamen amare naturaliter cogitur, morte ſeparatur.

13. Iſtorum omnium vitæ noſtræ malorum, bonis, maliſque communium, quicumque ampliſſimam enarrationem legere optaret: ea conſulat, quæ Divus Auguſtinus (7. Tom. de Civit. Dei l. 22. c. 22.) diligentiſſimè deſcripſit; tum etiam ea, quibus boni tantùm & juſti ex inſtitutione virtutis, quam diligunt, peculiari ratione cruciantur, quæ ſequenti capite proſequitur; nonnulla in fine hujus addens, quibus homines ad appetendam alterius æternæ vitæ incommutabilem felicitatem excitentur. „ In illo autem Regno, inquit, ubi ſemper cum „ corporibus immortalibus erimus, nec prælia nobis erunt ulla, nec de„ bita, quæ nuſquam & nunquam eſſent, ſi natura noſtra, ſicut re„ cta creata eſt, permaneret. Ac per hoc etiam noſter iſte conflictus, „ in quo periclitamur, & de quo nos victoria noviſſima cupimus li„ berari, ad vitæ hujus mala pertinet, quam tot, tantorumque teſti„ monio malorum probavimus eſſe damnatam. „

14. Præclara hæc prorſus ſunt. Sed illud præclariſſimum, quo Sanctus Doctor defendit & explicat quamdam ſententiam ſuam contra Pelagium, qui eadem abutebatur in ſuorum errorum præſidium. Qui locus quum demonſtret, luendam nobis eſſe in hac vita pœnam originalis, quamvis dimiſſi, peccati: juxta contextum ſuum legentium oculis ſubjiciendus eſt, utpotè propoſitum noſtrum mirificè illuſtrans. Libro igitur primo retractationum (cap. 9. n. 5.) ſic ait: „ Et in „ libro tertio (de libero arbitrio) quum dixiſſem illud, quo & Pela„ gium de meis opuſculis uſum fuiſſe commemoravi. *Quis enim pec„ cati in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccator autem, caveri igi„ tur poteſt;* continuò ſecutus adjunxi. Et tamen etiam per ignoran„ tiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, ſicut in „ Divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apoſtolus: *Miſericordiam „ conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Ait & Propheta: *Delicta juventu„ tis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Sunt etiam neceſſitate „ facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt. Nam „ unde ſunt illæ voces: *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi*

„ *ma-*

„ *malum hoc ago*. Et illud *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum* „ *non?* Et illud: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem ad-* „ *versus carnem? Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis* „ *faciatis?* Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione „ venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista „ peccata sunt. Si enim oon receditur ab eo modo, quo naturaliter „ factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, quum „ hæc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset; nunc autem „ quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, „ sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo & non valendo „ esse, qualem se debere esse videt: pœnam istam esse quis dubitet? „ OMNIS AUTEM POENA, SI JUSTA EST, PECCATI POENA EST, & „ supplicium nominatur: Si autem injusta pœna est, quoniam pœ- „ nam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante homini imposi- „ ta est. Porrò quia de omnipotentia Dei & justitia dubitare demen- „ tis est, justa hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Non „ enim quisquam injustus dominator, aut surripere hominem potuit, „ velut ignorante Deo, aut extorquere invito tamquam invalidiori, „ vel terrendo vel confligendo, ut hominem injusta pœna cruciaret. „ Relinquitur ergo, ut hæc pœna justa de damnatione hominis ve- „ niat. Et alio loco: Approbare, inquam, falsa pro veris, ut erret „ invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non „ posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti ho- „ minis, sed pœna damnati. Quum autem de libera voluntate rectè „ faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est, loqui- „ mur . . . . . . ex qua miseria peccantibus justissimè inflicta, libe- „ rat Dei gratia, quia spontè homo, idest libero arbitrio cadere po- „ tuit, non etiam surgere: ad quam miseriam justæ damnationis per- „ tinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exor- „ dio nativitatis suæ, nec ab isto malo quisquam nisi Dei gratia li- „ beratur. „

15. Hæc porrò mala sunt, quæ dixit Abraham recepisse Lazarum in vita sua (Luc. 16), quia, ut S. Augustinus explicat, „ intellexit „ HUJUS VITÆ MORTALITATEM LABORES, DOLORES ET ÆRUMNAS, „ POENAS ESSE PECCATI, de quo scriptum est: Eramus & nos natu- „ raliter filii iræ, sicut & ceteri; de quo item scriptum est: Nec in- „ fantem, cujus est unius diei vita super terram, mundum esse a „ peccato, quia omnes utique in Adam morimur, qui factus est trans- „ gressione mortalis. „ (2. p. 3. Tom. Quæst. Evangel. l. 2. q. 38. n. 2.)

16. Hinc assequimur, in hoc consistere temporalem pœnam originalis peccati, ut homo cum hac universali culpa ex Adam per concupiscentiam carnis propagatus, his omnibus vitæ hujus agatur suppliciis. A quibus primi illi generis nostri parentes nobiscum fuissent immunes, nisi Dei præcepto reluctantes, ea omnia subire meriti essent,

quæ commemoravimus. Et quoniam illi, a mundana quietissima vita ad æternam non moriendo transissent, nisi peccassent: nunc ad hanc consequendam, per unum mortis supplicium infelicibus posteris aditus pateat. Quodque insuper non contemnendum est, anima jam beata, a suo tamen corpore vivere debeat sejuncta, usque dum novissima canente tuba, homo integer resurgat; ita ut quod non differtur animæ humanæ per Christi gratiam, toto tamen homini differatur nondum definiti temporis spatio.

17. Utrum antiqui justi iisdem passionibus, atque omninò simili corporis morti fuerint obnoxii, nihil est quod referam; testes enim habemus præclarissimas Scripturas, in quibus eorum vel angustias, vel miserias, vel tribulationes, ac certè mortem passim offendimus.

18. Sed ad ea redeundo, quæ hanc vitam respiciunt damnatam: si post istam originali peccato debitam temporalem pœnam in hoc mundo solutam, alia itidem temporalis superesset solvenda post mortem: assequi minimè valeo quomodo originale peccatum fuerit ipsis remissum. Hæc quippe remissio, quum ab hujus labilis vitæ passionibus, molestiis, periculis & debitis non absolvat: illud ex sententia S. Augustini operatur, „ Ne obsit mortuo, quod inerat nato „ (10. Tom. de pecc. merit. & remiss. contra Pelag. l. 1. c. 38.). At enim hic idem reatus mortuis obfuisset; nam propter hunc amoti fuissent cum maxima pœna sua a visione Dei, quæ sola merces est justis animabus: dicendum igitur esset, non fuisse remissum; vel ex parte tantùm remissum & ex parte non, quod implicat, ideam quippe remissionis excludit. Illa namque remissio, quam etiam beatitudinem Apostolus nuncupat, id præstabat, ut tegeretur; & remitteretur, & non imputaretur Abrahæ credenti peccatum, ut supra vidimus, testimonio ex Psalmis desumpto: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. (Ps. 31. 1.) Sed adhuc imputaretur peccatum, si, ejus pœna soluta cum morte, reatus tamen post mortem maneret: non fuisset ergò omninò remissum.

19. Discere ab Augustino non pigeat, quid agat remissio peccati originalis, in iis, quibus Dei misericordia tantum bonum largitur; & quomodo, hac posita clementissima remissione, nullus peccati reatus homini imputari valeat ad culpam dum vivit, nec ad pœnam post corporis mortem. „ 37. Hæc itaque remissio, inquit, peccatorum, „ quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in „ peccatum imputetur, idest ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui „ teneat æterni supplicii debitorem. Hoc enim trajicit parens in pro„ lem carnalem, quod est ipse carnaliter natus, non quod spiritaliter „ est renatus: Quia id ipsum, quod carnaliter natus est, quamvis rea„ tu soluto, non impediat fructum ejus, tamen tamquam in semine „ olivæ latet, etiamsi propter remissionem peccatorum nihil oleo no„ cet, ei scilicet vitæ, qua secundùm Christum, qui est appellatus ab

„ oleo,

„ oleo, ideft a chrifmate, juftus ex fide vivit. Hoc autem, quod in „ parente regenerato, tamquam in oleæ femine fine ullo reatu, quia „ remiffus eft, tegitur; profectò in prole nondum regenerata, velut „ in oleaftro, cum reatu habetur, donec etiam illic eadem gratia re„ mittatur. Ex quo enim Adam ex olea tali, in qua nec femen e„ rat hujufmodi, unde amaritudo nafceretur oleaftri, in oleaftrum „ peccando converfus eft, quia tam magnum peccatum fuit, ubi ma„ gna fieret in deterius mutatio naturæ; totum genus humanum fe„ cit oleaftrum: ita ut (quemadmodum nunc in ipfis videmus arbo„ ribus) fi quid inde in oleam gratia divina convertit, IBI VITIUM „ PRIMÆ NATIVITATIS, quod erat originale peccatum de carnali con„ cupifcentia traductum & adtractum, REMITTATUR, TEGATUR, NON „ IMPUTETUR: infit tamen unde oleafter nafcatur, nifi & ipfe in o„ leam eadem gratia renafcatur. „ 38. „ Beata itaque olea, cujus „ remiffæ funt iniquitates, & cujus tecta funt peccata: beata cui non „ imputavit Dominus peccatum. Sed illud quod remiffum & tectum „ eft, & non imputatur, donec fiat in æternam immortalitatem ple„ na mutatio, habet vim quamdam occultam, unde feminetur ama„ rus oleafter, nifi & illic eadem Dei agricultura remittatur, tega„ tur, non imputetur: Non erit autem omninò aliquid vel in carna„ li femine vitiofum, quum eadem regeneratione, quæ nunc fit per „ facrum lavacrum, ufque in finem cuncta mala hominis purgante „ atque fanante, eadem caro, per quam facta eft anima carnalis, fiet „ fpiritalis etiam ipfa, nullam legi mentis refiftentem concupifcentiam „ carnis habitura, nihil carnalis feminis emiffura. Sic enim accipien„ dum eft quod ait idem Apoftolus; *Chriftus dilexit Ecclefiam, & fe* „ *ipfum tradidit pro ea, ut eam fanctificaret, mundans eam lavacro aquæ* „ *in verbo, ut exhiberet fibi ipfe gloriofam Ecclefiam, non habentem ma*„ *culam aut rugam, aut aliquid ejufmodi*. (Eph. 5. 25.) Sic inquam, „ hoc accipiendum eft, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo fan„ ctificationis OMNIA PRORSUS MALA HOMINUM REGENERATORUM MUN„ DENTUR, ATQUE SANENTUR, non folum peccata, quæ omnia nunc „ remittuntur in baptifmo, fed etiam quæ pofteriùs humana igno„ rantia vel infirmitate contrahuntur, non ut baptifma quotiens pec„ catur, totiens repetatur; fed quia ipfo, quod femel datur, fit, ut „ non folùm antea, verùm etiam poftea quorumlibet peccatorum ve„ nia fidelibus impetretur.... „39„ AC PER HOC NON SOLUM OMNIA „ PECCATA, SED OMNIA PRORSUS HOMINIS MALA, CHRISTIANI LA„ VACRI SANCTITATE TOLLUNTUR, quo mundat Ecclefiam fuam Chri„ ftus, ut exhibeat eam fibi, non in ifto fæculo, fed in futuro, non „ habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujufmodi. „ (10. Tom. de nuptiis & concupifc. l. 1.)

20. At verò, quia ifta remiffionem peccatorum refpiciunt fancto baptifmate operatam: quifpiam fortaffe concedet, originale peccatum nunc quidem tam perfectè remitti, tegi, non imputari. Contendet

autem, hactenùs & ante passionem Christi, (dum vel ignoto aliquo sacramento, vel circumcisione ipsa remissum significabatur) remissionem illius peccati cum aliquo temporali remanente reatu fuisse conjunctam; a quo reatu per solum Christi Domini descensum in inferos liberandæ essent animæ, quibus tamen non inficiatur largitam fuisse remissionem originalis peccati, quo ad pœnam æternam. Aliter tamen de hac re sensisse Divum Augustinum ex dictis patet. Et ut præclariùs Sancti Patris mens in hoc elucescat, eumdem denuò adeamus (10. Tom. in lib. 2. de nupt. & concupisc. c. 11. n. 24.). Ibi hæreticum quemdam ignotum, sed certè Pelagianum, apud Valerium Comitem insectans, quia adstruebat, Baptismi Sacramentum haud necessarium parvulis in innocentia nascentibus: argumentum adducit ab historia, & lege & fide veteris Testamenti; ostensurus, etiam tunc, nonnisi sacramentis a Deo pro temporum diversitate institutis atque præscriptis, pusillos cum magnis salvos factos esse ea salute, quæ a nobis per Baptismi gratiam fideliter expectatur. Ait igitur. „ Sed ipse „ dicat, quare interiret anima ejus (Isaac nimirum filii Abrahæ) de „ genere suo, si circumcisus die non esset octavo: quid ipse peccas„ set, quid offendisset Deum, ut de aliena in se negligentia tam se„ vera sententia puniretur, si nullum esset originale peccatum? De „ circumcidendis enim Deus sic mandavit infantibus: *Masculus, qui „ circumcidetur carne præputii sui die octavo, disperiet anima ejus de ge„ nere suo, quia testamentum meum dissipavit.* (Gen. 17. 23.) Dicat „ iste si potest, quomodo puer ille testamentum Dei dissipavit octo „ dierum, quantum ad ipsum propriè adtinet, innocens infans: & „ tamen nullo modo Deus, vel sancta scriptura id mendaciter dice„ ret. Tunc ergo dissipavit testamentum Dei, non hoc de imperata „ circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum „ hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & „ ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et „ hoc in illo significabatur expiari circumcisione octavi diei, hoc est „ sacramento Mediatoris in carne venturi: QUIA PER EAMDEM FI„ DEM VENTURI IN CARNE CHRISTI, ET MORITURI PRO NOBIS, „ ET TERTIO DIE, QUI POST SEPTIMUM SABBATHI FUERAT FUTU„ RUS OCTAVUS, RESURRECTURI, ETIAM JUSTI SALVABANTUR ANTI„ QUI. Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter „ justificationem nostram. EX QUO ENIM INSTITUTA EST CIRCUM„ CISIO IN POPULO DEI, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, „ AD SIGNIFICATIONEM PURGATIONIS VALEBAT ET IN PARVULIS „ ORIGINALIS VETERISQUE PECCATI, SICUT ET BAPTISMUS EX IL„ LO VALERE COEPIT AD INNOVATIONEM HOMINIS EX QUO INSTI„ TUTUS EST. NON QUOD ANTE CIRCUMCISIONEM JUSTITIA FI„ DEI NULLA ERAT; NAM QUUM ADHUC ESSET IN PRÆPUTIO, EX „ FIDE JUSTIFICATUS EST ABRAHAM pater gentium, quæ fidem „ ipsius fuerant sectaturæ: sed superioribus temporibus omni modo la-

„ tuit

„ tuit facramentum juftificationis ex fide. EADEM TAMEN FIDES MEDIATORIS SALVOS JUSTOS FACIEBAT ANTIQUOS PUSILLOS CUM MAGNIS; non vetus teftamentum, quod in fervitutem generat, non „ lex, quæ non fic eft data, quæ poffet vivificare; SED GRATIA DEI „ PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. QUIA SICUT CREDIMUS NOS CHRISTUM IN CARNE VENISSE, SIC ILLI VENTURUM: „ SICUT NOS MORTUUM, SIC ILLI MORITURUM: SICUT NOS RESURREXISSE, ITA ILLI RESURRECTURUM: ET NOS VERO ET ILLI AD „ JUDICIUM MORTUORUM VIVORUMQUE VENTURUM. „

21. Ex his lectores nofcent, quòd ficuti nullus originalis peccati reatus ab Auguftino traditur folvendus poft mortem ab iis, quibus idem originale debitum a clementiffimo Domino dimiffum eft in novo teftamento: ita nullum cognovit in animabus, quæ ante Chriftum paffum in eadem gratia mundo occubuerunt; quibus immo parem falutem pollicetur, quia eamdem de futuris fidem habebant, quam nos de præteritis profitemur. Intelligant infuper, Sanctum Doctorem conftantiffimè tueri fententias iftas adverfus Pelagianos; quin ipfi de novitate coram Ecclefia illum arguerent; unde confequitur, totam Ecclefiam Catholicam in eodem fenfu fuiffe. Hinc non perperam caracterem Traditionis antiquiffimæ me infcribere puto fententiæ huic, & nonnifi bono jure a contraria opinione difcedere Divi Thomæ, in antiquis juftis reatum invenientis temporali pœna folvendum poft mortem. Nam vocabula REMITTERE, TEGERE, NON IMPUTARE originale peccatum, quemcumque ejusdem peccati reatum poft mortem elidunt.

22. S. Auguftinus enim enarrans verficulos Pfalmi 31, quos fuperiùs ab Apoftolo in laudem & teftimonium juftitiæ Abrahæ adductos legimus: ipfos litteralem iftam & obviam fignificationem continere me docet. „ *Beati*, inquit, *quorum remiffæ funt iniquitates*, *& quorum* „ *tecta funt peccata*. COOPERTA SUNT, TECTA SUNT, ABOLITA SUNT. „ Si texit peccata Deus, noluit advertere; fi noluit advertere, noluit „ animadvertere; fi noluit animadvertere, noluit punire; fi noluit punire, noluit agnofcere, maluit ignofcere. Nec fic intelligatis quod „ dixit, peccata cooperta funt, quafi ibi fint & vivant. Tecta ergo „ peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nifi punire peccata? Ut noveris, quia hoc eft Dei „ videre peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur? *Averte faciem* „ *tuam a peccatis meis*. (4. Tom. in Pfalmum 31. Enarrat. 2. n. 9.)

23. Quum igitur in uno Abrahamo hæc omnia elucefcant; *Beatus* enim ab Apoftolo dictus eft, quia Deus *tegerat*, quia *remiferat*, quia *ei non imputabat peccatum*: conftat, ex horum verborum luculentiffimo fenfu, ita omnem culpam in Abrahamo deterfam, ut ambigi non poffit, eum hinc difceffiffe perfectæ juftitiæ ftola redimitum; atque idcircò omninò evanefcit reatus originalis peccati ejus animæ adhuc incumbens, propter quem in doloribus juxta Divum Thomam detinebatur.

batur. Nam quando legimus imputatum non fuisse Abrahæ peccatum: intelligendum est cum respectu ad jam dicta, scilicet quia remissum, & tectum erat a Domino; & sic percipimus imputatum illi non fuisse quoad culpam, & pœnam æternam, quum videamus verè fuisse imputatum ad pœnam temporalem in hac carne solvendam. Hanc enim peccati pœnam, quantum attinet ad humanæ hujus vitæ damna, & ad extremum animæ in carne supplicium, persolvit Abraham in vitæ tribulationibus constans, & fidelis perseverans, & demum tot tantisque meritis cumulatus occumbens. Nullum enim de eo peccatum propria voluntate commissum legi in Scriptnris perpenderat S. Augustinus; quinimmo justitiæ & fidelitatis, & timoris Dei luculentissima testimonia tanto Patriarchæ ex ipsiusmet Dei infallibili ore perhiberi. Consequitur itaque, quòd peccatum, de quo mentio fit, non imputaretur ipsi post mortem. Sed si reatus supererat cum dolore solvendus: peccatum originale imputatum fuisset etiam post temporalem pœnam, idest post mortem corporis, & usque ad descensum Christi ad inferos: ergo non solum verum non esset, quod Apostolus evidentissimè prædicat, Abrahæ credenti non imputatum a Domino fuisse peccatum; sed immò intelligendum esset, animam Abrahæ duplici temporali pœna pro eodem peccato fuisse punitam. Altera scilicet totum spatium occupante suæ in corpore vitæ, quæ ex Augustino damnata est, juxta illud Ecclesiastici (40. 1.) *Grave jugum super filios Adam a die exitus eorum de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium:* altera peculiari animæ solius jam verè justæ post separationem a corpore, eaque vehementissima, utpote manante a privatione mercedis possessionis Dei in tot sæcula. Hanc tamen duplicem pœnam improbat Nahum dicens: *Non consurget duplex tribulatio*; ubi Septuaginta legunt: *non judicabit Deus bis in idipsum*. (1. 9.)

24. Ex iis, quæ de Abrahamo diximus, colligere fas est, veram vim remissionis originalis peccati circumcisis omnibus per Dei gratiam largitæ. Scilicet peccatum ita illis remittebatur, ut non eis noceret ad culpam, & pœnam æternam. Minimè verò absolvebantur a temporali pœna in carne luenda: mortui quippe omnes sunt. Itaque si mortem corporis obibant, priusquam justificantis gratiæ donum propria mala voluntate deperderent: hujus justitiæ merito ante Dei conspectum constituebantur, illius hæreditatis facti participes, quam constituit Dominus diligentibus se.

CA-

CAPUT DECIMUM.

Examinantur fundamenta D. Thomæ de reatu originalis peccati, quem ipse inhærentem docuit animabus in sinu Abrahæ receptis.

1. AD firmandam sententiam suam de reatu peccati originalis, in separatis sanctorum antiquorum animabus remanente, hæc affert D. Thomas (p. 3. q. 49. ar. 5.) „ Dicendum, quod clausio „ Januæ est obstaculum quoddam prohibens homines ab ingressu. Pro- „ hibebantur autem homines ab ingressu Regni Cœlestis propter pec- „ catum: quia sicut dicitur Isa. 35. Via illa sancta vocabitur, & non „ transibit per eam pollutus. Est autem duplex peccatum impediens „ ab ingressu Regni Cœlestis. Unum quidem commune totius huma- „ næ naturæ, quod est peccatum primi parentis, & per hoc pecca- „ tum præcludebatur homini additus regni cœlestis, unde legitur „ Gen. 3, quòd post peccatum primi parentis collocavit Deus Che- „ rubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam „ viam ligni vitæ. Aliud autem est peccatum speciale uniuscujusque „ personæ, quod per proprium actum committitur uniuscujusque ho- „ minis. Per passionem autem Christi liberati sumus, non solùm a „ peccato communi totius humanæ naturæ, & quantum ad culpam, „ & quantum ad reatum pœnæ, ipso solvente pretium pro nobis, sed „ etiam a peccatis propriis singulorum, qui communicant ejus passio- „ ni per Fidem & Caritatem, & fidei Sacramenta, & ideo per Pas- „ sionem Christi aperta est nobis janua Regni Cœlestis. „

2. Ex allato Isaiæ loco inferre necesse est, originale peccatum defunctis antiquis justis non fuisse remissum. Si enim isti per sanctam illam viam transire non poterant, quia erant adhuc polluti: statim nobis occurrit labes aliqua eorumdem spiritum inficiens, quæ nonnisi ex peccato est adhuc inhærente; longè verò distat ab albedine, nitore atque justitia, quam pœnitens David sibi sperabat infundi. Qui adeò firmiter credebat, Deum in remissione peccatorum verum infundere animæ nitorem, ut ad eumdem significandum multiplices metaphoras adhiberet, ut quod nisi fortè deesset, suppleret altera. „ Sed „ illa præ ceteris insignis est in Psalmo L, ait Cardinalis Bellarmi- „ nus *Asperges me hysopo & mundabor, lavabis me & super nivem deal- „ babor*. Quo loco dicitur peccatorum remissio non solùm tegere ma- „ culam, sed verè abluere; & non solùm verè abluere, sed addere „ nitorem: nec solùm tollere nigredinem, sed addere albedinem tam „ veram, ut nivis candorem superare dicatur. Quid est autem tollere „ maculam, & addere nitorem, nisi tollere peccatum & infundere „ gratiam? Quid auferre nigredinem, & ponere candorem, nisi au- „ ferre injustitiam & donare justitiam? Quod idem legimus in pri- „ mo capite Isaiæ. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix de-*

„ *alba-*

„ *albabuntur, & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* „ (In Ps. 31. n. 2.); ubi plures ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, & Augustinum in eumdem locum, pro se refert.

3. Rectè igitur, aut ego fallor, videri potest, textum Isaiæ a Divo Thoma laudatum (qui eos verè respicit, quorum peccata dimissa in vita non fuerant) nullo modo posse applicari justis separatis animabus, quibus originale peccatum, teste ipso D. Thoma, jam erat remissum. Etenim, remissione posita, non video quomodo in iis superesset pollutio, propter quam ab ingressu prohiberentur Regni Cœlorum, scilicet, ut ibidem (ad. 1.) explicat, propter quam nullus quantumvis justus adipisci posset beatitudinem æternam, in plena Dei fruitione consistentem. Quid enim impurum excogitari potest in singulis illis animabus, de quibus eodem loco fatetur D. Thomas „ quòd Sancti Patres operando opera justitiæ, meruerunt introitum regni cœlestis per fidem passionis Christi (secundum illud Hebr. 11, *Sancti per fidem vicerunt regna operati sunt justitiam*), per quam etiam unusquisque purgabatur, quantum pertinet ad emendationem propriæ personæ? „ Nihil prorsus. Polluti ergo non erant; ideoque nulla recta ratione ex verbis Isaiæ præpediti dicuntur ab ingressu regni cœlorum.

4. Huic constanti veritati nihil officient quæ idem S. Doctor adjecit, ajens: „ Non tamen alicujus fides vel justitia sufficiebat ad re„ movendum impedimentum, quod erat per reatum totius humanæ „ creaturæ, quod quidem remotum est pretio sanguinis Christi; & „ ideò ante passionem Christi nullus intrare poterat regnum cœleste. „ Non enim video ubi inveniam reatum totius humanæ creaturæ, pollutionem afferentem illi humanæ personæ, quæ perfectam emundationem jam erat consecuta. Creaturam namque humanam, a personis humanis in mea tenuitate secernere non valeo. Et quia persona humana, docente Augustino, mixtura est corporis atque animæ humanæ: vel non personæ erant animæ separatæ Sanctorum; vel si personæ rectè appellantur; nec inde intelligo quomodo superesse posset reatus creaturæ humanæ per quem anima humana jam sancta, a beatitudine visionis Dei prohiberetur. Dum enim anima justa est, nullum habet reatum. Reatum verò in jam deposito corpore remanere, non credam; quia corpus capax reatus non est. Adhuc igitur quæro ubi reatum inveniam totius humanæ creaturæ, dum animam verè justam & sine ullo reatu confiteor; corpus autem incapax reatus agnosco. At si ad confirmandum hunc reatum totius humanæ creaturæ quispiam aliquid erui posse confideret a morte, in qua corpus earum tunc manebat: caveat prius ne eumdem reatum nolens affingat animabus etiam novi testamenti, quæ in eadem corporis privatione nunc manent, & usque in diem extremi judicii manebunt. Quæ privatio si antiquis justis causa doloris erat: similis passionis fons nunc etiam sanctis erit. Adeoque vel istorum naturæ adhuc inest reatus, vel illorum naturæ non rectè tribuitur. Et demum, aut antiqui justi statim

post

post mortem beatitudine visionis Dei non defraudabantur; aut etiam Sancti novi testamenti ab eadem exulant in præsens.

5. Si verò non totius *humanæ creaturæ*, ut in mea legitur Editione Romana anni 1570., sed legendum quis velit totius *humanæ naturæ*, quia in aliis etiam quæstionibus, non *creaturæ*, sed *naturæ* scriptum invenimus: adhuc tamen non satis assequor hunc naturæ reatum, pœnam infligentem humanæ personæ jam verè emundatæ. Natura enim nihil aliud est, quàm id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. (D. Augustinus 1. Tom. de Mor. Manich. l. 2. c. 2.). Natura igitur humana, ut aliquid sit, multitudo erit omnium tam præteritorum, quàm præsentium, & futurorum hominum, quibus eadem prædicata conveniunt, quæ uni insunt, ut homo sit. Ideò quum dicimus, peccato primi hominis omnem in pejus conversam, & damnatam fuisse naturam: omnes homines, qui ab illo primo vel extiterunt, vel sunt, peccatum originale propagatione contraxisse intelligimus; quo reatu ita singuli tenerentur, ut eo non soluto per Dei gratiam, æternis quisque adjudicaretur suppliciis. Igitur, dum confitemur, quosdam inter homines, qui massam, ut ita dicam, naturæ humanæ constituunt, ab hoc reatu fuisse solutos: profectò natura humana, quæ in talibus invenitur, nullum amplius continet hujus peccati reatum; quod enim singulis prodest, humanæ individuorum naturæ profectò prodest. Quamvis ergo hæc eadem natura humana reatum habeat in ceteris, quibus nondum dimissum est originale peccatum: fieri tamen non potest, ut istorum pollutio iis noceat, qui ab ea macula redempti sunt, docente Scriptura *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. (Ezech. 18. 20.)

6. Dum igitur necessariò metimur sortem totius humanæ naturæ a sorte hominum, in quibus invenitur: perperam diceremus, totam naturam humanam continere reatum in tanto numero liberatorum, quibus reatus non inest. Atque ideò, non totam humanam naturam, sed partem ejus, vel ab hoc immunem, vel sub ipso reatu manentem confitemur, juxta vel gratiam Dei liberatis hominibus conlatam, vel justitiam, & iram in non liberatis perseverantem. Nunquam propterea reatus *totius humanæ naturæ* in sanctis antiquis poterit propugnari, nisi vera eorumdem purgatio a reatu originalis peccati in discrimen vocetur; quos tamen ab eo reatu fuisse absolutos D. Thomas rectissimè docet.

7. Vel igitur in personis (ut suis verbis utar) reatus adhuc erit; vel in earum natura non erit. Qui si in personis non erat, eodem D. Thoma dante: nec in earum natura poterit inveniri, quocumque alio volente. Rursus, vel ad Cœlorum regnum penetrandum nullum impedimentum habebant, reatu soluto: vel si habebant, non erat solutus. Demùm, vel adhuc pollutæ erant, illæ animæ; & macula in eis supererat, ob quam justè punirentur: vel pollutæ non erant; & a justo Domino puniri non poterant immaculatæ. Hæc dicta

L sint

sint ut amplius appareat, textum Isaiæ *Via illa sancta vocabitur*, *&* *non transibit per eam pollutus*, nec ad personas pertinere sanctorum, qui in Abrahæ sinu erant, nec ad illorum naturam, postquam, Deo miserante, sanata fuit.

8. Nondum pariter video, quid conferat ad confirmandum reatum peccati originalis, remanentem in animabus separatis Sanctorum antiqui testamenti, historia Geneseos (3) a D. Thoma commemorata. Certum siquidem est, Deum post peccatum primi parentis collocasse Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ut custodiret viam ligni vitæ. Verùm hoc, sicut cetera, quæ antea in Scriptura leguntur, non solùm ostendit quid Adæ tunc verè acciderit; sed etiam inservit ad indicanda mysteria, ab hisce rebus præfigurata „ „ Propter hoc etiam, ait S. Augustinus (10. Tom. de peccat. me„ rit. & remiss. l. 2. c. 34. n. 55) „ de paradiso dimissus Adam „ contra Edem habitavit, idest contra sedem deliciarum: ut signifi„ caret, quod in laboribus, qui sunt deliciis contrarij, erudienda es„ set caro peccati quæ in deliciis obedientiam non servavit antequam „ esset caro peccati. Alienatus enim, (ut dixerat 1. p. 3. Tom. de „ Genes. ad litt. l. 11. c. 40. n. 54.) a vita, non solum quam „ fuerat, si præceptum servasset cum Angelis accepturus, sed ab illa „ etiam, quam ducebat in paradiso, felici quodam corporis statu, „ separari utique debuit a ligno vitæ: sive quòd ex ipso illi subsiste„ ret felix ille ipse status corporis, ex re visibili, virtute invisibili; „ sive quòd in eo esset & sacramentum visibile invisibilis sapientiæ; „ alienandus inde utique fuerat, vel jam moriturus, vel etiam tam„ quam excomunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, idest Ecclesia, „ solent a Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesia„ stica removeri. „ Verba autem enarrans, *Et ordinavit Cherubim, & flammeam romphæam, quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ*, addit: „ Hoc per cœlestes utique potestates etiam in paradiso visibili factum „ esse credendum est, ut per Angelicum ministerium esset illic ignea „ quædam custodia: non tamen frustra factum esse, nisi quia signi„ ficat aliquid etiam de paradiso spiritali, non est utique dubitandum.

9. Spiritalem Paradisum revera dessignant *ignis*, & *gladius*, quia, ut notat Glossa interlinearis, *reverti non possumus nisi per hæc*. Fuit igitur in illis verbis, primò Adæ condemnatio patens, quia a paradiso corporali ejectus, atque ab ingressu usquequaque prohibitus per gladium versatilem, ut perpendit Chrysostomus (Hom. 18. in cap. 3. Geneseos); tum etiam Adæ admonitio, nobis etiam communis, ut intelligeret quibus præsidiis, spiritalem paradisum amissum recuperare deberet; igne scilicet amoris casti, & gladio spiritus, quod est Verbum Dei. Unde in Evangelio legimus, *Ignem veni mittere in terram*, *& quid volo nisi ut accendatur* (Luc. 12. 49.): & alibi, *Si manus tua* (*vel pes tuus*) *scandalizat te*, *abscinde eam*, *& projce abs te*, (Math. 5. 30.) Quicumque igitur per hæc anhelat ad Dominum,

num, & fidelis invenitur in fine, *intrat in gaudium Domini sui:* ſicuti ignem, & gladium ad æternum ſupplicium inveniet, qui meruerit ne in Paradiſum denuò recipiatur. Propterea confirmo, citata verba nihil juvare ſententiam reatus peccati originalis in animabus ſeparatis remanentis, ex eorundem verborum neceſſaria intelligentia, quam genuinam eſſe ſequentia monſtrabunt.

10. Certiſſimum eſt, omnes homines ab ingreſſu Regni Cœlorum propter peccatum originale fuiſſe prohibitos. Niſi enim peccatum illud a Deo remitteretur, animæ, & corporis æternùm obfuiſſet ad mortem: ſi verò remitteretur, nec animæ obfuiſſet poſt obitum corporis, nec corpori poſt reſurrectionem. Animadvertendum tamen eſt, quòd ſicuti humana perſona duobus conſtat, anima nimirum, & corpore; omnis autem natura hominis in dominatu animæ, & famulatu corporis temperata eſt, ut docet S. Auguſtinus (6. Tom. de diverſis quæſt. ad Simplician. l. 1. n. 20.) nunquam dici poſſet homo cœlum ingreſſus, niſi ſecundum utramque ſubſtantiam illuc intraret. Rurſus nunquam haberi poſſet in priſtinum ſtatum reſtitutus, niſi anima conjuncta corpori, verum, & liberum in ſubjectum, & obediens corpus exerceret imperium; quod in carnis reſurrectione fideliter expectamus. Anima namque hoc corruptibile corpus informans, aliam patitur legem ex membris repugnantem legi mentis ſuæ, ut non quod vult faciat. Nec ita imperat corpori, ut nulla per ipſum moleſtia ei nolenti inferatur: quamvis, gratia Dei operante, adeò inobſequentis corporis motus frænet atque cohibeat, ut peccatum non regnet in ea; quod tamen peccatum geſtat in corpore, quamdiu vivit in illo. His igitur redimita coronis ſi corpus deponat; nulla jam intercedente moleſtia, continuò vivit in Deo, a quo peccando dumtaxat poterat ſeparari. Atque ita perfectè beata, quantum attinet ad ſpiritualem naturam ſuam, vivit in contemplatione demonſtratæ veritatis, donec, noviſſima canente tuba, primævo etiam corpori reſtituatur a ſe vivificando; quod immortale recipiet, & ita ſibi ſubdito, ſicuti ipſa in æternum ſubdita erit Deo. Hæc completa perfectio naturæ humanæ peccato vitiatæ, numquam præſtita fuiſſet, niſi Unigenitus Dei Filius eadem illa mortali carne veſtitus, infirmitatem noſtram ſuæ divinitati copulaſſet, & morte corporis perpeſſa humanam naturam in Dei dextera collocaſſet.

11. Hinc patet, nonniſi poſt Paſſionem Chriſti, humanam naturam a peccato fuiſſe liberatam, ita ut totus homo ſuo tempore Cœlum ingredi poſſet ad exemplum Capitis. Niſi enim Dei Filius paſſibilem carnem ſuſcipere voluiſſet: totum in Adam abſque remedio damnatum erat genus humanum, atque a Regno Cœlorum perpetuo excluſum. Ob hanc autem a temporibus æternis decretam clementiſſimam liberationem factum eſt; ut quibuſdam animabus humanis jam propter peccatum mortuis, gratiam fidei & caritatis infunderet

L 2 Deus

Deus, qua ejus gratia ex filiis iræ filiæ Dei credendo fierent, atque a morte peccati eriperentur. A qua morte quum semel liberantur a Deo, tantæ gratiæ effectus is est, ut veluti nunquam mortuæ habeantur; nec mortis æternæ supplicio, hoc est exclusioni a gloria, denuo obnoxiæ fiant, nisi mandata Domini, in quem crediderunt, voluntario opere graviter perfringentes. Ita S. Augustinus. „ Mors „ autem animæ impietas est . . . . Anima igitur jam pia, quæ fuit „ impia, propter justitiam fidei dicitur ex morte revixisse, atque vivere (8. Tom. De Trinit. l. 4. c. 3.). Quum igitur dona Dei sine pœnitentia sint: semel in vitam admissæ, nunquam ab illa excidunt ex parte Dei; nec illæ prorsus excidunt, quibus quum remissum sit originale peccatum, nullum propriæ actionis addiderunt; atque in recepta justitiæ stola vix mundo natæ, mundo moriuntur; corpusque adhuc per ætatem debile magno lucro deponunt. Dilatio vero hujus præmii; quam ii patienter sustinent, qui in hoc exilio Deum propitium, & in corde habitantem habent, inde est, quia animæ a Deo justificatæ in corpore vivunt jam mortuo, ut ait Apostolus (Rom. 8.), & tamen per Dei misericordiam vivificando; in quo Divinam essentiam (quæ omnia replens, maximè in corde habitat justorum), videre non possunt, neque ea quantum par est, frui, corporis impedientibus vinculis. Quo exutæ carcere, si justæ sunt, vident continuò eum, per quem justæ factæ sunt, atque in æternam vitam vocatæ. Quum enim Dei essentia corporalis non sit; ab oculis hisce carnalibus videri non potest, aut ullo sensu humano comprehendi. A spiritu quidem intueri potest, qui ad hoc factus, & a Deo creatore elevatus est, docente Evangelio *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. (Matth. 5. 8.)

12. Quare nihil prohibet quominus Animæ justorum antiqui testamenti Deum viderent sicuti est, statim a morte. Ipsæ namque hujus beneficii capaces factæ erant per gratiam Dei in remissione peccatorum. „ Non enim nisi peccatis homines separantur a Deo „ ait D. Augustinus (7. Tom. de Civit. Dei. lib. 10. cap. 22.). Itaque animæ ex impiis effectæ piæ propter justitiam fidei, verè dicebantur a morte revixisse atque vivere, ut citato superiùs loco docuit S. Doctor. Corpus verò mortuum incapax erat resurrectionis & gloriæ æternæ, nisi conjuncta carni Divinitas, secundùm Dei propositum, etiam substantiam inferiorem humanæ naturæ ad tantam dignitatem elevavisset. Idcircò sicuti renovationem, quæ ad spiritum pertinet, nonnisi per merita Christi venturi largitus est idem Deus antiquæ legis hominibus: ita per mortem Christi secutam, ejusque gloriosam Ascensionem in cœlum, tum solutum est pretium jam factæ atque faciendæ redemptionis animarum, tum alteri etiam parti substantiæ humanæ provisum est; atque ideo tota humana natura, nonnisi per passionem Christi vel futuram vel factam, a vinculis peccatorum fuit

abso-

absoluta, & capax ad Cœlorum regnum possidendum effecta, diversis tamen temporibus pro diversitate substantiæ, corporis nimirum & animæ, quibus totus & verus homo componitur.

13. Huic favet sententiæ Apostolus ajens: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* (1. Timoth. II. 5.). Si enim eum tunc tantùm mediatorem agnosceremus, quando hominem verum agnoscimus: non hic mediator homo largitus fuisset gratiam credendi in Deum, & in operibus bonis justitiæ pietatisque perseverandi, Angelis primò, deinde antiquis Patriarchis, atque Prophetis. Quumque revera isti talibus donis, testante scriptura cumulati fuerint, antequam Deus homo factus sit: confiteri debemus, nonnisi per merita ejus, qui tunc venturus erat, tanta ipsis præstita fuisse beneficia. Hinc Ecclesia Catholica de tribus Hebræis Pueris canit, *quod Christus eos liberavit de camino ignis ardentis* (Brev. Rom. Antiph. ad Benedicite); quamvis ille nonnisi post plura sæcula humanam susceperit carnem, in qua homo factus est, quod ante non erat, manens Deus ut ab æterno erat, & sic a constitutione mundi hominum creator, Salvator, atque Redemptor.

14. Cur autem hoc Ecclesia Catholica securè non diceret, quum in scripturis hujus etiam veritatis luculentissimum occurrat testimonium? Quum enim Nabucodonosor tres pueros in fornace comburi jusserit, illæsos remanere miratus, tum intra fornacem conspicatus, non tres, sed quatuor videbat viros, quorum alterum præseferre confessus est similitudinem Filii Dei. *Nonne inquit tres viros misimus in fornacem ligatos? & ajunt ei, verè Rex. Ecce inquit ego video quatuor viros solutos deambulantes in medio ignis, & corruptio nulla est in eis, & aspectus quarto similis est Filio Dei.* (Dan. 3.) Nondum quidem Christus mundo natus erat, & similitudo nasciturі ab infideli cognoscebatur. Unde istud? Nisi ut fideles ab hoc testimonio intelligerent, cujus ope tres pueri salvabantur.

15. Et ego igitur D. Thomæ doctrinæ subscribo, dicentis, Regnum Cœlorum per peccatum hominibus præclusum, & per solam Passionem Christi patefactum. Sed hoc modo, nempè quod animæ per gratiam justificatæ, quibus idcircò remissum esset originale peccatum, quæque ab actualibus, si quæ commiserint, immunes essent, ac pœnam ipsis debitam in corpore solverint, statim a morte consequerentur possessionem Dei, sive beatitudinem. Corpora verò mortuorum ab ingressu supernæ Jerusalem prohiberentur ante Christi Ascensionem in cœlum. Propterea credo, nonnisi per merita Christi venturi, ac per ejus passionem tum animam tum corpus humanum, & sic totam humanam naturam, ad gloriam pervenire potuisse. Sed sicuti animæ in corpore degentes misericordiam fuerant consecutæ: ita præmium ipsis promissum, beatitudinem nimirum, obtinere potuerіat ante corpus: antiquissima interim pse de resurrectione etiam

corpo-

corporum, juxta quam è mundo decesserant, per Christi resurrectionem, & in Cœlos ascensionem, firmata.

16. Quæ si aliter essent intelligenda; non video quomodo remissum illis fuerit originale peccatum. Ob hoc enim quamvis remissum, prohiberentur animæ a vita gloriæ; atque ita fraudarentur re ipsis promissa per id, quod nullo modo ipsis inest; & sic per id, quod non est, excluderentur ab eo quod est. Remissio enim hujus peccati, ut supra diximus in hoc consistit, ut amplius non sit, atque amplius non imputetur. Nec esset vera remissio, si ejus reatus animabus adhuc incumberet post corporis mortem; quæ mors una cum ceteris malis, & incommodis, quibus vita hæc nostra obnoxia est, temporalis statuitur pœna peccati originalis. Hinc si altera, hac excepta, quæ illarum in corpore vitam respicit, temporalis pœna proponitur separatis animabus solvenda: merito postulare mihi videor, qua auctoritate fulciatur ista sententia, cui tuendæ, ea, quæ in citatis D. Thomæ articulis vidimus, satis esse fortasse non possunt.

17. Non enim assequor quomodo ex cap. V. Epistolæ ad Romanos, quod ipse (3. p. q. 52. ar. 5.) citat, inferri possit, exclusionem *a vita gloriæ*, non significare dumtaxat æternam damnationem debitam defunctis absque remissionem peccati originalis, in quo concordamus: sed insuper significare temporalem exclusionem a vita gloriæ animabus subeundam, quibus idem originale peccatum a Deo remissum fuerat; contra ea, quæ præcedenti ejusdem epistolæ capite Apostolus de Abraham credente pronunciaverat. Nam exclusio a vita gloriæ (quæ tamen in eo capite per hæc verba non legitur) duo hæc omnino diversa significare non poterat in separatis animabus, æternam scilicet pœnam, & temporalem pro eodem peccato, hoc sensu, ut æterna torquerentur animæ, quibus remissum a Deo non esset; temporali autem illæ etiam cruciarentur, quibus peccatum fuisset remissum. Si enim remissum fuerat, jam non imputatur: imputaretur verò si puniretur. Revera eadem verba illius capitis ad Romanos nunc etiam legimus; quæ tamen hanc duplicem intelligentiam in Dei Ecclesia non habent.

18. Ut istud luculentius fiat, D. Augustinum adeamus (10. Tom. de Nup. & concupisc. l. 1. c. 28.) Plerique offendebantur ex concupiscentia inhærente regeneratis fonte Baptismatis; videbaturque illis, quod sicuti concupiscentia nonnisi ex peccato accidit, ita in homine baptizato, effectu perseverante peccati, causa etiam duraret illius effectus, peccatum nimirum. Augustinus respondet. „ Si autem quæ„ritur quomodo ISTA CONCUPISCENTIA CARNIS MANEAT IN REGE„NERATO, IN QUO UNIVERSORUM FACTA EST REMISSIO PECCATO„RUM, quandoquidem per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis „ gignitur proles parentis etiam baptizati; aut certè si in parente „ baptizato potest esse, & peccatum non esse, cur eadem ipsa in

„ pro-

„ prole peccatum ſit ? Ad hæc reſpondetur , DIMITTI concupiſcen-
„ tiam carnis in baptiſmo, NON UT NON SIT , SED UT IN PECCATUM
„ NON IMPUTETUR. QUAMVIS AUTEM REATU suo JAM SOLUTO , MA-
„ NET TAMEN DONEC SANETUR OMNIS INFIRMITAS NOSTRA , profi-
„ ciente renovatione interioris hominis de die in diem , quum ex-
„ terior induerit incorruptionem: non enim ſubſtantialiter manet ſi-
„ cut aliquod corpus , aut ſpiritus ; ſed affectio eſt quædam male
„ qualitatis , ſicut languor . NON ERGO ALIQUID REMANET , QUOD
„ NON REMITTATUR, quum ſit quod ſcriptum eſt (Pſ. 102.) *Propi-*
„ *tius Dominus omnibus iniquitatibus noſtris* , ſed donec fiat & quod
„ ſequitur. *Qui ſanat omnes languores tuos* , *qui redimet de corruptione*
„ *vitam tuam*: manet in corpore mortis hujus carnalis concupiſcen-
„ tia . Cujus vitioſis deſideriis ad illicita perpetranda non obedire
„ præcipimur , ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore . “ Et
„ cap. 29. „ In eis ergo qui regenerantur in Chriſto , quum remiſ-
„ ſionem accipiunt prorſus omnium peccatorum , utique neceſſe eſt ,
„ UT REATUS ETIAM HUJUS , licet adhuc manentis concupiſcentiæ
„ REMITTATUR , UT IN PECCATUM , ſicut dixi , NON IMPUTETUR .
„ Nam ſicut eorum peccatorum , quæ manere non poſſunt, quoniam
„ quum fiunt prætereunt , reatus tamen manet , & NISI REMITTA-
„ TUR IN ÆTERNUM MANEBIT, SIC ILLIUS , QUANDO REMITTITUR,
„ REATUS AUFERTUR . HOC EST ENIM NON HABERE PECCATUM ,
REUM NON ESSE PECCATI . “

19. Nunc ſi petamus a D. Thoma, utrum antiqui juſti haberent peccatum: ſapientiſſimè reſpondet (p. 3. q. 52. ar. 5.) „ Quod Sancti „ Patres, dum adhuc viverent liberati fuerunt per fidem Chriſti ab „ omni peccato tam originali quàm actuali *:* „ Si verò quæramus , utrum, dum ſejuncti a corpore in ſinu Abrahæ vivebant , rei adhuc eſſent peccati, ait „ quod liberati erant a reatu pœnæ actualium pec- „ catorum, non tamen a reatu pœnæ originalis peccati“. Ob quem reatum pœnæ originalis peccati, eos verè doluiſſe alibi docet, ut infrà videbimus. Et (1. 2. q. 46. ar. 6.) dicit, de ratione pœnæ eſſe quod ſit contraria voluntati, & quod ſit afflictiva , & quod pro aliqua culpa inferatur . Ergo optimè cum magno Auguſtino concludimus, antiquos ex hoc ipſo habuiſſe peccatum, quia rei erant peccati, & pro reatu peccati torquebantur; etenim hoc eſt non habere peccatum, reum non eſſe peccati.

20. At ſi concupiſcentia, quæ in nobis manet , jam non imputatur ad culpam quamvis ſit effectus peccati originalis , ejus nempe reatu in remiſſione peccatorum ablato : quomodo reatus originalis peccati imputari poterat juſtis antiquorum animabus', in quibus jam nec peccatum ipſum, nec ullus peccati effectus eſſe poterat ullo modo? Nam effectus originalis peccati in hac noſtra mortali carne manentes , nec etiam dum manent in regeneratis imputantur ad culpam , atque idcircò neque ad pœnam poſt corporis mortem . Se-

para-

paratis autem animabus imputaretur ad pœnam talis reatus, qui ipsis nullo modo imputari poterat ad culpam, quando in corpore vivebant.

21. Consideremus denique, eam Pelagianorum in Catholicos fuisse calumniam, qua nos docere dictitabant, *Sanctos in vetere Testamento non caruisse peccatis, idest nec per emundationem a criminibus fuisse liberatos*, SED IN REATU A MORTE FUISSE DEPREHENSOS. „ Immo dicimus, respondebat S. Augustinus, vel ante legem, vel tempore veteris Testamenti A PECCATIS FUISSE LIBERATOS, non virtute propria.... nec vetere Testamento..... nec ipsa lege sancta & justa & bona.... sed liberatos esse PER SANGUINEM IPSIUS REDEMPTORIS, qui est unus mediator Dei & hominum Christus Jesus ". (10. Tom. Contra duas Epist. Pelag. l. 1. c. 6. n. 12.) Intrepida ista responsio non diluisset profectò hæreticorum objecta, nisi fides Catholicæ Ecclesiæ tunc etiam fuisset, antiquos Justos, tum ante legem, tum in vetere Testamento per merita sanguinis Christi tanto post corporaliter effundendi, ita a peccato fuisse liberatos, ut in nullo reatu eos deprehenderet mors. Quem reatum, licet cum D. Thoma naturæ imputaremus, non personæ: facili negotio personæ inesse monstrassent Pelagiani, dum nobis etiam fatentibus personam, idest animam possessione Dei privat, eamque in dolore constituit atque hunc dolorem non transeuntem ostendissent aut modicum, sed firmissima ratione vehementissimum. Quatenus autem dolor licet mitissimus a nobis concederetur: vel Pelagiani hinc confirmarent pro se, reliquum fuisse reatum in animabus Sanctorum antiqui testamenti; vel justitiæ Dei prescriberent, eos punientis, qui nullum haberent reatum. Quam objectionem utrum S. Augustini solidis doctrinis, an posteriorum verbis profligare possimus: legentium judicio relinquo.

22. Catholicum autem effatum esse non dubito; pœnam, quæ remissa culpa in separatis animabus a Deo exigitur, eorum esse peccatorum, quibus quis post baptismi gratiam propria voluntate & malitia polluitur; quin temporali iisdem debitæ pœnæ propriis in hac carne pœnitentiis fecerit satis. Ab hisce sanè debitis immunes omnes justorum antiquorum animas a mundo discessisse, prudentissimè eo loci non definit S. Augustinus; quamvis constanter asserat, nulli inhæsisse reatum. Hæ enim peccatorum reliquiæ non faciunt, ut animabus, quibus hæc debita solvenda supersunt, reatus pariter insit peccatorum, pro quibus cruciantur. Reatus siquidem omnium delictorum vel in Baptismo, vel in Pœnitentiæ Sacramento, dum homo rectè dispositus ad hoc etiam accedit, perfectissimè deletur, atque ita, ut juxta verba Scripturarum, Dei etiam oculis abscondatur. Pœnæ vero temporalis debitum, pro suis delictis ab unoquoque divinæ justitiæ reddendum, absque reatu manet, donec vel in hoc sæculo, vel in futuro, proprio cujusque incommodo oblitteretur. Reatum idcircò inhærentem rectissimè negavit Augustinus, quin suis verbis

verbis præscriberet temporalibus pœnis, quas justi antiqui pro actualibus peccatis nondum fortasse persolvissent in carne. Temporalis quippe supplicii exemplum sacratissimæ nobis Scripturæ ministrant in Rege David, cui dictum est a Propheta *Dominus transtulit peccatum tuum a te, non morieris; sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, Filius, qui natus est tibi, morietur*. „ Ubi videmus, ait Cardinalis „ Bellarminus (in Ps. 31. n. 2.) non imputari David peccatum „ quoad mortem propriam, & imputari quoad mortem filii, & Da- „ videm fuisse justificatum, & tamen debuisse dolorem magnum de „ morte filii tolerare, in pœnam peccati commissi ".

23. Verum de his nulla disputatio cum D. Thoma, qui nullam pœnam tribuit animabus justis antiqui Testamenti pro actualibus peccatis, si quæ commiserint; sed causam repetit pœnæ & doloris earum a solo peccati originalis reatu; qui sicuti omnium fuerat, prinsquam dimitteretur ad pœnam æternam; ita ex ejus sententia, nullum quantumvis justum, a temporali supplicio eximebat. Idcirco negatio constans D. Augustini, quæ, uti vidimus, intactam relinquebat quæstionem circa pœnas peccatis actualibus debitas, tota in hanc opinionem convertitur, & reatum originalis peccati in Sanctis veteris Testamenti a fundamentis evertit.

24. Quidni autem Pelagianorum figmentis tanta constantia obsisteret Augustinus? Omnium scilicet librorum suorum, qui de peccato originali agunt, & multi revera sunt, in his verbis perstringitur constans fidelisque doctrina: nullum nimirum hominem ab originali reatu liberari nisi gratia Dei. Quam qui consecuti non sunt, nec æternam, nec temporalem eidem debitam pœnam effugiunt; immo ab hac in illam, a prima scilicet in secundam mortem absque ullo remedio præcipitantur. Homo vero qui misericordia, electione, & vocatione Dei præveniente, in eam gratuitam gratiam elevatus est ut vulnus naturæ suæ Redemptoris sanguine tergeretur; juxta Sanctum Patrem ab æterno supplicio liberatus, in filiorum censum transit, idest illorum, qui spe non re ab Apostolo interim salvi facti dicuntur. Non tamen ideo a temporali eximitur supplicio huic peccato debito; nam istud nonnisi miseræ hujus vitæ angustiis, tentationibus, doloribusque, & demum morte corporis, absumitur. „ Quia „ & quod vivimus in flagellis, ajebat ipse, & corruptione mortalita- „ tis, de indignatione ipsius est, de pœna hoc habemus prlmi pec- „ cati. Fratres, mei, non solum cogitare debemus, ut futuras mi- „ nas ipsius evadamus, sed & præsentem iram, quia & ista ira i- „ psius est, cujus & se & nos fuisse dicit filios Apostolus: Ait quip- „ pe *Fuimus enim & nos aliquando natura filii iræ, sicut & ceteri* (Ephes. 2.). Ergo ex ira ipsius est, quod hic homo peregrinatur, „ quod laborat. Non est ex ira ipsius, fratres mei, *In sudore vul-* „ *tus tui & in labore edes panem tuum, & terra spinas & tribulos pa-* „ *riet tibi*? Ab auctore nostro dictum est... Hoc totum de ira ipsius

„ est, & quum te converteris, ut justè agas, non poteris nisi labo-
„ rare in terra, & non finitur labor, nisi quum finita fuerit via "
(4. Tom. Enarr. in Ps. 102. n. 17.). Finita autem via, quæ porro tempore caducæ vitæ hujus circumscribitur, illud est beneficium gratiæ peccatum originale remittentis, NE OBSIT MORTUO, QUOD INERAT NATO; (10. Tom. ut Divum Augustinum definientem audivimus. De peccat. merit. & remiss. l. 1. c. 38.

25. Quamobrem, donec certissima divina auctoritas non proferatur, qua constet, reatum originalis peccati jam remissi, ita inhæsisse animabus antiquorum Sanctorum, ut in altera etiam vita in dolore & pœnis adhuc ipsis esset solvendus: Divi Thomæ sententiam amplecti vereor, tum ex iis, quæ usque nunc, duce S. Augustino protuli; tum ex ceteris mox adjiciendis.

CAPUT UNDECIMUM.

De descensu Christi ad inferos, & quid animabus justis & purgantibus contulerit Dominus ex Divo Thoma; & quomodo ex ejus doctrina consequatur, omnes in Purgatorio existentes animas, illinc tunc fuisse eductas, pro quibus solis liberandis descendisse videtur Redemptor.

1. Sicuti ego D. Thomæ consentio docenti, Christum ad Inferos descendentem, verè descendisse secundum animam Divinitati conjunctam: ita a laudato sancto Doctore non injuria dissentire puto, in eo quod ipse arbitratur Christum tunc præstitisse purgantibus animabus & justis. Ait enim (p. 3. q. 52. ar. 2.) „ Dicendum quod
„ dupliciter dicitur esse aliquid alicubi: uno modo per suum effe-
„ ctum, & hoc modo Christus in quemlibet inferorum descendit,
„ aliter tamen & aliter. Nam in infernum damnatorum habuit
„ hunc effectum, quod descendens ad inferos, eos de sua increduli-
„ tate & malitia confutavit: illis verò, qui detinebantur in purga-
„ torio spem gloriæ consequendæ dedit. Sanctis autem patribus, qui
„ pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen æternæ
„ gloriæ infudit. Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam es-
„ sentiam, & hoc modo anima Christi descendit solùm ad locum
„ inferni, in quo justi detinebantur, ut quos ipse per gratiam inte-
„ rius visitabat secundum Divinitatem, eos etiam secundùm animam
„ visitaret & loco ".

2. Reliquis omissis, quæ præsentem quæstionem non afficiunt: considerandum suscipio donum quod D. Thomas docet purgantibus animabus, & justis tempore hujus descensus fuisse conlatum. Spem igitur solam gloriæ consequendæ animabus in Purgatorio existentibus dedit Redemptor: justis vero sinus Abrahæ lumen æternæ gloriæ infudit. Istud confirmat ibidem (ad 2) „ Dicendum quod duplex
„ est

„ est dolor, unus de passione pœnæ, quem patiuntur homines pro
„ peccato actuali secundùm illud Psal. 17. Dolores Inferni circumdederunt me. Alius autem dolor est de dilatione speratæ gloriæ,
„ secundùm illud Proverb. 13. Spes, quæ differtur, affligit animam,
„ quem quidem dolorem patiebantur Sancti Patres in inferno, ad
„ quod significandum Augustinus in Sermone de Resurrectione (qui
„ est 137. in ordine) dicit, quod lacrymabili obsecratione Christum orabant. Utrosque autem dolores Christus solvit ad inferos
„ descendens: aliter tamen & aliter. Nam dolores pœnarum solvit
„ præservando ab eis, sicut medicus dicitur solvere morbum, a quo
„ præservat per medicinam. Dolores autem causatos ex dilatione
„ gloriæ, actualiter solvit, gloriam præbendo ".

3. Quærere fas sit, utrum Animæ in Purgatorio existentes ante Christi descensum, spe gloriæ consequendæ carerent. Mihi quidem longè aliud videtur. Carentes enim hac spe, in ea desperatione fuissent, in qua æternum damnatæ. Quumque verum & antiquissimum sit, duobus judiciis animas examinari, altero privato, statim post dicessum a corpore, altero universale & publico in fine sæculorum: patet in illo de propriis meritis, sive demeritis conscias a Judice factas fuisse, & idcircò se ad tempus purgandas cognovisse; quod illicò in eis spem certissimam gloriæ consequendæ confirmavit. Num autem tempus purgationis brevius vel protractius esset futurum, eas fortasse latebat: gloriam verò serius ocius esse consecuturas, ignorare non poterant, atque hac lætissima spe non consortari. Quo posito; quid illis contulerit Dominus descendens, non video, si nihil amplius contulit, quàm spem gloriæ consequendæ: hac enim spe carere non poterant ex conscientia meritorum, atque ex judicio Dei privato.

4. At si, ut secundo citato loco Angelicus scripsit, Christus Dominus a dolore pœnarum purgantes animas præservavisset, peto utrum hac præservatione, dolor continuò siluerit nec ne. Quo non cessante, nec ab eo præservatæ fuerunt: si verò dolor cessavit, a Purgatorio reverà liberatæ sunt, & eductæ. Nam si dolor de passione pœnæ peccato dumtaxat actuali debetur, ut docuit recitato loco: ab hoc sanè dolore poterant præservari. A quo dum concipiantur immunes, inter eas continuò censentur, quæ soli dolori ex dilatione speratæ gloriæ erant obnoxiæ, atque ita in Sinu Abrahæ. Sed hic sinus Abrahæ lumine gloriæ erat donatus, per Christi antecedentem descensum in illum: ergo omnes animæ purgantes per Christi descensum lumen gloriæ continuò sunt consecutæ.

5. De hoc tamen D. Thomas partim dubitat art. 8. ejusdem quæstionis. Ad primum enim, auctoritatem D. Augustini (Epist. *99.* ad Evod. nunc *164.*), quæ objiciebatur interpretans, ait. „ Dicendum quod ex illa auctoritate Augustini non potest concludi, quod
„ omnes illi, qui in Purgatorio erant, fuerint a Purgatorio liberati,

„ sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium conlatum, illis „ scilicet, qui jam sufficienter purgati erant, vel etiam qui, dum „ adhuc viverent, meruerunt per Fidem, & devotionem ad mortem „ Christi, ut eo descendente liberarentur a temporali Purgatorii pœ- „ na. „

6. Prætermittamus interim de mente S. Augustini disputare, cujus scopus non erat in laudata Epistola, ut quæreret, num omnes, aut aliquæ ex purgantibus animæ, per descendentem Redemptorem ab illis pœnis liberatæ fuissent. Et profectò si ex Scripturis ostendere possem, omnes inde erutas, Magistro meo non adversabor; qui ibidem dixit, solutionem ab inferni doloribus non in omnibus quidem (de æternùm enim damnatis hominibus Dæmonibusque præcipuè agebatur, quos hujusmodi beneficio indignos monstrare volebat); SED IN QUIBUSDAM ACCIPI POSSE, QUOS ILLE (Christus) DIGNOS ISTA LIBERATIONE JUDICABAT. Igitur quamvis demonstraremus omnes purgantes spiritus inde tunc ereptos non ideò omnes inferorum habitatores liberati rectè dicerentur. Nam liberationis gratia ab eorumdem etiam bonis meritis pendebat; quæ inveniri minimè poterant in illis, quorum damnatio cum dæmonibus communis erat. Distinctio itaque Augustiniana non solum purgantium animarum numerum sortemque complectitur; sed has inter, & damnatas discrimen dessignat, ne crederetur liberatio etiam hisce communis.

7. Attamen D. Thomas putat, hunc textum solas purgantes animas respicere, atque illo confirmare pergit, non omnes tunc a suis pœnis suisse absolutas; mentem suam amplius patefaciens quum dicit, Christum descendentem, non omnes dissolvisse purgantes animas a dolore pœnarum actuali peccato debitarum. Sed quia ejus interpretatio respondere debet effectui descensus Domini in Purgatorium: peto, quid tribuerit Redemptor illis, quas a talibus doloribus non eripiebat? Spem, ait D. Thomas, gloriæ consequendæ. Sed hac spe nulla prorsus earum carebat ante Christi descensum: ergo pro aliquibus saltem purgantibus animabus nullum habuit effectum descensus Christi ad inferos, quod a D. Thomæ principiis superiùs allatis colligi non deberet.

8. Quare quum constet, animas, quæ præter damni pœnam, dolore etiam pœnarum, ex sententia D. Thomæ, obstringebantur, verè fuisse temporaliter cruciatas: firmiter tenere debemus, Redemptorem pro his descendisse, quum ad solvendos inferni dolores descendit. Sicuti enim nullo modo licet ambigere, istas fuisse in doloribus, quia temporalium pœnarum adhuc erant debitrices: ita de justis sinus Abrahae rectè dicitur, non fuisse in doloribus, quia nullum in eis tale meritum usque nunc possumus invenire. Indubium autem est ex Scripturis, Christum Dominum ad inferos descendisse, ut doloribus affectos solveret: ideò illùc eum descendisse constanter creden-

dendum est, ubi dolores certissimi erant; & proinde in Purgatorium descendit, in quo misericordiæ suæ indigentes animas erat inventurus, & dignas.

9. Hinc quatitur opinio Divi Thomæ dicentis, animam Christi per suam essentiam descendisse solùm ad locum inferni, in quo justi detinebantur, nimirum ad solas animas sinus Abrahæ glorificandas. Nam S. Petri Apostoli textus absque hæsitationem demonstrat illuc descendisse Redemptorem, ubi animas veris certisque doloribus cruciatas reperiret, & ideò in Purgatorium propriè descendit. Quia verò ex eodem S. Thoma, effectus animæ Christi per suam essentiam descendentis is erat futurus, ut ab eo carcere, in quem descendebat, omnes vincti eriperentur: denuò omnium purgantium animarum liberationem ex Angelici doctrina afferent ii, quibus persuasum sit, in Purgatorii carcerem propriè Christum post suam passionem descendisse.

10. Nec obesse poterunt, quæ in corpore illius articuli addit, quòd scilicet „ passio Christi non habuit tunc majorem efficaciam, „ quàm habeat nunc; & ideò illi, qui fuerunt tales, quales nunc „ sunt, qui in Purgatorio detinentur, non fuerunt a Purgatorio „ liberati per descensum Christi ad inferos. Si qui autem inventi „ sunt tales, quales etiam nunc virtute passionis Christi a Purgato- „ rio liberantur, nihil prohibet per descensum Christi ad inferos a Purgato- „ rio esse liberatos „ & ideo (ad 2. subdit), non oportet quòd per „ descensum Christi ad inferos, omnes fuerint a Purgatorio liberati. "

11. Nam sicut verum est, Christum quando voluit passum esse, in potestate enim ipsius erat animam suam ponere, & iterum assumere eam: ita rectè creditur, tale ab æterno passioni suæ fuisse tempus constitutum, quale ad misericordiæ ejus manifestationem, & humani generis utilitatem erat conveniens: atque proinde tunc passum esse, quum omnes illæ animæ beneficio Passionis ejus frui poterant; ne quibusdam earum a doloribus liberatis, molestia reliquis acerbior fieret, & loco beneficii ex suo adventu sperati, majus invenirent tormentum. Mortem autem tunc subire voluisse Redemptorem, quum omnia, de se per Prophetas olim prædicta, essent completa: ipsemet in Cruce pendens demonstravit dicens, *Consummatum est*. Unde illi quoque parati esse debebant, de quibus dictum fuit, *Tu autem in sanguine Testamenti tui emisisti* VINCTOS TUOS DE LACU. (Zacch. 9.) Revera hic textus etiam juxta D. Thomam (p. 3. q. 52. ar. 1.) illas denotat animas, quas Christus ad inferos descendens a doloribus liberare volebat. Ideoque dicente Apostolo Petro, Christum resurrexisse solutis doloribus inferni: præclarior sensus est, & Dei promissis per os Zacchariæ convenientior, quòd omnes solverit, quam quòd aliquos solverit, aliquos verò non, ex vinctis, pro quibus sanguinem fuderat, & *sui* dicuntur. Nam illis, qui in cruciatibus manebant, a quibus tamen aliquantò post erant liberandi, quia ex suis erant, non utique

utique tunc solvebantur dolores inferni. Qua de re absolutæ Petri, & Zachariæ sententiæ, aliquos jam ad gloriam prædestinatos in inferno relinquerent, dum tamen solutos a Christo inferni dolores uterque proclamat.

12. Istud verò non solùm litteræ minus respondet, minus pariter decet diem Redemptionis æternæ: sed præterea præclariori Domini promissioni adversatur in Ecclesiastico (24. 45.), ubi legimus, *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes*, ET ILLUMINABO OMNES SPERANTES IN DOMINO. In Domino firmissimè sperabant, ut dictum est, animæ in Purgatorio existentes: itaque hac divina sententia ipsis etiam illuminatio promittebatur. Quumque illuminatio a textu significata, & omnibus sperantibus infusa, lumen gloriæ sit etiam per Divum Thomam (p. 3. q. 52. ar. 2. ad 1.): profectò in verbis OMNES SPERANTES, purgantes omnes animæ comprehenduntur, quæ itidem sperantes erant; & per consequens lumine gloriæ tunc donatæ debent agnosci. Quamobrem donec evidentioribus argumentis non ostendatur, purgantes animas spe gloriæ consequendæ fuisse reverà destitutas: ego Dominici eloquii præclaræ sententiæ acquiescens, qua *omnes sperantes in Domino* illuminati dicuntur tutò asserere arbitrabor, omnes purgantes animas hoc beneficio fuisse gavisas tempore descensus Christi.

13. Neque dissimulare lubet quorumdam objectionem, qui ut D. Thomæ mentem interpretandam insinuarent, dicebant, subintelligendum esse adverbium *citiùs* eo loci, ubi docet Angelicus, spem gloriæ consequendæ purgantibus animabus conlatam. Quum autem æquè benè adverbium illud potuisset scribere Sanctus Doctor, (nec istud in ullo operum suorum exemplari invenire contingat): supervacaneam responsionem puto difficultati, quæ a non scriptis inferre præsumit ea, quæ scribenda fuissent; & iis quæ non leguntur, ea, quæ leguntur, invertere.

14. Dicebant insuper, spem illam hoc modo intelligendam, quòd sicuti ante descensum Christi purgantes animæ ascendere debebant a Purgatorio ad sinum Abrahæ, atque ita, pœnarum doloribus emensis, solo dolore torqueri dilationis speratæ gloriæ: impofterum a Purgatorio ad Paradisum recta essent ascensuræ. Huic interpretationi, quæ majorem præsefert soliditatem, non ita jejuna procedet responsio.

15. Primò enim patet, si ad nuda nomina attendimus, animas, quæ intermedio tempore a descensu Christi ad Ascensionem (quæ post quadraginta tres dies ex Evangelica doctrina contigit), satis purgatæ invenirentur, jam a Purgatorio ad sinum Abrahæ fuisse ascensuras. Nam Abrahæ sinus, quamvis lumine gloriæ donatus, in inferis perseveravit usque ad Ascensionem ex doctrina D. Thomæ. Tunc enim tantùm captivam captivitatem in cœlos evexit Dominus, animas scilicet Sanctorum, ut ipse explicat (p. 3. q. 57. ar. 6.),

quas

quas de inferno eduxerat. Rursus, nonnisi in sinum Abrahæ etiam nunc efferuntur a Purgatorio liberatæ: promiscuè enim nomine Paradisi, & sinus Abrahæ Ecclesia utitur, ad significandam beatitatem justis conlatam, ut alibi ostendemus.

16. Quamobrem si de Abrahæ sinu juxta diversitatem temporum loquamur cum D. Thoma; ita ut ante descensum Christi locus esset, ubi animæ justæ cruciarentur ex spe dilationis gloriæ; post descensum verò Christi, gloriæ lumine perfusæ feliciter viverent: nihil tamen proficit proposita difficultas: Nunquam enim negasset D. Thomas, purgantes animas a Purgatorio in sinum Abrahæ tunc etiam ascendisse, sicuti nunc ascendunt. At si veluti magna præsumitur differentia, quia a Purgatorio in sinum Abrahæ receptæ, ibi doloribus a spe gloriæ dilatæ adhuc erant cruciandæ ante descensum Christi: priùs demonstrare oporteret, justos sinus Abrahæ hac pœna fuisse cruciatos. In hoc quippe præsens quæstio tota versatur: me cum S. Augustino contendente, sinum Abrahæ, beatitudinis sinum fuisse semper, quia justi visione Dei in eodem jucundabantur. Dum ergo probatio nostra deficiat, tunc vincet proposita difficultas.

17. Quantùm verò attinet ad S. Augustini auctoritatem in citato sermone 137., qui solus a D. Thoma affertur ad firmandam sententiam suam: vidimus supra, sermonem illum falsò S. Augustino adjudicari. Quod cumulatissimè apparet, quia sententiam continet multiplicibus, & diligentissimè conscriptis operibus suis adversantem; in quibus nondum mihi invenire datum est, reatum peccati originalis post ejusdem remissionem, solvendum restasse post mortem. Hanc S. Augustini nunquam fuisse mentem, ea interim ostendunt, quæ hactenus ex ejus sinceris scriptis retuli: promittere tamen benevolo lectori multò majora non dubito, quæ in sequentibus occurrent.

CAPUT DUODECIMUM.

Ostenditur ex Evangelio Christum in sinum Abrahæ ad liberandas Sanctorum animas non descendisse.

1. EX hac, quam suprà posuimus, omnium animarum in Purgatorio existentium liberatione, haud reverà consequitur, minimè descendisse Redemptorem ad justos etiam sinus Abrahæ, ut eos a doloribus ex dilatione gloriæ productis, eriperet. Hoc ipsum tamen prodest; quo demùm stabilitur, benedictis illis animabus omnibus, misericordiam tunc fuisse concessam per sacrificium Christi cruentum, qualem consequi ceteras credimus præcipuè per incruentum Passionis ejus memoriale augustissimum Missæ sacrificium. Quia autem certum est, Christum Dominum uno Missæ sacrificio omnes animas a Purgatorio non eripere, quamvis indubium sit, infiniti illud esse valoris: hujus rei ratio si quæratur, illinc a Theologis redditur, quòd nimirum

mirum omnibus animabus merita sua infinito modo applicare nolit omnipotens, pro ea ipsi nota justitia, & sapientissimo ordine, quo creaturas suas ad se trahit, & se dignas facit. Hæc prudentissimè reponuntur iis, qui mirantur antiquissimas anniversarias quorumdam defunctorum commemorationes ab Ecclesia servari, & celebrari, ceterosque ejusmodi venerabiles piosque mores derident. Primò quidem commutativæ justitiæ leges perpendere deberent, quibus tenetur hæres, usque dum vires suppetunt, testatorum adimplere præcepta: eorum quippe non potest fraudari devotio, qui hujusmodi præcibus nullum statuerunt annorum limitem. Deinde etiam animadvertere, quòd quum in re omninò obscura versemur, circa quam apertæ deficiunt in Scripturis Dei revelationes, quoad modum, & tempus applicationis meritorum Christi animabus fidelium: rectè acquiescimus vocibus ejusdem Sponsæ, Ecclesiæ sanctæ, & Catholicæ, quæ in tot Conciliis commendat indefessas fidelium preces, & sacrificia pro defunctis fratribus, quos certum est non aliundè citiùs, quàm a tam insigni meritorum Christi commemoratione fore liberandos, quandocumque liberandi sint. Dum autem sermo est de animabus in Purgatorio degentibus tempore Passionis Christi: dubitare non possumus, liberationis gratiam eisdem fuisse concessam, quia ipsemet id se præstaturum antea prædixerat, qui præstare poterat quando volebat. Prædixerat enim, ut vidimus *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. (Eccli. c. 24. ℣. 45.) Non solùm ergo se posse præscivit, sed insuper tunc se velle promisit: quod confirmat Zaccharias Propheta dicens, *Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu*, IN QUO NON ERAT AQUA. (Zach. c. 9. ℣. 11. Quamvis Divus Thomas hunc textum eos præsertim spectare doceat, qui in sinu Abrahæ erant: non tamen renuit quibusdam etiam in Purgatorio degentibus applicari posse; scilicet concedens, aliquas etiam ex purgantibus animas lumine gloriæ tunc fuisse donatas.

2. At postremam istam Prophetæ sententiam rectissimè convenire animabus in Purgatorio existentibus, non æquè illis, quæ in sinu Abrahæ erant, nunc ostendere in animo est, Deo adjuvante, a quo omnis sapientia, & intellectus in rationalem creaturam promanat. Primò itaque animadvertat Lector, quòd D. Thomas hunc textum afferens in sæpe dicta quæstione 52. ar. 1., verba omittit *in quo non erat aqua*. Articulo autem 5., ea refert, sed non perpendit. Demùm articulo 6., sibi illum textum integrum opponit: „ Super illud Zac- „ ch. 9. inquit, Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vin- „ ctos tuos de lacu, in quo non erat aqua, dicit Glossa interlinearis. „ Tu eos liberasti, qui tenebantur vincti carceribus, ubi nulla mise- „ ricordia eos refrigerabat, quam dives ille petebat. „

3. Postea ad secundum argumentum, objectioni respondens ex hoc Propheta erutæ ait „ dicendum quod quum dicitur in Glossa, *ubi nulla*

„ *nulla misericordia eos refrigerabat*, intelligendum est quantùm ad re-
„ frigerium perfectæ liberationis, quia Sancti Patres ab illis inferni
„ carceribus ante Christi adventum non poterant liberari. „ Hinc patet, quòd textum Zacchariæ præcipuè pertinere intelligit ad Sanctos Patres, nec operæ pretium puto aliquantulam disparilitatem verborum Glossæ adnotare. Attamen ab adjuncto, *in quo non erat aqua*, quod sterilis lacus ariditatem exhibet, minimè dubito, vim maximam pendere sensus prophetici, ad eos dignoscendos, qui per sanguinem Testamenti in beatam libertatem tunc vindicari debebant. Nam si in Scripturis Dei textus occurrat, apertè enuntians, sinum Abrahæ in loco fuisse, qui aqua non carebat: verba Zachariæ ad sinum Abrahæ accomodari amplius non poterunt; immò de Purgatorio propriè, & convenienter erunt intelligenda.

4. In historia Divitis, & Lazari, quæ Lucæ 16. habetur, sic lego. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur mendicus*, ET PORTARETUR AB ANGELIS IN SINUM ABRAHÆ: *mortuus est autem, & dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala:* NUNC AUTEM HIC CONSOLATUR, TU VERO CRUCIARIS. *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Totum Evangelii textum transcribere duxi, tum quia sæpiùs de hoc mentionem facere continget, seriemque facti legentibus præsentem desidero; tum ut si cuipiam adhuc videtur ambiguum, utrum parabola sit, an historia, ex ejusdem attenta lectione percipiat, rem esse verè gestam cum Divo Dionysio Carthusiano, qui S. Ambrosium ejusdem esse sententiæ commemorat, potissimùm quia Christus nomen proprium pauperis enuntiavit (D. Dion. Carth. enar. in Evang. Luc. artic. 39.); nec in Evangelio, quemadmodum alibi, dicitur hanc esse parabolam.

5. Nunc igitur rem, & Evangelii verba prout sonant attendentibus, duo evidentia sunt. Primum, quòd dives in lacu esset, in quo non erat aqua. Si enim hæc presto fuisset, nunquam ab alio requisivisset. Alterum, quòd Lazarus in loco degeret, ubi aqua non deficiebat; nullo enim modo flagitaret dives, quod ei deesset a quo

N pete-

petebat. Consequens igitur est, quòd neque Lazarus, neque Abraham, neque reliqui justi in ejus sinu quiescentes, lacum incolerent, in quo non erat aqua; ac propterea textus Zachariæ istis applicari non potest: hic namque lacum memorat absque aqua, quum Evangelium dicat Lazarum in loco, ubi aqua erat.

6. Litteralem itaque sensum custodiendo: si dives aquam, quam petebat, reverà videbat, sicuti conspexit Abraham a longe & Lazarum in sinu ejus: inutile fortasse non est perscrutari, utrum a commeratione aquæ ab Evangelio exhibita, locum intelligere valeamus, in quo Lazarus erat.

7. Duplicem aquæ locum in Scripturis invenimus. Geneseos cap. 1. hæc habemus: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum Cælum.* Scio aquam hanc super firmamentum cœli collocatam supra fidem videri quibusdam, qui magis Philosophorum humanis argutationibus, quàm divinis eloquiis acquiescunt; præcipuè quia natura aquæ proprio pondere ad terram feratur, in eaque & super eam conquiescat. At etiam gravibus quibuscumque corporibus id natura datum intelligunt, ut proprio pondere ferantur ad centrum; ideoque iis, qui terram hanc mundi centrum occupare docent, impossibile etiam videri posset, Planetas proprio pondere in terram non cadere quos tamen, quamvis aere graviora sint corpora, ambitu aeris sic contineri fatentur, ut a distantiis, quas, juxta iter illis a Deo præscriptum, cum ceteris corporibus servare debent, nunquam abscedant. Quamobrem sicuti verum est, Planetas omnes aere sustentari, ne in centrum decidant, ad quod naturaliter tendunt: nondum video, cur aqua in specie planetariis corporibus levior, super firmamentum eodem modo consistens non possit intelligi. Tunc maximè quum totius naturæ auctor hanc segregationem se fecisse dixit in veracissimis Scripturis suis, inter aquas sub firmamento positas, & eas, quas super firmamentum collocare volebat; eoque magis, quia aquarum naturæ id tributum quotidiè conspicimus, ut in nubibus pensiles circumferantur. Quare cum D. Augustino aquas, quas super Cœlum Deus collocavit, ibi fuisse & esse non ambigo. Quales autem aquæ sint, idest hae nostra leviores nec ne, non inquiro; eas tamen ibi esse minimè dubito: „ major est „ quippe Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis humani ingenii ca„ pacitas. „ (1. p. 3. Tom. de Gen. ad Litt. l. 2. cap. 5.)

8. Aquarum super firmamentum veritatem latiùs exponens S. Ambrosius, contra Philosophos eam impugnantes, ait. „ Nos autem Scri„ pturarum seriem atque ordinem quærimus, sequimur; & opus con„ templatione æstimamus Auctoris: quid dictum sit, & quis dixerit, „ & cui dixerit. *Fiat*, inquit, *firmamentum in medio aquæ, & sit di„ scernens inter aquas*. Audio firmamentum fieri per præceptum, quo divide-

„ divideretur aqua, & ab inferiore superior discerneretur. Quid hoc „ manifestius? Qui jussit discerni aquam interjecto & medio firmamento, providit quemadmodum divisa atque discreta manere possit . . . . . . Et ut scias, quia de istis aquis hoc dixit, quas tu negas in superioribus cœli esse, audi superiora: *Laudate eum Cœli Cœlorum, & aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini.* „ Nonne quasi adversanti tibi dixit: *Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt; Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit?* An non tibi videtur auctor idoneus qui legem suo operi daret Deus? . . . . . . Quum hoc audis, quid miraris si super fundamentum cœli potuit tantæ majestatis operatione unda suspendi? De aliis hoc collige, de his quæ viderunt oculi hominum: quomodo ad Judæorum transitum, si rationem quæris, se unda diviserit? Non solet hoc esse naturæ, ut aqua se discernat ab aqua, & in profundo intersusiones aquarum terræ medio separantur. Gelaverunt, inquit, fluctus, & firmamenti specie cursum suum insolito fine frenarunt. Nonne potuit etiam aliter Hebræum populum liberare? Sed tibi voluit ostendere, ut eo spectaculo etiam illa, quæ non vidisti, æstimares esse credenda. Jordanis quoque reflexo amne in suum fontem revertitur. Haerere aquam quum labitur, & ita sursum redise in superiora sine ullo repagulo, impossibile habetur. Sed quid impossibile ei, qui dedit posse quibus voluit? . . . . . Deinde quid obstat si confiteantur quia aqua super cœlos suspensa sit? Nam quo verbo dicunt terram in medio esse suspensam, & immobilem manere; quum utique gravior sit quàm aqua: ea ratione possunt dicere non præcipitari aquam orbis illius cœlestis conversione, quæ supra cœlos est. Sicut enim inani suspenditur, vel pondere librato undique immobilis perseverat; ita & aqua aut gravioribus aut æquis cum terra ponderibus examinatur. Ideoque non facilè superfunditur mare terris, nisi quum jubetur exire. „ (D. Ambros. Hexameron l. 2. cap. 3.)

9. Hoc posito, & divite a Lazaro guttam aquæ postulante, quæri item potest, utrum Lazarus iis esset aquis proximior, quæ sub firmamento sunt, terramque nostram ambiunt, an illis, quas super firmamentum esse non dubitamus. Sed istis proximiorem fuisse plura suadent. Consentaneum quippe est, divitem eas aquas a Lazaro quæsiisse, quas sperare posset, se obtenturum ab eo, & non ab alio. Has namque inferiores, etiam a Dæmonibus, qui hunc terris finitimum aerem incolunt, potuisset postulare, a quibus tamen non eas consequi valebat Lazaro propinquiores, ad quas nec Dæmones, nec Dæmonibus similes damnatorum animæ valebant accedere, Chaos scilicet magno inter utrasque firmato, ne impii ad justos unquam possent transmeare. Denique verbum *firmatum est*, firmamentum innuit, quod Deus in Genesi appellat nomine Cœli: Quare intelligere fas

 est,

est, Lazarum aquis, quæ super firmamentum, ideft super cœlos sunt, proximiorem fuisse; ideoque nondum capio, quomodo in conspectu tam præclari Evangelici testimonii, probari possit, sinum Abrahæ lacum fuisse carentem aqua; quum ex adverso ab eisdem Evangelii verbis commodiùs eruamus, Lazari habitaculum super cœlos situm.

10. At si aqua a divite ardente petita rectè non elementaris habetur: certum tamen est, rem hoc nomine fuisse significatam, qua dives esset destitutus, Lazarus verò abundaret; ideoque illum petiisse ab hoc quod tormentis suis minuendis, immo tollendis opportunum fore cognoscebat. Igitur, si aquæ carentia, de qua dives lamentabatur, indicat carentiam beatitudinis, & malorum meritorum sarcinam qua premebatur: hanc beatitudinem & bona merita in Lazaro ipse videre debebat, si quod non habebat, postulabat ab eo. Hinc S. Augustinus (5. Tom. Serm. 36. aliàs 212. n. 6.) „ Hujus vitæ, inquit, falsitate deceptus ille in purpura & bysso jacentem ulcerosum „ pauperem ante suam januam contemnebat. Sed ille linctus a canibus, THESAURUM sibi ÆTERNUM in Abrahæ gremio comparabat, „ etsi non abundanti facultate, pia tamen, & opima voluntate. „ Ille autem dives, qui sibi magnus videbatur in purpura & bysso, „ mortuus, sepultus est in inferno. Et quid invenit? Æternam sitim, indeficientes flammas. Successit ignis purpuræ, & bysso: ea „ tunica ardebat, qua se expoliare non poterat. Pro epulis ariditas, „ & desiderium guttæ de digito pauperis, sicut illi micarum de mensa „ divitis; sed illius EGESTAS PRÆTERIENS, hujus pœna permanens. „

11. Præclarum itaque est, textum Zachariæ justis animabus in sinu Abrahæ congregatis, nullo modo posse accommodari. Sed neque illis, quæ jam in profundo inferni, sub peccatorum pondere jacebant sepultæ, licèt hic pariter lacus esset, *in quo non erat aqua*; eadem Evangelii auctoritate utrumque explicante. Primùm nempè, quia aqua Lazaro præsto erat. Secundum, quia inter justos, & peccatores chaos magnum erat firmatum, *ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Restat igitur, ut textus Prophetæ de solis purgantibus animabus sit intelligendus, in quibus ea vera sunt, quæ textus indicat, & Glossa confirmat. Certum quippe est, vinctas illas, carcereque inclusas animas, fuisse doloribus affectas ob dilationem beatitudinis, nimirum apertæ visionis, & possessionis Dei, ad quem perfecta charitate uniebantur, atque ferebantur. Verum pariter, quòd absque ulla misericordia illic detinebantur, & sic in lacu, in quo non erat aqua. Tempus enim misericordiæ, diebus vitæ hujus circumscribitur, quibus completis, tempus ingreditur justitiæ divinæ. Idcircò pœnæ temporales animabus persolvendæ, extremo cum rigore, & absque ulla misericordia a Deo judice exiguntur usque ad ultimum quadrantem; ita ut vel propriis tormentis pur-

purgentur usque ad definitum tempus, vel vivorum orationibus, pœnitentiis, & sacrificiis pro eis citiùs satisfiat. In hunc igitur lacum, in quo aqua non erat, Christum descendisse propriè intelligendum est, easque juvisse animas tantis doloribus cruciatas; *in sanguine testamenti* sui (quod ejus morte firmatum est) *vinctos suos de lacu* educens. Non autem pro illis descendit, quæ in lacu absque aqua non erant juxta Evangelium; ideoque in doloribus, juxta idem Evangelium esse non poterant, quod sequenti capite ostendendum suscipio,

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Sicuti ab Evangelio eruitur, animam Lazari non fuisse in doloribus; ita intelligi debet verè beata.

1. Divitem in inferno sepultum frustra a Lazaro guttam aquæ petentem contemplavimus. Cur autem aquam posceret, Evangelium explicat dicens, *ut refrigeret linguam meam*. Non solùm igitur a flammis aberat Lazarus, sed abundabat aqua, cujus ope suum ardorem extinctum iri cognoscebat dives, si guttam ab illo impetrare valuisset. Porrò divitem tormentis addictum patet, ex Evangelii verbis, *crucior in hac flamma;* tum etiam ex iis, quibus exorabat ut admonerentur fratres sui, *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*: quum interim, teste Abraham, mendicus ille consolaretur, sequitur enim, *nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris*. Quapropter; sicuti aquam ardori Evangelium opponit, ita consolatio tormentis adversatur. Consequens igitur est, istarum animarum sortem omninò dissimilem fuisse. Quoniam verò scimus divitem æternis gehennæ suppliciis punitum: ita consentaneum rationi & Divinæ auctoritati videri potest, Lazarum æternis consolationibus fuisse donatum. Adeò enim convenienter aquam igni Evangelium objecit, quàm tormentis consolationem. Aliter unum per aliud explicare nequiremus; quum tamen verba hæc otiosam habuisse significationem, nemini ex toto contextu immaginari fas sit.

2. Sed quia hanc Evangelicam consolationem quidam cum requie, alii cum dolore consociant, omnibus interim animæ Lazari visionem Dei denegantibus, ut supra dictum est: primis quidem nodum solvendum relinquo, quo requiem una simul & miseriam egestatemque componunt in anima Lazari: ab aliis verò postulo ut doceant, quomodo cum damnata anima divitis aliquo saltem pacto non conveniret anima pauperis, dum utraque in doloribus sit. Miserum enim esse qui dolet, jam constat. Ideoque de gradibus quidem earum miseriæ quæstio esse poterit: at quando ambas dolentes dicimus, miseras simul, & egentes esse, patet. In quo igitur consolaretur Lazarus, quæro. Quumque in dolore cum divite conveniat, dantibus istis: reliquum

est,

est, Lazarum consolari, non quia non doleret, sed quia minùs doleret. Porrò fatentur doluisse divitem, tum ex privatione visionis Dei, qua miser & egens agnoscitur, tum ex conscientia malè meritorum. Lazarus itaque, qui fideliter & amanter Deo servierat, ob hoc non dolebit, neque consolatio Evangelica ad hanc postremam partem trahi poterit, dum scimus eum, libenter in hac vita doluisse, & mala pertulisse, ne doleret post mortem. Ut igitur cum divite in dolore conveniat, inde erit, quia ambo interim in ea miseria fuerint, quæ consequitur animam rationalem Deo suo privatam.

3. Sed quoniam jam diximus, in hac adversantium opinione, consolationem Lazari significare, non quòd non doleret, sed quòd minus divite doleret: sapientioribus definiendum relinquo, num anima illa ardens sanctificante caritate, quam diffundebat in corde suo Spiritus Sanctus, ut Deum amaret, & dilectum quæreret, minus in hac Dei privatione angeretur, quàm anima divitis; quæ spoliata hac sancta caritate, Deum gratis quærere non poterat, nec castè amare; sed eum consequi tantùm vellet, ne in sua miseria tabesceret, seipsam idcircò non propter Deum, sed propter seipsam diligens? Sive igitur caritatis animæ Lazari causam consideremus, quæ Deus ipse est, faciens, ut ineffabilibus & miris modis anima hæc justa inspiratam caritatem liberè eliciat, in eaque perseveret: sive finem ipsius caritatis inspiciamus, qui Deus ipse est, velut unica merces, & suarum creaturarum amore dignissimus; in quo item solo, & propter quem, seipsam ordinatè diligit anima Lazari: profectò hæc tum in causa tum in fine perfecta dilectio, quæ *fortis ut mors* dicitur in Canticis (8. 6.), nos ad cognoscendum impellit, quanto dolore angeretur anima istius justi, donec digna fieret revelata Dei facie, quam solam sapienter desideravit. Divitis è contrario in hac privatione tormentum, quantò magis ab imperfectiore origine proficiscens, quæ amor inordinatus est suimet ipsius; tantò magis ab exquisito illo, sapiente & sancto doloris fonte distat, quo anima pauperis in privatione visionis Dei interim deficiebat. Hinc constat, consolationem ab Evangelio datam animæ Lazari, in eo esse minimè potuisse, ut ista minus cruciaretur quam spiritus divitis; dum doloris amborum vim a necessario metimur effectu privationis visionis Dei, in qua sola poterant convenire.

4. In quo igitur anima illa justa in sinu Abrahæ consolaretur adhuc inquiro. Et nisi fatear, eam in visione Dei tunc consolari: Evangelicorum verborum veritatem in mea tenuitate non assequor. Parem enim effectum a commemorata consolatione, respectu ad tormenta & cruciatus divitis, expectare cogor, qualem aqua in igne produceret. Sicuti autem aqua extinguit ignem, ita consolatio tormentum. Quia verò tormentum divitis ex privatione etiam erat visionis Dei, quæ damni pœna nuncupatur: ita, ne in hoc tormento aliquo saltem pacto anima Lazari cum anima divitis æquaretur: orbata

bata esse non poterat visione Dei ; & proinde ejusdem animæ consolationem ex actuali beata, & beatificante facie Dei revelata, Evangelica historia diligentiùs perpensa, patefacit.

5. Mercedem hanc respondisse spei, qua Lazarus in ærumnosa terrena vita sustentabatur, ex infinitis propè Scripturarum locis eruere fas est. Legerat siquidem, aut fideliter saltem audierat, quæ promittit Deus ex ore Regii Prophetæ David, *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia* (Ps. 83.). Legerat pariter, *Non affliget Dominus fame animam justi*. (Sap. 10.). Hanc promissionem in altera vita complendam tantò fideliùs expectabat Lazarus, quantò magis in hac sibi denegari, propria mendicitate & angustia noscebat. Sciebat præterea quæ in Deuteronomio (cap. 24.) habentur. *Non negabis mercedem indigentis . . . . . sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam*. Et in Levitico (cap. 19.), *Non remaneat merces operarii tui apud te usque mane*. Ideoque apud fidelem redditorem opera sua locare cognoscens, sæpius cum Davide in futurorum spem intendens, repetebat Domino, *Ne projicias me a facie tua* (Ps. 50.); Et, *Ne avertas faciem tuam a me* (Ps. 29.) Et cum Job (13.), *A facie tua Domine non abscondar*. Et rursus cum Davide, *Quam dilecta tabernacula tua Domine! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini* (Ps. 83.). Et, *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (Ps. 26.). In hanc siquidem mercedem retributionis æternæ intendisse omnes justos, qui Abraham præcesserunt, & qui vestigia Fidei ejus sectati sunt, testem habemus Apostolum Paulum, Deumque ipsum, qui in Genesi (15. 1.) promisit Abrahæ, *Ego protector tuus suum, & merces tua magna nimis*. Itaque dubio procul in ista præclara promissione stabat Lazari fidelis præstolatio; unde in sinum Patris Fidei suæ ab Angelis post mortem elevari promeruit, ibique secum ea consolatione gaudere, quam alta voce flagitabat dives, cui tamen dictum est, *Fili memento quod recepisti bona in vita tua*. Sicutique hic filius malus, mala recipiebat post mortem, quia bonis abusus erat in vita : ita alter filius bonus, qui mala patienter toleraverat, spe firmatus futurorum bonorum, bonis eisdem perpetuis consolabatur in sinu Abrahæ.

6. Hanc esse genuinam significationem Evangelicæ consolationis, præcedentia verba confirmant. *Vidit* enim *dives Abraham, & Lazarum in sinu ejus*. Quibus oculis viderit, non quæro nunc, vidisse tamen non dubito. Visio autem hæc, quantum pro humano captu assequi valemus, nunquam fieri poterat, si, divite constituto in tenebroso carcere, etiam Lazarus in tenebricoso degeret loco. Quomodo verò tenebris obsita sedes illa Lazari non esset, quando animarum vera lux Deus, revelata illic præsentia sua non effulserit? Quo autem pacto in tenebris versans alium pariter in tenebris vagantem videre possit, nondum intelligo. Nullum enim in natura rerum occurrit exem-

exemplum, quo ad hoc concipiendum mens humana adjuvetur. Immò experientia constat, quòd aliquis in obscuro loco consistens, si vel minimum foramen inveniat, cui oculi aciem intendat, illos videbit, qui in luminoso vagantur; secus verò; si etiam subsequens locus tenebris obscuretur. Pariter si in nemore arboribus consito viatorem quempiam ita occupet nox, ut itineris semitas non valeat invenire; ipse per ramorum ac frondium spissa volumina, oculos aliquando in serenum cœlum protendens corruscantium certè stellarum plures conspiciet, quin ullum interea solamen circumstantibus tenebris ex eo splendore suscipiat. Igitur quia certa fide tenendum est, Lazarum a divite visum, hunc autem terra tenebrarum inclusum: natura duce consequitur, Lazarum in luminosa sede quievisse; sicuti ex Theologorum consensu, pariter consequitur, lumen illud, in quo separata anima Lazari versabatur, nonnisi ab æterno Sole potuisse manare, David canente: *In lumine tuo videbimus lumen*. (Ps. 35.). Relata Evangelii verba perpendens S. Augustinus „; Neque enim, inquit, & LUX IBI NON EST propria quædam & sui generis, & PROFECTO MAGNA, quam dives ille de tormentis & tenebris inferorum, tam utique de longinquo, quum magnum chasma esset in medio, sic tamen vidit, ut ibi illum quondam contemtum pauperem agnosceret. (1. p. 3. Tom. de Gen. ad litt. l. 12. c. 34. „ n. 65.) „

7. Recogitemus insuper quomodo dives misericordiam implorare ab Abraham potuisset, ubi ejus fides responderet explicationi Glossæ, quam attulimus supra. Etenim ad textum Zachariæ (9.) *Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua*, dicit Glossa interlinearis: *Tu eos liberasti, qui tenebantur vincti in carceribus inferni*, UBI NON EST ULLA REFRIGERANS MISERICORDIA. Igitur si illi carcere inferni vincti denotant Sanctos Patres in sinum Abrahæ ab Angelis portatos: consequens est, eos ibi nulla fuisse misericordia refrigeratos. Quomodo ergo petebat dives misericordiam ab eo, quem credebat nulla recreari misericordia? Ita nempe indigens peteret ab indigente; & nonnisi insipienter sperasset, indigentiæ suæ provisum iri ab eo, ad quem alta voce clamabat, *Pater Abraham miserere mei*. Dum autem hæc dicit, profectò ostendit, aliquid ab eo sperasse, tum ad proprium refrigerium, tum ad suorum fratrum disciplinam. Indeque constat, illorum temporum fidem eum locum apud Deum tribuisse spiritibus Sanctorum ut pro miseris intercedere, vivorumque curam gerere possent. Quamvis enim dives nihil pro se ab Abraham impetraverit; fratres verò suos a Moysis lege satis erudiendos audierit: attamen hæ ipsæ dolentis petitiones amplissimum reddebant testimonium fidei in Moysis lege communis. Quum verò Abraham divitis damnati preces minimè exaudiebat; alia pariter dogmata ad ædificationem nostram per Evangelistæ narrationem confirmantur. Primum est, frustra a damnatis Sanctorum opem fore implorandam, quos hinc

hinc haud moveri conspicimus ab eorum tormentis; unde irrationabilis quorumdam miseratio sileat, liberationem damnatis promittens ad Sanctorum preces in universali judicio. Secundum verò, æquè frustra Sanctorum auxilia pro iis implorari, qui legem non audientes cognitam, & præsentem, insolita quædam signa expectant, ut convertantur. Horum talia non usitata petentium, futura durities, ab his dictis emergit. Qua enim audacia legem respuunt præclarè minantem; eadem mortuorum apparitiones admonitionesque deriderent.

8. Ea nunc verba examinanda suscipiamus, quibus dicitur, *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Angelorum ministerium in mendico portando frustra memoratum quis credat? D. certè Augustinus, hinc evidentissimum eruit testimonium, quòd Lazarus benè mortuus sit, dives verò malè; & sicuti malè mortuus, in mortem incidit secundam, ita bene mortuus vitam cum morte commutat. „ De duobus ergo istis, inquit, dicite mihi, quis „ est benè mortuus, & quis est malè mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite. Si enim oculos interrogaveritis, falsa vobis „ respondent. Multum enim splendida sunt, & sæculariter fucata, „ quæ illi diviti morienti exhiberi potuerunt. Quæ potuerunt agmina plangentium esse servorum, & ancillarum? quæ pompa clientum? qui splendor funeris? quod pretium sepulturæ? Credo eum „ aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi sumus fratres, benè istum „ mortuum, an malè mortuum? Si oculos interrogaveritis, optimè „ mortuus est, si magistrum vestrum interiorem requiritis, pessimè „ mortuus est...... NON PROBAT MALAM MORTEM, NISI TEMPUS „ POST MORTEM. E contrario, adtendite illum pauperem, nolite „ oculis, nam errabitis; Fides adtendat, cor videat. Constituite illum „ ante oculos vestros jacentem in terra ulcerosum, venientes canes, „ lingentes ulcera ejus. Sed quum talem illum revocatis ante oculos „ vestros, continuò expuitis, faciem avertitis, nares obturatis: cordis „ oculis videte. Mortuus est, & ABLATUS EST AB ANGELIS IN SINUM „ ABRAHAE. Familia divitis videbatur plangens: ANGELI NON VIDEBANTUR GAUDENTES? „ (5. Tom. Serm. 102., aliàs de Verbis Domini 24.) Libro verò primo de Civit. Dei (7. Tom. cap. 12. n. 1.), hoc ipsum Angelorum ministerium in paupere suscipiendo inservire ostendens ad illius felicitatem percipiendam, ait: „ Præclaras exsequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum; „ SED MULTO CLARIORES IN CONSPECTU DOMINI ULCEROSO ILLI PAUPERI MINISTERIUM PRAEBUIT ANGELORUM, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed IN ABRAHÆ GREMIUM SUSTULERUNT. „

9. Quis autem, & ubi hic sinus Abrahæ fuerit juxta S. Augustini mentem, alibi inquiremus. Ubicumque tamen fuerit: cum eodem Sancto Patre intelligimus, ibi Sanctos nonnisi feliciter, & cum Deo vivere: tam enim sinus Abrahæ in Scripturis Dei semper sonat in

O bonum,

bonum, quàm inferorum nomen semper in malum. Propterea consolatio, quam experiebatur anima Lazari, veram requiem denotat nulla intercedente molestia, Syriaca versione suffragante, quæ ubi Vulgata habet, *Nunc autem hic consolatur*, legit, *Nunc autem ecce requiescit hic*, *tu verò cruciaris*. Requiem autem, & molestiam simul esse non posse, demonstratione non indigere apud homines puto. Sanctis quidem Ecclesiæ Catholicæ Patribus, quos clarissimus vir Ludovicus Antonius Muratorius affert cap. IV. laudati Operis sui, *requie*, *& requiescere* nihil aliud sonabat, quàm felicitatem summam in cœlis justorum spiritibus jam conlatam; ad quem librum diligentem Lectorem interim remitto, ne ea repetam, quæ prælecta suppono.

10. Denique, ut omnia, quæ ab historia Evangelica divitis damnati, & pauperis beati dicta sunt, sub eodem Doctore Augustino perstringantur; atque juxta veritatem, quam continent explicentur: eumdem adeamus 5. Tom. in Serm. 41. aliàs ex Sirmondianis 11. n. 4. „ Ergo adtende, ait, illum pauperem Lazarum jacentem ante „ januam divitis. Pauper iste miserabiliter fuit infirmus: nec saltem „ ipsius tenebat sanitatem corporis, quod est patrimonium pauperis. „ Ulcerosus etiam fuit, canes lingebant ulcera ejus. Erat autem in „ illa domo dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur „ quotidiè splendidè, & nolebat Fidem possidere cum paupere. Meri- „ tò Dominus Jesus Fidei amator, & dator, plus adtendit IPSAM FI- „ DEM in paupere, quàm aurum, & delicias in divite: plus adtendit „ pauperis possessionem, quàm divitis elationem. Nam ideò pauperem „ illum NOMINAVIT; illius autem nomen esse tacendum judicavit. „ *Erat*, inquit, *dives* quidam, *qui induebatur purpura*, *& bysso*, *&* „ *epulabatur quotidiè splendidè: pauper autem quidam nomine Lazarus*. „ Nonne videtur vobis de libro recitasse, ubi nomen pauperis scri- „ ptum invenit, divitis non invenit? Liber enim ille VIVORUM ERAT „ ATQUE JUSTORUM, non superborum, & iniquorum. Nominabatur „ dives ille ab hominibus, pauper tacebatur: contrà Dominus pau- „ perem nominavit, divitem tacuit. Noluit ergo Fidem possidere cum „ paupere dives ille. Mortui sunt ambo. *Contigit mori inopem illum*, „ *& auferri ab Angelis in sinum Abrahæ*. *Mortuus est dives*, *& sepultus* „ (nam fortasse ille nec sepultus est) *& quum apud inferos*, ut le- „ gimus, *in tormentis esset*, *levavit oculos suos a longe*; *& vidit paupe-* „ *rem in sinu Abrahæ*, quem contempsit ante januam suam. Non „ cum illo potuit habere communem requiem, cum quo Fidem no- „ luit habere communem. *Pater*, inquit, *Abraham*, *mitte Lazarum*, „ *ut intingat digitum suum in aquam*, *& stillet in linguam meam*, *quia* „ *crucior in hac flamma*. Responsum est: *Memento fili*, *quia recepisti* „ *bona tua in vita tua*, *Lazarus autem mala*: *nunc ergo hic requiescit*, „ *tu verò torqueris*. *Et super hæc omnia chaos magnum est inter nos*, *&* „ *vos*; *nec a nobis quisquam ad vos transire potest*, *nec a vobis ad nos* „ *transmeare*. Vidit sibi ille negatam misericordiam, quia ipsam ne-

gave-

„ gaverat. Vidit quod verum esset, Judicium sine misericordia, illi, qui non fecerit misericordiam. Et qui noluit suo tempore pauperis misereri, fratrum suorum serò misertus est. Mitte ergo, inquit, Lazarum, *habeo ibi quinque fratres, dicat eis quid hic agitur, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. Et contra hoc responsum est, Si nolunt venire in hunc locum tormentorum, habent Moysen & Prophetas, ipsos audiant. Ille, qui solebat irridere Prophetas, simul utique cum fratribus suis: credo enim, immo non dubito, quia cum ipsis fratribus suis loquens, de Prophetis monentibus bona, prohibentibus mala, terrentibus de tormentis futuris, & futura præmia promittentibus, irridebat hæc omnia dicens cum fratribus suis, Quæ vita post mortem, quæ memoria putredinis? quis sensus cineris? Omnes illuc feruntur, & sepeliuntur; quis inde reversus auditus est? Recolens hæc verba sua, propterea volebat Lazarum redire ad fratres suos, ut jam non dicerent, Quis inde reversus est? Et ad hoc aptè dignèque responsum est. Videtur enim fuisse iste Judæus, & propterea dixisse, *Pater Abraham*. Ergo optimè & congruenter responsum est: Si Moysen, & Prophetas non audiunt, nec si quis a mortuis resurrexerit, persuadebuntur ......

„ Remansit ergo ille dives sine adjutorio, finitis deliciis temporalibus, in pœnis æternis. Non fecit justa, audivit digna. *Memento quia percepisti bona tua in vita tua*. Hæc ergo vita, quam vides, non est tua. Percepisti bona tua. Hæc ergo, quæ de longinquo suspiras desiderans, non sunt tua .... Illam enim solam vitam tuam putasti, quando post mortem nihil futurum sperasti, nihil triste timuisti. Percepisti ergo bona tua in vita tua: Lazarus autem mala. Non dixit sua, sed mala, quæ homines putant, quæ homines timent, quæ homines pro magno devitant. Percepit hic Lazarus mala. Bona tua tunc non percepit: nec tamen perdidit. Sicut autem non additum est *sua*; sic nec hoc additum est *in vita sua*. Alia enin erat vita ipsius, quam sperabat in sinu Abrahae. Nam hic mortuus erat, hic non vivebat: illa morte mortuus erat, quam dicit Apostolus *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Pauper mala temporalia ferebat; Deus autem bona ejus differebat, non auferebat. Quid ergo, dives, apud inferos desideras, quod quum divitiis fruereris, non sperasti? Nonne tu es ille, qui pauperis contemptor Moysen Prophetam irridebas? Noluisti ergo Fidem possidere cum proximo in paupertate ejus; & modò frueris bonis ejus? Irrisisti eum quando audisti, *Fidem posside cum proximo in paupertate ipsius, ut & bonis ejus perfruaris*. Modò vides longè bona ejus, & non cum eo possides. Ventura enim erant illa bona, ventura invisibiliter. Quando non enim videbantur, credenda erant, ne quando videntur remaneret tibi dolere posse, & non posse tenere. „

11. Quum igitur in aperto sit, consolationem pauperis, è directo

in Evangelio opponi tormentis divitis: consequens est, illum in æternum felici loco, hunc in æternum ærumnoso fuisse constitutos. Hanc intelligentiam jubent, tum visio divitis Lazarum agnoscentis in sinu Abrahæ, & guttam aquæ ab illo poscentis; tum verba misericordiam implorantis ab hoc credentium Patre; tum denique Angelorum famulatus portantium Lazarum in sinum Abrahæ. Quæ omnia frustra narrata in Evangelio viderentur, nisi pauperis veram beatitudinem indicarent; sicuti reliqua veram divitis egestatem, & miseriam, & pœnas absque ambiguitate oculis ipsis subjiciunt. Idcirco Sanctus Augustinus fidenter scripsit „ Illum quippe divitem in ardore pœnarum, „ & illum pauperem IN REFRIGERIO GAUDIORUM intelligendos esse „ non dubito „ (1. p. 3. Tom. de Gen. ad litt. l. 8. c. 5. n. 9.). Sed quia id ipsum rationi, & Divinæ traditioni consentire mihi videtur: egregiis Magistri mei insistens vestigiis, ea, quæ jam ante proposui atque probavi, ulterioribus auctoritatibus confirmare pergo. Sit igitur.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Justi antiqui Testamenti erant ejusdem Religionis in qua nos, scilicet erant Christiani, quamvis tali nomine non nuncuparentur.

1. DIvus Augustinus librum Romaniano inscribens 1. Tom. De vera Religione dixerat: „ Ea est nostris temporibus Christia„ na Religio, quam cognoscere, & sequi securissima, & certissima „ salus est. „ Hæc postea recogitans; & metuens, ne quispiam ita sua verba usurparet ut contenderet, Religionem Christianam nonnisi a prædicatione Christi incœptam: intentionem suam exponit 1. Tom. libro 1. Retractationum cap. 13. „ Quod dixi, ea est nostris tempori„ bus Christiana Religio, quam cognoscere, & sequi securissima, & „ certissima salus est; secundùm hoc nomen dictum est, non secun„ dùm ipsam rem, cujus hoc nomen est. Nam res ipsa, quæ nunc „ Christiana Religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab „ initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, „ unde vera Religio, quæ jam erat, cœpit appellari Christiana. „ Confirmans autem hanc sententiam sequitur. „ Quum enim eum „ post resurrectionem adscensionemque in cœlum cœpissent Apostoli „ prædicare, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam, sicut „ scriptum est, appellati sunt Discipuli Christiani. Propterea dixi: „ Hæc est nostris temporibus Christiana Religio, non quia prioribus „ non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit. „

2. Hinc Apostolus (Rom. 11.) similitudine utens oleæ, & oleastri, veram oleæ radicem in Hebræis agnoscit, a qua si aliqui rami fracti sunt, propter incredulitatem fracti sunt. Ne autem, ramis fractis naturalibus, olea fructibus vacua persisteret: bonitate Dei factum est

est, ut rami oleastrorum (quo nomine gentes indicat) oleæ insererentur. Hunc Apostoli locum S. Augustinus perpendens contra audacissimum de secta Manichæorum Faustum (8. Tom. l. 9. cap. 2.), sic loquitur. „ Cur ergo Apostolus, quem dicis relicto Judaismo ex „ amaritudine transisse in dulcedinem (idest a vetere ad novum Fœ„ dus) magis inde fractos ramos dicit, qui ex ipso populo in Chri„ stum credere noluerunt, & in ipsa oleæ radice, idest origine San„ ctorum Hebræorum tamquam oleastrum gentes insertas, ut fierent „ participes pinguedinis oleæ? Nam quum de Judæorum lapsu ad„ moneret gentes, ne superbirent, ita loquutus est. *Vobis enim*, in„ quit, *dico Gentibus, quandoquidem ego sum Gentium Apostolus, ministe„ rium meum glorifico, si quo modo ad æmulationem provocare potero car„ nem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis. Si rejectio illorum re„ conciliatio est Mundi, quæ erit adsumptio nisi vita ex mortuis? Si au„ tem delibatio sancta est, & conspersio, & si radix sancta est, & rami; „ quod si aliqui ex ramis, fracti sunt, tu autem cum esses oleaster, in„ sertus es in illis, & socius radicis factus est, & pinguedinis oleæ, noli „ gloriari adversus ramos; quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed „ radix te. Dicis ergo: fracti sunt rami, ut ego inserar. Benè. Incredu„ litate fracti sunt. Tu autem Fide stas. Noli altum sapere, sed time; „ nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet. Vide er„ go bonitatem, & severitatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt severi„ tatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin & „ tu excideris. Et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur; po„ tens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus „ oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam, quantò magis „ illi, qui secundùm naturam sunt, inserentur suæ olivæ.* Videtis ergo „ vos (ad Manichæos conversus sequitur Augustinus) qui in ista „ inseri radice non vultis, non quidem fractis ramis esse similes, „ sicut est carnalis, & impius populus Judæorum, sed in oleastri „ amaritudine remansisse . . . . . . Inserimini ergo in radicem oleæ, „ quo se redditum gaudet Apostolus, qui inter fractos ramos per in„ credulitatem fuit. Inde se quippe liberatum dicit, quum se a Ju„ daismo ad Christum transisse lætatur, quia Christus semper in illa „ radice, atque in illa arbore prædicatus est, in quem venientem „ qui non crediderunt fracti sunt inde, & qui crediderunt inserti „ sunt ibi. „

3. Adeò igitur verum est Religionem Christianam a Mundi exordiis fuisse, quamvis non hoc nomine designatam: quantò verum est, semper apud fideles extitisse usque ad Hebræorum incredulitatem. Propterea novissimis temporibus Gentes, ex quibus etiam nos processimus, oleæ Hebræorum inseri non valerent, nisi vocante Deo per Jesum Christum; quem plerique ex Judæis, reliquerunt, & idcirco a radice fracti sunt; plerique autem radici adhærentes eumdem Redemptorem confessi sunt: qui porrò cum antiquis fidelibus, ex qui-

bus

bus genus susceperant, & eum novis istis ex Gentibus radici oleæ clementer insertis, salvi facti sunt.

4. Ideò quamvis Abraham gloriosa Credentium Patris appellatione primus omnium fuerit insignitus: ei tamen post mortem, non peculiarem, & a se primò occupandum locum, promisit Deus, sed cum patribus suis consortium spopondit, inquiens (Gen. 15.): *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona*. Istud porrò consortium, atque unio trahi minimè potest ad carnales ejus parentes, quantum attinet ad sepulturam carnis. Scimus enim Thare patrem Abrahæ (Gen. 11. 32.) in Haran Chaldeæ urbe mortuum, & sepultum. Abraham verò in spelunca duplici conditum prope Hebron in terra Chanaan, quam a filiis Heth acquisiverat, ut Sarai uxoris suæ corpus humaret. Sepultura itaque carnis Scripturæ verbis minimè indicata: necessariò consortium aperitur animarum, ad quas congregandus erat Abraham in ea pace, quam ipsi spondebat Deus, in præmium fidelis peregrinationis suæ super terram. Illa itaque promissio intelligenda est de spiritualibus patribus, qui ab Abel justo usque ad Abrahæ tempora in Fide vera, & adhæsione radicis sanctæ decesserant; quorum pinguedine ab olea manante par erat ut Abraham in secura pace, suavique contubernio frueretur post mortem, sicuti in terris degens Fidem secutus fuerat, & exempla vitæ.

5. Inter istos Abrahamum invenisse credo etiam Tharam secundùm carnem patrem suum, Sancti Augustini auctoritate, quæ Rabbinorum commenta, & vanas de eo fabulas, confutat. „ Una igitur, inquit, „ Tharæ Domus erat, de qua natus est Abraham, in qua unius ve„ ri Dei cultus, & quantum credibile est, in qua jam sola etiam „ Hebræa lingua remanserat . . . . Proinde sicut per aquarum Dilu„ vium Domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum; „ sic in Diluvio multarum superstitionum per universum Mundum „ una remanserat Domus Tharæ, in qua custodita est plantatio „ Dei. „ (7. Tom. De Civit. Dei. l. 16. c. 12.)

6. Pietas Tharæ manifestius commendatur capite sequenti, ubi rationem assignat S. Pater, cur in transmigratione Tharæ, quando Chaldæos superstitiosos deserens in Mesopotamiam transiit, nulla filii ejus Nachor facta sit mentio: „ Cur ergo, ait, Scriptura eum non „ commemoravit, quando ex gente Chaldæa cum suis profectus est „ Thara, & habitavit in Mesopotamia, ubi non solum Abraham fi„ lius ejus, verùm etiam Sara nurus, & Lot nepos ejus commemo„ rantur, quòd eos duxerit secum? Cur putamus, nisi forte quòd a „ paterna, & fraterna pietate desciverat, & superstitioni adhæserat „ Chaldæorum, & postea inde, sive pœnitendo, sive persecutionem „ passus, quòd suspectus haberetur, & ipse emigravit? In libro enim, „ qui inscribitur Judith, quum quæreret Holofernes hostis Israelita„ rum, quænam gens illa esset, utrum adversus eam bellandum fuis„ set, sic ei respondit Achior dux Ammonitarum: *Audiat Dominus*

noster

„ *noster verbum de ore pueri sui, & referam tibi veritatem de populo,*
„ *qui habitat juxta te montanam hanc, & non exibit mendacium de ore*
„ *servi tui. Hæc enim progenies populi est Chaldæorum, & antea habita-*
„ *verunt Mesopotamiam, quia noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui*
„ *fuerunt in terra Chaldæorum gloriosi, sed declinaverunt de via patrum*
„ *suorum, & adoraverunt Deum cœli, quem cognoverunt, & projecerunt*
„ *eos a facie deorum, & fugerunt in Mesopotamiam, & habitaverunt ibi*
„ *dies multos. Dixitque illis Deus illorum, ut exirent de habitatione sua,*
„ *& irent in terram Chanaan, & illic habitaverunt:* & cetera, quæ
„ narrat Achior Ammonites. Unde manifestum est, domum Tharæ
„ persecutionem passam fuisse a Chaldæis pro vera pietate, qua unus
„ & verus ab eis colebatur Deus. „ Unde veri simile apparet, Tharam, pro vera pietate fideliter tanta tolerantem, atque facientem, præmium, post mortem fuisse consecutum, quod apertius promisit Deus in Evangelio dicens, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regno cœlorum*. Hos enim fructus uberes æternosque illius Sanctæ Civitatis assecutum fuisse etiam Abraham: ejusdem Genesis verbis (25. 8.) docemur, ubi dictum est, *Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum*. Alibi inquiremus horum verborum genuinam vim, traditione antiquissima commendatam.

7. Quapropter qui ex Abraham prodiere non ancillæ filii, sed liberæ ab Isaac descendentes, in quo vocatum erat Abrahæ semen: filiorum Dei nuncupatione gaudebant, quia filii promissionis æstimantur in semine. *Istis adoptio erat filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen*. (Rom. 9.) „ Ipsum verò adoptionis nomen plurimum valere
„ in nostræ Fidei Sacramento, apostolica doctrina testatur „ ait D. Augustinus (8. Tom. contra Faustum Manich. l. 3. cap. 3.): ubi, commemorata Apostoli sententia, quam supra retuli, prosequitur:
„ Item dicit, *Et ipsi in nobismet ipsis ingemiscimus, adoptionem expe-*
„ *ctantes filiorum Dei, redemptionem corporis nostri*. (Rom. 8.) Item
„ alio loco: *Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium*
„ *suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant,*
„ *redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. (Gal. 4.). Hæc igitur
„ adoptio quanti Sacramenti sit, his atque hujusmodi testimoniis sa-
„ tis apparet. Unicum enim Filium Deus habet, quem genuit de
„ substantia sua, de quo dicitur: *Cùm in forma Dei esset, non rapinam*
„ *arbitratus est esse æqualis Deo* (Philip. 2.) Nos autem non de sub-
„ stantia sua genuit: creatura enim sumus, quam non genuit, sed
„ fecit; & ideò, ut fratres Christi secundùm modum suum faceret,
„ adoptavit. Iste itaque modus, quo nos Deus, quum jam essemus
„ ab ipso non nati, sed conditi & instituti, verbo suo, & gratia

sua

„ sua genuit, ut filii ejus essemus, adoptio vocatur. Unde Johannes „ dicit (cap. 1.) *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. „

8. Quum igitur antiqui illi filiorum adoptione gauderent: tam rectè Deum Patrem invocabant, quàm rectè nos Patrem appellamus, quando divina institutione formati preces ad illum fundimus, dicentes *Pater noster qui es in cœlis*. Quamvis enim nos, non secus ac illi de ejus substantia nati non simus, idecque tanta filiatione essemus indignissimi: ejus tamen gratia & clementissima voluntate adoptati sumus, secundùm doctrinam Apostolicam, & fidelissimam veritatem; atque per hæc divina dona, non nostris viribus aut meritis potestatem adepti sumus, qua filii Dei fieri possemus. „ Ipsum quippe ha„ bemus (prosequitur S. Augustinus loco citato) & Deum, & Do„ minum, & Patrem. Deum, quòd ab ipso etiam ex hominibus „ parentibus conditi sumus. Dominum, quòd ei subditi sumus. Pa„ trem, quòd ejus adoptione renati sumus. „ Idcircò Dominus noster Jesus Christus apud Hebræos prædicationem instituens, Patrem cœlestem, eorum etiam Patrem appellat, jubens eis, in illo spem ponere, & ad illum filiorum fiducia confugere, quem ad audiendum paratum, atque indigentiis levandis alacrem, sæpissimè promittit. Et Moyses ipsis exprobrans peccata sua, ajebat: *Generatio prava, atque perversa: Hæccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens. Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* (Cant. Moysis) Immo Dominus in eodem Cantico ipsis, quamvis infidelibus, dulce non surripuit filiorum nomen. *Generatio enim*, inquit, *perversa est, & infideles filii*. Utrum verò eum, & Deum cognoverint, & Dominum, sicuti Patrem cognoscebant, supervacaneum est exemplis confirmare, quum ejusmodi appellationibus Divinæ Scripturæ redundent.

9. Quòd si, & Deum, & Dominum, & Patrem vera Fide illum colebant quem & nos, atque ita ei serviebant quomodo ipse jusserat ut facerent: quærendum est nunc, quam mercedem juxta hanc Fidem viventes consequerentur post mortem. Hæc autem ex parte Dei remuneratoris consideranda esset. Nam ex parte Sanctorum antiqui Testamenti, certum est, ipsos in retributionem intendisse, idest in visionem, & fruitionem ipsius Dei crediti atque dilecti. Hanc eorum spem pluribus colligimus. Nam Azariæ in fornace ab impio Nabucodonosor accensa, hæc erat humilis & bonæ spei plena deprecatio: *Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes Testamentum tuum. Neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum: Quibus locutus es pollicens quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris: Quia Domine imminuti sumus plusquàm omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra. Et non est in tempore hoc princeps, & dux,*

&

& propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te. Ut possimus invenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium. sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos: sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine: Et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur: Et sciant quia tu es Domine Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum. (Daniel. 3. 34. & seqq.) David quoque dixit. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem* (Ps. 118.) Apostolus item de antiquis loquens, ait (Hebr. 11.) *Fide demoratus est* (Abraham) *in Terra Promissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & opifex Deus..... Propter quod ab uno* (Abraham) *orti sunt*, & (*hoc emortuo*) *tamquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arenam, quæ est ad oram maris innumerabilis ..... Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere: & si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt: habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, idest cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum. Paravit enim illis Civitatem ..... Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Sequentia monstrabunt, ex parte ipsius Dei, qui servos suos hac tam præclara Fide, & Spe informabat, atque nutriebat, nequaquam dilatum fuisse præmium, in quod illæ Deum sapienter amantes animæ ferebantur. Neque hanc intelligentiam apud diligentes præpediri posse puto, in hac scripturali apertissima auctoritate, propter particulam *nunc*, quæ ibidem legitur: *Nunc autem meliorem appetunt, idest Cœlestem.* Illud enim *Nunc*, necessariò respicit tempus, quo Sancti Patriarchæ, & homines Dei, de quibus Apostolus loquitur, futurorum expectatione sustentabantur inter hujus vitæ tribulationes atque miserias; futura scilicet sed certa præsenti patientiæ opponentes. Nam si illud *Nunc*, tempus indicaret, quo scribebat Apostolus: extra cœlestem patriam, atque in ejusdem desiderio detinerentur animæ Sanctorum antiquorum, etiam post gloriosam Christi Domini in cœlos ascensionem; quod communi Fidei repugnat. Sit igitur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Antiqui justi a Deo justificati hæredes erant novi Testamenti, quamvis aliqui eorum ministri, & gestatores Testamenti veteris essent: ubi de significatione Testamenti veteris agitur, & quando illud cœperit, atque desierit ex S. Augustino.

1. DUM igitur antiquorum mercedem inquiro: eamdem eos fuisse consecutos, quam nos speramus, dicere cogor; quum Magister meus ipsos novi Testamenti hæredes fuisse ostendat, firmissimis argumentis, quæ subjicio. Contra Pelagianos agit, qui cum Manichæis communem habebant veteris Testamenti spretum, Christianosque irridebant, quia Sanctissimis, quibus constat, libris, inconcussum præstabant obsequium. Ne autem vana tantùm confidentia hoc dicere viderentur; multa congesserant ex antiquo Testamento, quæ vel contraria esse novo contendebant, vel a Catholicis perversè intelligi, & usurpari. Pluribus idcircò eruditissimis libris, & spiritù Dei plenis eos debellavit S. Augustinus, ut ex his patet, quos contra Manichæos, & contra Fortunatum, & Adimantum, & Faustum ejusdem sectæ homines, luculentissimè scripsit. Sequentia Bonifacio nuncupavit contra Duas Epistolas Pelagianorum (10. Tom. lib. 3. cap. 4. n. 6.)

„ 2. VI. Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitent, „ Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non „ fuisse, nisi quum vetus Testamentum sic intelligimus quemadmo„ dum dixit Apostolus (Galat. 4. *A monte Sina in servitutem gene„ rans?* Sed quia in eo præfigurabatur novum, qui hoc intelligebant „ tunc homines Dei secundùm distributionem temporum, veteris „ quidem Testamenti dispensatores, & gestatores, sed novi demon„ strantur hæredes. An verò illum ad Testamentum novum negabi„ mus pertinere, qui dicit: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum „ rectum innova in visceribus meis* (Ps. 50.), aut illum qui dicit: „ *Posuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in „ os meum canticum novum, hymnum Deo nostro?* (Ps. 39.) Vel illum „ ante Testamentum vetus, quod est a monte Sina, Patrem Fidelium, „ de quo dicit Apostolus (Gal. 3.) *Fratres secundùm hominem dico, „ tamen hominis confirmatum Testamentum nemo irritum facit, aut superor„ dinat: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus, non dicit & se„ minibus tamquam in multis, sed tamquam in uno, & semini tuo, quod „ est Christus. Hoc autem dico*, inquit, *Testamentum confirmatum a Deo, „ quæ post quadringentos, & triginta annos facta est Lex, non infirmat ad „ evacuandam promissionem. Si enim ex Lege hæreditas jam non ex pro„ missione, Abrahæ autem per promissionem donavit Deus.*

„ VII.

„ VII. Hic certè si quæramus utrum hoc Testamentum, quod dicit „ confirmatum a Deo non infirmari a Lege, quæ post quadringentos „ & triginta annos facta est, utrum novum an vetus intelligendum „ sit: quis respondere dubitet novum; sed in propheticis latebris oc„ cultatum, donec veniret tempus, quo revelaretur in Christo? „ Nam si dixerimus vetus, quid erit illud a monte Sina in servitu„ tem generans? Ibi enim facta est Lex, post quadringentos, & tri„ ginta annos. Qua Lege hoc Testamentum promissionis Abrahæ in„ firmari non posse confirmat; & hoc quod factum est ab Abraham „ vult potius ad nos pertinere, quos vult esse filios Liberæ, non an„ cillæ, hæredes ex promissione, non Lege, quum dicit, *Si enim ex* „ *Lege hæreditas, jam non ex promissione: Abrahæ autem per promissionem* „ *donavit Deus*. Ut quod facta Lex est post quadringentos & triginta „ annos, ad hoc subintraverit, ut abundaret delictum, quum per pec„ catum prævaricationis convincitur hominis superbia de sua justitia „ præsumentis, *& ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* (Rom. „ 5.) per Fidem jam humilis hominis in Lege deficientis, & ad Dei „ misericordiam confugientis. Idcò quum dixisset. *Si enim ex Lege hære*„ *ditas, jam non ex promissione, Abrahæ autem per promissionem donavit* „ *Deus*: tamquam ei diceretur, ut quid ergo Lex postea facta est? „ subjunxit, atque ait: *Quid ergo Lex*? Cui mox interrogationi red„ didit: ***Prævaricationis gratia proposita est**, donec veniret semen, cui pro*„ ***missum est***. Hoc idemtidem ita dicit. *Si enim qui ex Lege hæredes* „ *sunt, exinanita est Fides, & evacuata est promissio. Lex enim iram* „ *operatur, ubi enim non est Lex, nec prævaricatio* (Rom. 4.) Quod „ ait in illo testimonio. *Si enim ex Lege hæreditas, jam non ex promis*„ *sione, Abrahæ autem per promissionem donavit Deus*, hoc in isto ait: „ *Si enim qui per Legem hæredes sunt, exinanita est Fides, & evacuata* „ *promissio*: satis ostendit ad Fidem nostram pertinere (quæ novi uti„ que est Testamenti) quod per promissionem donavit Deus Abra„ hæ. Et quod ait in illo testimonio. *Quid ergo Lex?* atque respon„ dit: ***Prævaricationis gratia proposita est***: hoc in illo subdidit simili„ ter: ***Lex enim iram operatur. Ubi enim non est Lex, nec prævari*** „ ***catio***.

„ VIII. Sive igitur Abraham, sive ante illum justi, sive „ post eum usque ad Moysen, per quem datum est Testamen„ tum a monte Sina in servitutem generans, sive ceteri Prophetæ „ post eum, & Sancti homines usque ad Johannem Baptistam, FI„ LII SUNT PROMISSIONIS, ET GRATIÆ secundùm Isaac filium Libe„ ræ, non ex Lege, sed ex promissione HÆREDES DEI, COHÆREDES „ AUTEM CHRISTI. Absit enim ut NOE JUSTUM, & prioris tempo„ ris justos, & quicumque ab illo usque ad Abraham justi esse po„ tuerunt, vel conspicui vel occulti, NEGEMUS AD SUPERNAM JE„ RUSALEM, QUÆ MATER NOSTRA EST PERTINERE; quamvis ante„ riores tempore inveniantur esse quàm Sara, quæ ipsius Liberæ ma-

P 2 tris

„ tris prophetiam, figuramque gestat. Quanto evidentius ergo post „ Abraham, cui sic declarata est ipsa promissio, ut Pater multarum „ gentium diceretur, quicumque Deo placuerunt, filii promissionis „ habendi sunt? Non enim ex Abraham, & deinceps justorum ge- „ neratio verior, sed Prophetia manifestior reperitur.

„ IX. Ad Testamentum autem vetus, quod est a monte Sina in „ servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui quum ac- „ ceperint Legem sanctam & justam, & bonam, putant sibi ad vitam „ literam posse sufficere; & ideò qua fiant factores Legis, divinam „ misericordiam non requirunt, sed *ignorantes Dei justitiam, & suam* „ *justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (Rom. 10.). „ Ex hoc genere fuit illa multitudo, quæ adversus Deum in Eremo „ murmuravit, & idolum fecit; & illa, quæ jam in Terra Promissio- „ nis fornicata est post Deos alienos. Sed hæc in ipso quoque vete- „ re Testamento valde reprobata est multitudo. Illi etiam, quicumque „ ibi erant, sola, quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, „ & quid pro novo Testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum „ adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta „ servabant; immò non servabant, sed sibi servare videbantur. NE- „ QUE ENIM FIDES IN EIS PER DILECTIONEM OPERABATUR, SED „ TERRENA CUPIDITAS, METUSQUE CARNALIS. SIC AUTEM PRÆCE- „ PTA QUI FACIT, PROCUL DUBIO INVITUS FACIT, AC PER HOC „ IN ANIMO NON FACIT; MAGIS VULT ENIM OMNINO NON FACE- „ RE, SI SECUNDUM EA, QUÆ CUPIT, ET METUIT, PERMITTATUR „ IMPUNE. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse, „ qui præcipit, inspicit Deus. Tales erant Filii terrenæ Jerusalem, „ de qua dicit Apostolus (Galat. 4.) *Servit enim cum Filiis suis* per- „ tinens ad testamentum vetus a monte Sina in servitutem generans, „ quod est Agar. Ex ipso genere fuerunt, qui Dominum crucifixe- „ runt, & in eadem infidelitate manserunt. Inde sunt adhuc etiam „ filii eorum in ingenti multitudine Judæorum, quamvis jam novo „ Testamento, sicut prophetatum est, per Christi Sanguinem patefa- „ cto, atque firmato, & a flumine, ubi baptizatus, magisteriumque „ professus est, usque ad terminos terræ Evangelio diffamato. Qui „ Judæi secundùm Prophetias, quas legunt, per omnes sunt terras „ ubique dispersi, ut ex eorum quoque codicibus Christianæ non de- „ sit testimonium veritati.

„ X. Et vetus igitur Testamentum Deus condidit, quia Deo pla- „ cuit usque ad plenitudinem temporis, promissis terrenis tamquam „ in præmio constitutis promissa velare cœlestia, & populo terrenis „ bonis inhianti, & propterea durum cor habenti, quamvis spiritalem, „ tamen in tabulis lapideis Legem dare. Exceptis quippe librorum „ veterum sacramentis, quæ sola significandi ratione præcepta sunt „ (quamquam, & in eis, quoniam spiritaliter intelligenda sunt, re- „ ctè Lex dicitur spiritalis) cetera certè ad pietatem, bonosque mo-

res

„ res pertinentia, non ad aliquam significationem ulla interpretatione „ referenda, sed prorsus ut sunt dicta, facienda sunt: profectò illam „ Dei Legem non solum illi tunc populo, verum etiam nunc nobis „ ad instituendam rectè vitam, necessariam nemo dubitaverit. Si „ enim Christus nobis abstulit illud gravissimum multarum observationum jugum, ne carnaliter circumcidamur, ne pecorum victimas „ immolemus, ne sabbato, septeno dierum volumine redeunte, ab „ operibus etiam necessariis quiescamus, & cetera hujusmodi; sed ea „ spiritaliter intellecta teneamus, remotisque umbris significantibus in „ rerum ipsarum, quæ significantur, luce vigilemus; numquid propter „ ea dicturi sumus non ad nos pertinere, quod scriptum est, ut „ alienum quodcumque perditum quisquis invenerit reddat ei, & alia „ multa similia, quibus piè rectèque vivere discitur, maximèque ipsum „ Decalogum, qui duabus illis lapideis tabulis continetur, excepta „ sabbati observatione carnali, quæ spiritualem sanctificationem, „ quietemque significat? Quis enim dicat non debere observare Christianos, ut uni Deo Religionis obsequio serviatur, ut idolum non „ colatur, ut Nomen Domini non accipiatur in vanum, ut Parentes honorentur, ne Adulteria, Homicidia, Furta, Falsa testimonia perpetrentur, ne Uxor, ne omninò Res ulla concupiscatur „ aliena? Quis est tam impius, qui dicat ideo se ista Legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus; nec sub Lege sed sub „ Gratia constitutus?

„ XI. Verùm hæc planè magna distantia est quod faciunt ista sub „ Lege positi, quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi, & ideò non verè faciunt, „ quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potius vel „ augetur, cupiditate alia non sanatur. Hi ad vetus pertinent Testamentum, quod in servitutem generat, quia facit eos carnalis timor „ & cupiditas servos, non Evangelia Fides, Spes, & Caritas liberos. „ SUB GRATIA VERO POSITI, QUOS VIVIFICAT SPIRITUS, EX FIDE „ ITA FACIUNT, QUAE PER DILECTIONEM OPERATUR in spe bonorum non carnalium, sed SPIRITUALIUM; non terrenorum, sed COELESTIUM; non temporalium sed AETERNORUM, præcipuè credentes „ in MEDIATOREM, per quem sibi non dubitant, & SPIRITUM GRATIAE subministrari, ut bene ista faciant, & ignosci posse quum „ peccant. Hi pertinent ad Testamentum novum, Filii promissionis, „ REGENERATI DEO PATRE, ET LIBERA MATRE. Hujus generis fuerunt ANTIQUI OMNES JUSTI, & ipse MOYSES Testamenti minister „ veteris, HAERES novi; quia EX FIDE, qua nos vivimus una eademque VIXERUNT, Incarnationem, Passionem, Resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam, usque „ ad ipsum Johannem Baptistam, tamquam præteritæ dispensationis „ limitem quemdam, qui Mediatorem ipsum, non aliqua umbra futuri, vel allegorica significatione, vel ulla prophetica prænuntiatione

„ ne venturum esse significans; sed digito demonstrans ait: *Ecce Agnus* „ *Dei*, *ecce qui tollit peccatum mundi* (Joh. 1.) Tamquam dicens: „ QUEM MULTI JUSTI VIDERE CONCUPIERUNT, in quem venturum „ ab ipsius humani generis initio CREDIDERUNT, de quo Abrahæ di- „ ctæ sunt promissiones, de quo scripsit Moyses, de quo Lex & Pro- „ phetæ sunt testes; *Ecce Agnus Dei*, *ecce qui tollit peccatum mundi*. Ab „ hoc Johanne, & deinceps cœperunt de Christo fieri præterita, vel „ præsentia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis justis CREDE- „ BANTUR, SPERABANTUR, DESIDERABANTUR FUTURA. Eadem igi- „ tur Fides, & in illis qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt „ antea CHRISTIANI, & in istis, qui non solùm sunt, verùm etiam „ vocantur, & in utrisque EADEM GRATIA PER SPIRITUM SANCTUM. „ Unde dicit Apostolus (1. Cor. 4.) *Habentes autem* EUMDEM SPIRI- „ TUM FIDEI, *secundum quod scriptum est*, *Credidi propter quod locutus* „ *sum*, *&* *nos credimus propter quod & loquimur*.

„ XII. Aliter itaque dicitur, jam obtinente loquendi consuetudine „ vetus Testamentum, Lex & Prophetæ omnes, qui usque ad Johan- „ nem prophetaverunt, quod distinctiùs vetus Instrumentum quàm „ vetus Testamentum vocatur. Aliter autem, sicut Apostolica appellat „ auctoritas, sive hoc nomen exprimens, sive significans. Exprimit „ enim ubi dicit *usque in hodiernum diem* (2. Cor. 3.) quamdiu le- „ gitur Moyses, idipsum velamen in lectione veteris Testamenti ma- „ net, quod non revelatur, quia in Christo evacuatur. Sic enim uti- „ que vetus Testamentum ad Moysi retulit ministerium. Item dicit „ (Rom. 7.) *Ut serviamus in novitate Spiritus*, *& non in vetustate lit-* „ *teræ*; idipsum significans Testamentum nomine litteræ. Item dicit „ alio loco, *Qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti*, *non littera* „ *sed Spiritu; Littera enim occidit*, *Spiritus autem vivificat*. (2. Cor. „ 3.) Et hic per commemorationem novi, illud utique vetus intel- „ ligi voluit. Multò autem evidentiùs, quamvis non dixerit aut vetus „ aut novum, duo ipsa Testamenta distinxit per duos filios Abrahæ, „ unum de Ancilla, alium de Libera, quod jam superiùs commemo- „ ravimus. Quid enim expressius quàm ut diceret (Galat. 4.) *Dicite* „ *mihi sub Lege volentes esse*, *Legem non audistis? Scriptum est enim*, „ *quoniam Abraham duos filios habuit*, *unum de Ancilla*, *& unum de Li-* „ *bera*. *Sed ille quidem*, *qui de ancilla*, *secundùm carnem natus est; qui* „ *autem de libera per repromissionem*, *quæ sunt in allegoria*. *Hæc enim* „ *sunt duo Testamenta*, *unum quidem in monte Sina in servitutem gene-* „ *rans*, *quod est Agar*. *Sina enim mons est in Arabia*, *quæ conjuncta est* „ *huic quæ nunc est Jerusalem*: *servit enim cum filiis suis*. *Quæ autem* „ *sursum est Jerusalem*, *libera est*, *quæ est mater nostra*. Quid clarius, „ quid certius, quid ab omni obscuritate atque ambiguitate remotius „ promissionis filiis? Et paulo post: *Nos autem*, *Fratres*, inquit, *se-* „ *cundum Isaac promissionis filii sumus*. Item paulo post: *Nos autem*, „ *Fratres*, *non sumus ancillæ filii*, *sed liberæ*, *qua libertate Christus nos* *libe-*

„ *liberavit*. ELIGAMUS IGITUR UTRUM ANTIQUOS JUSTOS ANCILLAE „ FILIOS DICAMUS, AN LIBERAE? Absit autem ut ANCILLAE: ergo „ SI LIBERAE, AD NOVUM PERTINENT TESTAMENTUM IN SPIRI- „ TU SANCTO, quem vivificantem litteræ occidenti opponit Aposto- „ lus. Nam quo pacto ad gratiam novi Testamenti non pertinent hi, „ de quorum dictis & libris istos ejusdem gratiæ dementissimos & in- „ gratissimos inimicos refellendo convincimus?

„ XIII. Sed dicet aliquis: Quomodo vetus appellatur, quod post „ quadringentos & triginta annos factum est per Moysen, & novum „ dicitur, quod ante tot annos factum est ad Abraham? Qui ex hoc „ non litigiosè, sed studiosè movetur, intelligat primùm, quia quum „ ex antiquiore tempore dicitur vetus, ex posteriore autem novum, „ revelationes eorum considerantur in his nominibus, non institutio- „ nes. Per Moysen quippe (Rom. 7.) revelatum est Testamentum „ vetus, per quem data est Lex sancta & justa, & bona, per quam „ fieret non abolitio, sed cognitio peccati; qua convineerentur su- „ perbi suam justitiam volentes constituere, quasi Divino adjutorio „ non egentes, & rei facti litteræ, confugerent AD GRATIAE SPI- „ RITUM, non sua justitia, justificandi, sed Dei, hoc est quæ illis „ esset ex Deo. Nam sicut idem Apostolus loquitur (Rom. 3.) „ *Per Legem cognitio peccati, Nunc autem sine Lege justitia Dei manife-* „ *stata est, testificata per Legem & Prophetas*. Lex quippe eo ipso in „ quo in ea nemo justificatur, testimonium perhibet justitiæ Dei. „ Quod enim in Lege nemo justificetur apud Deum, manifestum est, „ quia *Justus ex Fide vivit* (Habacuc. 2.). Sic ergo quum Lex non „ justificat impium de prævaricatione convictum, mittit ad justifican- „ tem Deum, atque ita justitiæ Dei perhibet testimonium. Prophe- „ tæ verò testimonium perhibent justitiæ Dei, prænuntiando Chri- „ stum, *qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio,* „ *& redemptio: ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domi-* „ *no glorietur*. Erat autem occulta ista Lex ab initio, quum homines „ iniquos natura ipsa convinceret, aliis facientes, quod sibi fieri no- „ luissent. Revelatio autem novi Testamenti in Christo facta est, „ quum est manifestatus in carne, in quo apparuit justitia Dei, idest „ quæ hominibus ex Deo est. Hinc enim ait (Rom. 3.) *Nunc au-* „ *tem sine Lege justitia Dei manifestata est*. Ecce qua causa illud dici- „ tur vetus Testamentum, quia priore, hoc autem novum quia po- „ steriore tempore revelatum est. Deinde quia Testamentum vetus „ pertinet ad hominem veterem, a quo necesse est hominem incipe- „ re, novum autem ad hominem novum, quò debet homo ex vetu- „ state transire. Ideo in illo sunt promissa terrena, in isto promissa „ cœlestia, quia & hoc ad Dei misericordiam pertinuit, ne quisquam „ vel ipsam terrenam qualemcumque felicitatem nisi a Domino Crea- „ tore universitatis, putet cuiquam posse conferri. SED SI PROPTER

ILLAM

„ ILLAM COLATUR DEUS, SERVILIS EST CULTUS, pertinens ad filios „ ancillæ. SI AUTEM PROPTER IPSUM DEUM, ut in æterna vita sit „ Deus omnia in omnibus, LIBERALIS EST SERVITUS PERTINENS „ AD FILIOS LIBERAE, QUAE EST MATER NOSTRA AETERNA IN „ COELIS (Galat. 4.), quæ prius tamquam sterilis apparebat, quan- „ do perspicuos filios non habebat. Nunc autem videmus quod de „ illa prophetatum est: *Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, & „ exclama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quàm ejus, „ quæ habet virum* (Isai. 54.); idest magis quàm illius Jerusalem, „ quæ Legis quodammodo vinculo maritata est, & servit cum filiis „ suis. Tempore igitur VETERIS TESTAMENTI SPIRITUM SANCTUM „ IN EIS, qui etiam tunc secundùm Isaac PROMISSIONIS FILII „ ERANT, non solùm ADJUTOREM, quod isti suo dogmati sufficere „ existimant, verùm etiam LARGITOREM dicimus fuisse virtutis, quod „ isti negant, libero eam potius arbitrio tribuentes, contradicentibus „ illis Patribus, qui sciebant ad Deum veraci pietate clamare: *Dili- „ gam te Domine, virtus mea* (Ps. 17.) „

3. Eò libentiùs exscripsi multa hæc D. Augustini verba, quò magis aperiunt, non suis tantùm cogitationibus, sed Scripturarum, & præcipuè Gentium Apostoli auctoritatibus, stare sententiam asserenrentem, ad novum Testamentum pertinere homines justos, qui ante Christi visibilem adventum, vel ante Legem Moysi datam hic vixerunt pariterque eos, qui post Legem latam non serviebant litteræ, sed spiritu subjiciebantur Deo; omnesque istos re ipsa fuisse Christianos, quamvis hoc nomen nondum apertè hæreditaverint. Qui quoniam ea omnia credebant, quæ nos; & eadem Fide, & gratia vivebant, quibus nos; æternamque sperabant retributionem non secus ac nos: non video quomodo a visione Dei, quæ sola merces est justis, prohiberi potuerint, quum eamdem Deus illis æquè ac nobis mercedem promisisset. Nam quum Moyses Deum precaretur, ut faciem suam sibi ostenderet, responsum accepit: *Non videbit me homo, & vivet* (Exod. 33. 20.) ex quo rectissimè intelligere debebat, se hanc opperiri posse mercedem post mortem. Quod si idcircò verùm non habeatur, quia Christus nondum passus fuerat, & sic nondum apparuerat repromissio, forte quispiam id ipsum dubitare poterit de justis post Redemptoris passionem mundo morientibus, quia nondum Christus consummavit universale judicium. Hæc quippe extrema repromissio est, de qua Prophetæ præclarissimè locuti sunt; quæque ab antiquis justis tam constanti credebatur Fide, quanta a nobis expectatur post prædicationem Evangelii. Sed quoniam de Christifidelibus id asserere nullus potest, post Conciliorum Lugdunensis & Florentini decreta hactenùs relata: eodem jure suspicari non licebit de illis, quibus juxta Apostolum *paraverat Dominus Civitatem*; usque dum contra ea, quæ ex ejusdem Canonicis Epistolis colligit S. Augustinus, meliori

meliori auctoritate non demonstretur, illos non fuisse filios Liberæ, & verè Christianos; & proinde ad supernam & liberam Jerusalem, quæ est mater nostra, non pertinere.

4. At si a corpore exeuntes in ea justitia, de qua luculentissimum ab ipsomet Deo testimonium sunt consecuti, in loco tamen detinebantur, ubi Deum videre non possent: in vera prorsus captivitate erant, & nulla sua culpa (nam justi dicuntur) ab illa superna & libera Jerusalem exulabant, ad quam tamen, teste Apostolo, pertinebant. Quomodo autem stet Dei promissio Abrahæ facta, *Tu autem ibis ad patres tuos in pace;* scilicet quomodo promissa pax post mortem, conciliari possit cum doloribus, qui necessariò excruciant animam Dei amore flagrantem donec a fine suo detinetur amota: prorsus nescio. Ignorare me itidem fateor, num illud tam convenienter explicari possit, ut vel nihil derogetur veracissimis promissis Dei, qui pacem spopondit; vel Apostolicæ auctoritati non præscribatur, qua antiqui ex Fide viventes promissionis filii appellantur, & Dei, qui supernam Jerusalem inhabitat, hæredes: vel denique Ecclesiasticæ sententiæ docenti, *illorum animas, quæ post Baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt; & si fortè incurrerint, vel in suis corporibus, vel iisdem solutæ corporibus sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Unum & Trinum sicuti est.*

5. Quod enim Augustini sententiæ circa justos antiquos in hac Ecclesiastica auctoritate adversari videtur, est, quia non susceperint Baptisma. Sed sicuti ante præscriptam circumcisionem, Abraham ipse, & ceteri præcedentes justi a Deo fuerunt justificati, quin hujus Sacramenti defectus in carne, veræ obesset obtinendæ justitiæ: ita veram justitiam consequi poterant, quicumque consequebantur, a largitore Deo, etiam ante institutum Baptismi Sacramentum; quin hujus lavacri nondum præcepta administratio, nocere posset. Justitia enim ex Deo, qui solus eam in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum infundit, quocumque exteriori adhibito medio ad hominum captum adjuvandum. Ex hac igitur objectatione a defectu Baptismi petita, durior fortasse, atque implicatior oritur quæstio, quàm ut adversantes putaverint. A quibus si petamus, num justus esset Abraham ante circumcisionem susceptam: negare non poterunt in tanta perspicuitate Scripturarum. Rursus, quomodo justus hic factus sit si postulemus: nonnisi a Deo hanc largiente gratiam, justum fuisse Abraham fatebuntur. Demum si instemus, num Abraham a Deo justus appellatus, verè perfectèque justus fuisset: neque id inficiari poterunt, quin Deum ipsum fallaciæ insimulent, a quo Abraham dictus est justus. Cui profectò si aliquid ad veram justitiam deerat: justus certè non erat. Si verò non deerat: perfectè justus, quantum humana in hoc Mundo patitur conditio, jam erat etiam ante Baptismum institutum. A

Q Deo

Deo autem justus appellatus, nonnisi perfectè justus esse poterat.

6. Aliud igitur est, si fideliter fateamur, post Baptisma institutum, nullam hominis esse justitiam, quæ ab hoc Sacramento non derivet, vel per exterius lavacrum administrato, vel ab adulto homine desiderato: aliud, si Sanctis antiquis, queis hujus Sacramenti usus nondum erat præceptus, veram idcircò denegemus, perfectamque justitiam. Quæ quum laudatorum Conciliorum mens esse non potuerit; sed immo voluerint omnium animarum sortem definire in vera justitia ab hoc mundo discedentium: rectè me usurpasse opinor hanc ipsam Conciliorum auctoritatem quoad præmium, pro firmanda S. Augustini sententia, veram tribuente justitiam antiquis Sanctis; quin tali intelligentiæ in hac parte noceat, quod de Baptismate in ea definitione præscribitur. Concilia siquidem præsentibus providentia rectissimè sanxerunt, non aliter quàm per Baptisma post Evangelium prædicatum, consequendæ justitiæ aditum patere; ne quispiam hanc se nunc posse consequi alia ratione autumaret. Veræ autem antiquorum justitiæ non derogant; immò diligentioribus insinuant, eos mercedem perfectæ visionis Dei Unius & Trini fuisse consecutos, ex eo, quod decernunt cuicumque in justitia Dei hinc abscedenti evenire. Hinc Concilium Tridentium. (Sess. 6. cap. 4.) rem, & ordinem describens justificationis impii, docet, quòd *justificatio sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem Nostrum; quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest*. Ubi *post Evangelium promulgatum* dicens; Baptismi susceptionem haud necessariam agnovit antiquis Sanctis; quos nihilominus eam justificationem adeptos, de qua hic loquitur, satis ex Scripturis patere noscebat; & cui justificationi nullo modo præscribere volebat definitione præsenti.

7. Donec igitur antiquorum spiritibus contra S. Augustini Doctrinam vera non denegetur justitia: rectè me ab hac Conciliorum definitione desumere sentio etiam ipsorum sortem, quam tot Scripturarum testimonia confirmant. Quum enim legimus eos toties de ore Dei dulcissimis insignitos filiorum, electorum, dilectorum, amicorum, justorum denique nominibus: hac fide nominum custodita indicatas ab iisdem nominibus proprietates cum Tertulliano (de Carne Christi Cap. 13.) non intelligere non possumus. Et ex adverso si proprietates infirmamus hisce nominibus contentas: quid erit reliqui in novo Testamento; in quo vera Fidelium merita, vera spes, & certa beatitas iisdem vocabulis demonstrantur? Cautius ergo erit, studio partium deposito, Apostolicæ acquiescere auctoritati, qua dicitur (Rom. 8.) *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet?* Attamen noscemus Baptismi tanto post instituen-

tuendi Fidem, & votum, immò & effectum minimè defuisse antiquis Patriarchis atque Prophetis, si animadvertamus, eos tunc præsentibus umbris futura significata prospexisse, credidisse, atque implenda exoptasse. Ideoque in hac Fide saluti etiam illorum fuisse provisum, quibus hæc mysteria singillatim revelare nondum placitum erat Deo. Hæc explicabit sequens

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Antiqui fideles homines a Christo in omnibus instituti, sub figuris gratiam novæ Legis indicantibus, ejusdem novæ Legis gratiam obtinuerunt.

1. QUicumque attentè meditabitur S. Pauli Epistolas, fateri cogetur, S. Augustini sententiam, qua antiquos credentes Christianos fuisse declarat, firmissimo nixam esse fundamento. Nam præter alia, illud præclarissimum inveniet, *Moysem grandem factum negasse se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem* (Hebr. 11.). Etenim quum hæc innuant, illum in Doctrina Christi fuisse perfectum, dum opprobria, irrisiones, pericula, & paupertatem libentiùs cum populo Dei tolerare eligebat, quàm propriis commodis frui in terrena splendida gloria: *improperium Christi* eum æstimasse rectissimè scripsit Apostolus. Si igitur petamus, quomodo Moyses non solùm cognoverit Christum, sed etiam Doctrinam ejus, quæ in spretu temporalium bonorum fundatur, atque in hoc præcipuè ab antiquæ Legis promissis distare videtur: dicendum est hæc omnia illum partim a patribus suis accepisse, partim divina revelatione cognovisse, & Fide firma credidisse; unde, qualis esset futurus, quæve præcepta daturus Dominus tam firmiter intelligeret, tantique Magistri improperium tanto ante imitaret.

2. Utrum autem Deo placuerit hæc agens, & vitam Christi futuram imitans: tum ex tota illius historia patet; tum ex excellentissimo S. Gregorii Nysseni scripto, quo ejusdem Moysis vitam, mores, & admirabilem sanctitatem exornat, tum etiam eruitur ab Apostolo, qui ad Corinthios scribens (1. Cor. 10.), Hebræos dicit punitos in deserto, quia tentaverunt Christum. *Neque tentaverunt Christum*, inquit, *sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*. Quomodo Christum tentaverunt, qui nondum apparuerat? Quia intus per Spiritum, foris per Legem, & Prophetas prædicantem non audiebant; ac super manna, quod ipsis pluebat de Cœlo, nauseabant. Etenim si tentantes Christum puniebantur: imitantes Christum procul dubio præmiis afficiebantur. Et quoniam sancti homines, non in hujus vitæ oblectationibus hæc præmia circumscribebant, ut ex Scripturis apertè patet, relatumque Moysis confirmat exemplum: hinc

etiam agnoscimus eorum spem præsentia transcendentem, atque in futura exultantem. Nam sicut illi, qui a serpentibus perierunt murmuratores perfidi, & ingrati, per hanc corporalem, in æternam damnationem abibant: ita plus bonæ spei Sanctis inesse credendum est, qui neque corporalibus bonis solabantur in vita; qua de re in divino cultu perseverantes monstrabant, se futura tamquam certa & meliora expectare, iisque consolari, verè Christi capitis spiritum indui:

3. Christum autem, etiam antequam oriretur in carne, prædicasse, docuit beatissimus Apostolus Petrus (1. Petri. 3.), quum dixit: *Christum mortificatum carne, vivificatum autem spiritu. In quo*, (nimirum spiritu) *& his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit.* Hunc Petri locum revera obscurissimum, relatis aliorum interpretum opinionibus, eisque exprobratis, intelligendum docuit S. Augustinus de prædicatione facta a Spiritu Christi hominibus, qui in carcere, nimirum in corpore, tenebris ignorantiæ circumdati vivebant. Postea sequitur:

„ XVII. Nec moveat ad impediendum istum intellectum, quòd „ eumdem Christum dixit Apostolus Petrus prædicasse illis in carce- „ re conclusis, qui quondam non crediderant in diebus Noe, ut ideo „ non arbitremur hoc intelligendum, quia illo tempore nondum ve- „ nerat Christus. Nondum enim venerat, scilicet in carne, sicut „ venit quando *post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversa-* „ *tus est* (Baruch. 3.). VERUMTAMEN AB INITIO GENERIS HUMA- „ NI vel ad arguendos malos, sicut ad Cain, ac prius ad ipsum A- „ dam, uxoremque ejus; vel ad consolandos bonos, vel ad utrosque „ admonendos; ut alii ad salutem suam crederent, alii ad pœnam „ suam non crederent, *ipse utique non in carne, sed in spiritu veniebat* „ visis congruis adloquens quos volebat, sicut volebat. Quod autem „ dixi in spiritu veniebat; & ipse quidem Filius in substantia Deita- „ tis, quoniam corpus non est, utique spiritus est. Sed quid facit „ Filius sine Spiritu Sancto, vel sine Patre, quum inseparabilia sint „ omnia opera Trinitatis?

„ XVIII. Ipsa quoque Scripturæ verba, de quibus agitur, satis „ hoc, ut puto, indicant eis, qui diligenter adtendunt. *Quia Christus*, „ inquit, *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut* „ *nos adducat Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.* „ *In quo & iis, qui in carcere conclusi erant spiritibus adveniens prædicavit* „ *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabat Dei patientia in die-* „ *bus Noe, quum fabricaretur Arca.* Jam, ut arbitror, adtenditur or- „ do verborum. Christus mortificatus carne vivificatus autem Spiri- „ tu. In quo spiritu adveniens prædicavit & illis Spiritibus, qui in- „ creduli fuerant aliquando in diebus Noè. Quoniam priusquam ve- „ niret in carne pro nobis moriturus, quod semel fecit, SÆPE AN- „ TE VENIEBAT IN SPIRITU ad quos volebat, visis eos admonens „ sicut volebat, utique in spiritu, quo spiritu & vivificatus est, quum

in

„ in Passione esset carne mortificatus. Quid est enim quòd vivificatus est spiritu. nisi quòd eadem caro, qua sola fuerat mortificatus, vivificante spiritu resurrexit?

„ XIX. Nam quòd fuerit anima mortificatus Jesus, hoc est eo „ spiritu, qui hominis est, quis audeat dicere? Quum mors animæ „ non sit nisi peccatum, a quo ille omninò immunis fuit, quum pro „ nobis carne mortificaretur .....

„ XX. In ea re quippe vivificatus est, in qua fuerat mortificatus; „ ergo de carne dictum est. Ipsa enim revixit, anima redeunte, quia „ ipsa erat mortua, anima recedente. Mortificatus ergo carne dictus „ est, quia secundùm solam carnem mortuus est: vivificatus autem „ Spiritu, quia illo spiritu operante, in quo ad quos volebat, ve„ niebat, & prædicabat, etiam ipsa caro vivificata surrexit, in qua „ modò ad homines venit.

„ XXI. Proinde etiam illud, quod postea dictum est de incredu„ lis, qui reddant rationem ei, *qui paratus est vivos, & mortuos ju„ dicare*, non est consequens, ut eos hic intelligamus mortuos, qui „ de corpore exierunt. Fieri enim potest ut mortuos dixerit infide„ les, hoc est in anima mortuos, de qualibus dicitur (Matth. 8.) „ *Dimitte mortuos, ut sepeliant mortuos suos:* vivos autem, qui credunt „ in eum non frustra audientes, *Surge qui dormis, & exurge a mor„ tuis, & illuminabit te Christus* (Ephes. 5.), de qualibus etiam ipse „ Dominus dicit: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem „ Filii Dei, & qui audierint vivent*. (Joh. 5. 25.) Proinde etiam „ quod sequitur, & dicit Petrus (1. Pet. 4.) *Propter hoc enim, & „ mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundùm hominem in „ carne, vivant autem secundùm Deum, spiritu:* non cogit apud infe„ ros intelligi. Propter hoc enim in hac vita, & mortuis evangeli„ zatum est, idest infidelibus, & iniquis, ut quum crediderint, ju„ dicentur quidem secundùm hominem in carne, hoc est in diversis „ tribulationibus, & in ipsa morte carnis. Unde idem Apostolus alio „ in loco dicit, *tempus est ut judicium incipiat a Domo Domini*. Vi„ vant autem secundùm spiritum Deo, quia & in ipso fuerant mor„ tificati, quum morte infidelitatis, & impietatis detinerentur. „ (2. Tom. Epist. 164. ad Evod.)

4. Quamobrem ab eodem Christo instituti, si opere complebant quæ præcipiebantur, in Deum credentes illumque diligentes qui mirabilia magna in ipsis operabatur: profectò Christiani meritò ab Augustino appellati sunt; & multo certius scripsit Apostolus, Moysem improperium Christi fuisse imitatum, & punitos Israelitas, quia Christum tentaverunt. *Omnes enim eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt, (bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus)* (1. Cor. 10.). Sed quia non omnes spiritaliter cibum illum intellexerunt, neque esurierunt, neque gustaverunt: ideò nonnulli contra Deum & Moysem lo-

culi

cuti sunt. *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo:* (Num. 21.). Propterea illum cibum manducantes, & corpore, & spiritu mortui sunt, sicut scriptum est (Joh. 6.), *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt*. „ Quare manducaverunt, „ & mortui sunt? (interrogat S. Augustinus.) Quia quod videbant, „ credebant; quod non videbant non intelligebant. Ideo Patres ve„ stri, quia similes estis illorum. Nam quantùm pertinet, Fratres „ mei, ad mortem istam visibilem, & corporalem, numquid nos „ non morimur, qui manducamus Panem de Cœlo descendentem? „ Sic sunt mortui & illi, quemadmodum & nos sumus morituri, „ quantum attinet, ut dixi, ad mortem hujus corporis visibilem at„ que carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua „ terret Dominus, qua mortui sunt patres istorum: manducavit „ manna & Moyses, manducavit manna & Aaron, manducavit „ manna & Phinees, manducaverunt ibi multi, qui Domino pla„ cuerunt, & mortui non sunt. Quare? quia visibilem cibum spiri„ taliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, „ ut spiritaliter satiarentur...... Patres autem istorum, idest mali „ patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres „ murmuratorum. Nam de nulla re magis Dominum offendisse ille „ Populus dictus est, quàm contra Deum murmurando. Ideo & Do„ minus eos volens ostendere talium Filios, hinc ad eos cœpit: Quid „ murmuratis invicem murmuratores Filii murmuratorum? Patres „ vestri manna manducaverunt; & mortui sunt, non quia malum „ erat manna, sed quia malè manducaverunt (2. p. 3. Tom. Tract. „ 26. sup. Joh. n. 11.) „

5. Igitur qui spiritaliter manducabant, ut Moyses, Aaron, & reliqui justi, non solum effectum corporalis nutritionis consequebantur, qui communis etiam murmuratoribus erat; sed effectum gratiæ spiritualis, qua anima alitur, qui effectus peculiaris erat spiritualiter intelligentibus, & credentibus. Proinde qui intelligebant, manna de Cœlo descendens, figuram esse Corporis Christi, quo nos nutrimur; atque ad tantum futurum bonum charitate, & desiderio conjungebantur: *Panem Angelorum* spiritu manducabant juxta Prophetam (Ps. 77.) Quamvis enim non illo pleniore effectu frui possent, qui ex Sacramentali sumptione promanat: eum tamen poterant obtinere, quo etiam nunc ditantur spiritaliter communicantes, atque Baptismum desiderantes. Ita docet D. Thomas (p. 3. q. 80. art. 1. ad tertium). „ Effectus Sacramenti potest ab aliquo percipi, si Sacramentum ha„ beat in voto, quamvis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui „ baptizantur in Baptismo flaminis propter desiderium Baptismi an„ tequam baptizentur Baptismo aquæ; ita etiam aliqui manducant „ spiritualiter hoc Sacramentum, antequam sacramentaliter sumant. „ Sed hoc contingit dupliciter: uno modo propter desiderium sumen-

„ di

„ di ipsum Sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari, & manducare spiritualiter, & non sacramentaliter, illi qui desiderant sumere hæc Sacramenta jam instituta: alio modo propter figuram, „ sicut dicit Apostolus (1. Cor. 10.) quod antiqui Patres baptizati sunt in nube & in mari, & quod spiritalem escam manducaverunt, & spiritalem potum biberunt: nec tamen frustra adhibetur „ sacramentalis manducatio: quia plenius inducit Sacramenti effectum ipsa Sacramenti susceptio, quàm solum desiderium. „ Quum autem dicit, pleniorem consequi effectum qui sacramentaliter sumit: satis admonet, plenum consequi etiam hominem, qui spiritaliter suscipit Sacramentum, ita ut, quamvis non abundantior, perfectus tamen effectus sit.

6. Ex hac tum Apostoli tum D. Thomæ Doctrina infertur, antiquos Patres, qui in nube baptizati fuerunt, & in mari, illis figuris designata credentes: Baptisma in voto habuisse, & spiritaliter recepisse. Nam quoniam recipere sacramentaliter non poterant Baptisma nondum institutum, si nec spiritualiter poterant instituendum: nullo modo Apostolus rectè dixisset, *Baptizati sunt*. Sicuti, nisi spiritualem aliquem effectum ex mannæ esu, & ex aquæ potu sumpsissent: perperam diceretur, eamdem eos escam spiritalem manducasse, & eumdem spiritalem potum bibisse; quoniam, quantum ad exteriores sensus attinet, non spiritalem sed corporalem rem manducabant atque bibebant.

7. S. Augustinus hoc Apostoli loco utitur ad antiquorum Patrum spiritualem utilitatem indicandam, tum citato Tractatu 26. in Joh:, tum 8. Tom. lib. 12. contra Faustum Manichæum, (cap. 29.) ubi hæc habet. „ Jam de exitu Israel, inquit, non ego, sed Apostolus „ loquatur: *Nolo autem vos ignorare, Fratres, quia Patres nostri omnes „ sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in „ Moyse Baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eumdem „ escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali sequente eos petra, petra autem erat Christus*. Exponendo unum in cetera introduxit „ intellectum. Si enim petra Christus propter firmitatem, cur & „ non manna Christus, tamquam panis vivus, qui de Cœlo descendit? Quo verè qui vescuntur, spiritaliter vivunt. Nam illi veterem „ figuram carnaliter accipientes, mortui sunt. Sed quum dicit Apostolus EUMDEM CIBUM SPIRITALEM MANDUCAVERUNT, ostendit, & „ illud spiritaliter intelligi in Christo; sicut & potum cur spiritalem „ dixisset, aperuit, quum subjunxit, *Petra autem erat Christus*. Quo „ aperto cuncta fulserunt. Cur ergo non, & nubes Christus, & columna, quia rectus & firmus, & fulciens infirmitatem nostram, „ per noctem lucens, per diem non lucens, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant? Nubes & mare Rubrum, Baptismus utique Christi Sanguine consecratus: hostes sequentes a tergo „ mo-

„ moriuntur, peccata præterita. Ducitur populus per desertum : baptizati omnes, nondum perfruentes promissa patria, sed quod non „ vident sperando, & per patientiam expectando, tamquam in deserto sunt. „

8. Quoniam verò post Baptisma institutum, si aliter fieri non potest, illud exoptantes in Christo, salvi fiunt : cur non salvi fierent, & illi, qui per congruas rerum futurarum figuras credebant istud Sacramentum a Christo instituendum, eoque humanum genus a peccatis liberandum ? Nam si Fides de rebus futuris nihil merebatur: nihil ipsis pariter proderat, credere Christum venturum, hac nostra carne vestiendum, crucifigendum, resurrecturum. Quum autem Fides de futuris etiam nobis prosit ad salutem : cur non & illis ? „ NAM „ SI PROPTEREA ILLIS NON PROFUIT INCARNATIO CHRISTI, QUIA „ NONDUM FACTA ERAT; NEC NOBIS PRODEST JUDICIUM CHRISTI „ DE VIVIS, ET MORTUIS, QUIA NONDUM FACTUM EST. „ (10. Tom. de Grat. Christi, & de peccat. Orig. contra Pelag., & Cælest. l. 2. num. 31.). Sed prolixiùs Augustinum audire de hac re non pigeat.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Antiqui Fideles per eumdem Mediatorem Dei, & hominum Hominem Christum Jesum, a peccato Originali, & ab actualibus omninò mundabantur, & propterea salvabantur; ubi de Legis Scriptæ effectibus multa disseruntur; atque explicatur quomodo ad salutem littera non sufficeret, sed Gratia.

1. SAnctus Augustinus, nonnullis propositis quæstionibus, in quibus, salva Fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quod verum sit, & sententia definitiva non pronuntiatur ; aut aliter quàm res est, humana, & infirma suspicione conjicitur : demonstrat eam quæ sequitur non esse ejusmodi. (10. Tom. de Gratia Chris., & de peccat. Orig. contra Pelag., & Cælest. l. 2. c. 24. n. 28.) „ Sed „ in causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus „ sub peccato, per alterum redimimur a peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam, quorum „ ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non ejus, a quo „ factus est; iste nos in se salvos facit, non faciendo voluntatem „ suam, sed ejus, a quo missus est. In horum ergo duorum hominum causa propriè Fides Christiana consistit. *Unus enim est Deus,* „ *& unus Mediator Dei, & hominum Homo Christus Jesus.* (1. Tim. 2.) „ *Quoniam non est aliud nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, & in illo definivit Deus Fidem omnibus, suscitans* „ *illum a mortuis* . . . . . (Actor. 4.) Itaque sine ista Fide, hoc „ est sine Fide unius Mediatoris Dei, & hominum Hominis Christi „ Je-

„ Jesu, sine Fide, inquam, resurrectionis ejus, quam Deus omnibus „ definivit, quæ utique sine incarnatione ejus, ac morte non potest „ veraciter credi: sine Fide ergo incarnationis, & mortis & resur„ rectionis Christi, NEC ANTIQUOS JUSTOS, UT JUSTI ESSENT A „ PECCATIS POTUISSE MUNDARI, ET DEI GRATIA JUSTIFICARI, „ VERITAS CHRISTIANA NON DUBITAT: sive in eis justis, quos „ sancta scriptura commemorat, sive in eis justis, quos quidem illa „ non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ANTE DI„ LUVIUM, vel inde usque AD LEGEM DATAM, vel IPSIUS LEGIS „ TEMPORE, non solùm in Filiis Israel, sicut fuerunt Prophetæ, sed „ etiam extra eumdem populum sicut fuit JOB. ET IPSORUM ENIM „ CORDA EADEM MUNDABANTUR MEDIATORIS FIDE, ET DIFFUNDEBA„ TUR IN EIS CHARITAS PER SPIRITUM SANCTUM, qui ubi vult „ spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non „ enim Dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni mo„ do.

„ XXIX. Quamvis ergo mors regnaverit ab Adam usque ad Moy„ sen (Joh. 3.) quia non eam potuit vincere nec Lex data per Moy„ sen (Rom. 5.) non enim data est quæ posset vivificare, sed quæ „ mortuos, quibus vivificandis esset gratia necessaria, non solùm pec„ cati propagatione, *&* dominatione prostratos, verùm etiam ipsius „ Legis addita prævaricatione convictos deberet ostendere, non ut „ periret quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, „ sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, etiam sibi ipsi „ per prævaricationem Legis manifestatus, Dei quæreret adjutorium, „ ut ubi abundavit peccatum superabundaret gratia (Rom. 5.), „ quæ sola liberat a corpore mortis hujus. Quamvis ergo nec Lex „ per Moysen data potuerit a quoquam homine regnum mortis au„ ferre, erant tamen, & Legis tempore HOMINES DEI, NON SUB „ LEGE TERRENTE, CONVINCENTE, PUNIENTE, SED SUB GRATIA „ DELECTANTE, SANANTE, LIBERANTE. Erant qui dicerent, *Ego* „ *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero* „ *aluit* (Ps. 50.) Et, *Non est pax in ossibus meis a facie peccatorum* „ *meorum* (Ps. 37.) Et, *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum* „ *rectum innova in visceribus meis*, Et *Spiritu principali confirma me*, „ Et, *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me* (Ps. 50.). Erant qui „ dicerent, *Credidi propter quod locutus sum* (Ps. 115.). EADEM QUIP„ PE ET IPSI MUNDABANTUR FIDE, QUA ET NOS. Unde, & Aposto„ lus dicit: *Habentes autem eumdem Spiritum Fidei, secundùm quod scri*„ *ptum est Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter* „ *quod & loquimur*. (2. Cor. 4.) Ex ipsa Fide dicebant: *Ecce Virgo* „ *in utero concipiet, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emma*„ *nuel, quod est interpretatum nobiscum Deus*. (Isai. 7.) Ex ipsa Fide „ de ipso dicebatur; *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, „ *exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo Cœli egressio ejus, &*

„ *occursus ejus usque ad summum Cœli, & non est qui se abscondat a ca-* „ *lore ejus*. (Ps. 18.) Ex Fide ipsa ipsi dicebatur, *Thronus tuus Deus* „ *in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui*. (Ps. 44.) *Dile-* „ *xisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus* „ *oleo exultationis præ participibus tuis*. EODEM SPIRITU FIDEI AB IL- „ LIS HÆC FUTURA VIDEBANTUR, QUÆ A NOBIS FACTA CREDUNTUR. „ Neque enim, qui nobis ista fideli dilectione prophetare potuerunt, „ eorum ipsi participes non fuerunt. Et unde est quod dicit Apo- „ stolus Petrus: *Quid tentatis Deum, imponere jugum supra collum Di-* „ *scipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos potuimus portare*; SED „ PER GRATIAM DOMINI JESU CREDIMUS SALVI FIERI, QUEMADMO- „ DUM ET ILLI (Act. 15.), nisi quia & illi per gratiam Domini „ Jesu Christi salvi facti sunt, non per Legem Moysis, per quam „ non sanatio, sed cognitio est facta peccati: *Nunc autem sine Lege* „ *justitia Dei manifestata est, testificata per Legem & Prophetas* (Rom. „ 3.) SI ERGO NUNC MANIFESTATA EST, ETIAM TUNC ERAT, SED „ OCCULTA. Cujus occultationem significabat templi velum, quod est „ ad ejus significandam revelationem, Christo moriente, conscissum. „ Et tunc ergo ISTA GRATIA unius mediatoris Dei & hominum, „ Hominis Christi Jesu, ERAT IN POPULO DEI, sed tamquam in vel- „ lere pluvia (Judic. 6.), quam non debitam sed voluntariam segre- „ gat Deus hæreditati suæ, inerat latens; nunc autem, velut sicca- „ to illo vellere, hoc est Judaico populo reprobato, in omnibus gen- „ tibus tamquam in area cernitur patens.

„ XXX. Non igitur, sicut Pelagius, & ejus Discipuli tempora di- „ vidamus, dicentes, primùm vixisse justos homines ex natura, dein- „ de sub Lege, tertiò sub gratia. Ex natura scilicet ab Adam tam „ longa ætate, qua Lex nondum erat data. Tunc enim, ajunt, du- „ ce ratione cognoscebatur Creator, & quemadmodum esset viven- „ dum, scriptum gerebatur in cordibus, non Lege litteræ, sed natu- „ ræ. Verùm, vitiatis moribus, inquiunt, ubi cœpit non sufficere „ natura jam decolor, Lex ei addita est, qua velut luna fulgori pri- „ stino, detrita rubigine redderetur. Sed posteaquam nimia, sicut „ disputant, peccandi consuetudo prævaluit, cui sanandæ Lex parum „ valeret, Christus advenit, & tamquam morbo desperatissimo, non „ per Discipulos, sed per seipsum medicus ipse subvenit.

„ XXXI. Hæc disputante A GRATIA MEDIATORIS JUSTOS EXCLUDE- „ RE CONANTUR ANTIQUOS, TAMQUAM DEI, ET ILLORUM HOMINUM „ NON FUERIT MEDIATOR HOMO CHRISTUS JESUS, QUIA NONDUM EX „ UTERO VIRGINIS CARNE SUSCEPTA, HOMO NONDUM FUIT, QUANDO „ ILLI JUSTI FUERUNT. Quod si ita esset, nequaquam Apostolus di- „ ceret (1. Cor. 15.) *Per hominem mors, & per hominem resurrectio* „ *mortuorum, Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo* „ *omnes vivificabuntur*; quandoquidem illi antiqui justi secundùm isto- „ rum vaniloquia sibi sufficiente natura, nec mediatore homine Chri-

„ sto

„ ſto indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo; nec in eo vivifi„ cabuntur, ad cujus corpus & membra ſecundùm id, quod propter „ homines homo factus eſt, non pertinere monſtrantur. Si autem, „ quemadmodum per Apoſtolos ſuos veritas loquitur: Sicut in Adam „ omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur, quia per „ illum hominem mors, & per iſtum hominem reſurrectio mortuo„ rum; quis audeat dubitare Chriſtianus, ETIAM ILLOS JUSTOS, QUI „ RECENTIORIBUS GENERIS HUMANI TEMPORIBUS DEO PLACUERUNT, „ ideo in reſurrectione vitæ æternæ non mortis æternæ eſſe ventu„ ros, quia in Chriſto vivificabuntur. Ideo autem vivificari in Chri„ ſto, quoniam ad corpus pertinent Chriſti, & ideo pertinere ad Cor„ pus Chriſti, quia & ipſis caput eſt Chriſtus? Ideo & ipſis caput „ eſſe Chriſtum, quia unus mediator eſt Dei, & hominum homo „ Chriſtus Jeſus; quod eis non fuiſſet, niſi in ejus reſurrectionem „ per ejus gratiam crediediſſent. Et hoc quomodo fieret, ſi eum in „ carne venturum neſciſſent, neque EX HAC FIDE JUSTE PIEQUE VI„ XISSENT? NAM SI PROPTEREA ILLIS NON PROFUIT INCARNATIO „ CHRISTI, QUIA NONDUM FACTA ERAT, NEC NOBIS PRODEST JUDI„ CIUM CHRISTI DE VIVIS, ET MORTUIS, QUIA NONDUM FACTUM „ EST. Si autem nos per hujus nodum facti ſed futuri iudicii Fi„ dem, ſtabimus ad dexteram Chriſti; PROFECTO ILLI PER INCAR„ NATIONIS EJUS TUNC NONDUM FACTÆ SED FUCTURÆ FIDEM, „ MEMBRA SUNT CHRISTI. Neque enim putandum eſt, quòd ANTI„ QUIS JUSTIS SOLA, QUÆ SEMPER ERAT DIVINITAS CHRISTI, NON „ ETIAM QUÆ NONDUM ERAT EJUS HUMANITAS REVELATA PROFUE„ RIT. „

2. Porrò hæc tanta, & tam præclara ſunt, ut explicatione non indigeant; indeque docilis Lector luce clariùs intelliget, quibus rationibus adductus ſapientiſſimus magiſter meus, non caſu aliquo, & temerè ad Evodium tanto ante jam ſcripſerit: „ UNDE ILLIS JUSTIS, „ QUI IN SINU ABRAHÆ ERANT, QUUM ILLE IN INFERNA DESCEN„ DERET, NONDUM QUID CONTULISSET INVENI, A QUIBUS EUM SE„ CUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS NUMQUAM „ VIDEO RECESSISSE. „

3. Quo enim alio pacto interpretari licebit, quod S. Doctor auctoritate Apoſtolica fultus toties repetivit, SALVOS NEMPE ILLOS FACTOS FUISSE QUEMADMODUM, ET NOS? Vel enim hanc conſiderare libeat ſalutem, dum adhuc in carne viverent, vel poſt corpoream depoſitam ſarcinam: videbimus omnia nobiſcum congruere. Idcò enim adhuc in carne manentes ſalvi facti eſſe dicuntur: quia certiſſimam de futura ſalute Fidem tenentes, tamquam factam habebant. Idipſum de Baptizatis docet Auguſtinus (10. Tom. contra duas Epiſt. Pelag. ad Bonifacium l. 3. c. 3. n. 5.), „ Nam ſi a me, inquit, „ quiſquam quæſierit utrum per Baptiſmum ſalvi facti fuerimus, ne„ gare non potero, dicente Apoſtolo, *Salvos nos fecit per lavacrum*

„ *regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*. Sed si quæsierit, utrum „ per idem lavacrum omni prorsus modo jam nos fecerit salvos, re- „ spondebo, non ita est. Idem quippe item dicit Apostolus. *Spe* „ *enim salvi facti sumus, Spes autem, quæ videtur non est Spes: quod* „ *enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus,* „ *per patientiam expectamus* (Rom. 8. 24.) Salus ergo hominis in „ baptismate facta est, quia dimissum est quod peccati a parentibus „ traxit, vel quidquid etiam propriè ante Baptismum ipse peccavit. „ Salus verò ejus tanta post erit, ut peccare omninò non possit. „ Hæc revera secunda salus hominem manet post corporis mortem. Liberatus enim a corpore, quod aggravat animam: eam incipit in immortali anima vitam, quæ meritis transactæ in Mundo vitæ respondet. Bona idcirco vel mala mors hominis ex eo comparet, quod post hanc vitam consequitur; Non enim probat malam mortem nisi tempus post mortem, dicit S. Augustinus citato Sermone (24. de Verbis Domini).

4. Hanc malam mortem, quæ etiam secunda mors ab Apostolo Johanne (Apoc. cap. 20. ℣. 6.) nuncupatur, sicuti ii evitant, qui aqua Baptismatis loti sunt: ita illi quoque evitabant qui circumcisione præcepta, signaculum largitæ Fidei in ea recipiebant; nec solùm a morte secunda liberabantur, sed vitam æternam cum temporali morte commutabant. Sententiam istam ex D. Johanne Chrysostomo Constantinopolitano Sanctissimo Episcopo refert D. Augustinus contra Julianum Pelagianum (10. Tom. lib. 2. c. 6. n. 18.); qui ut errores suos apud ignaros protegeret, Ecclesiæ veteres Patres sibi favere dictitabat, sicuti nuper fecit Burnetus Britannus. Juliani igitur audacissimis irritisque conatibus ejusdem Sancti Episcopi doctrinam opponit Augustinus. „ Meritò, inquit, idem Beatus Johannes etiam „ ipse, sicut & Martyr Cyprianus, circumcisionem carnis in signo „ præceptam commendat esse Baptismatis. Et vide quomodo Judæus, „ inquit, circumcisionem non differt propter comminationem, quia „ Omnis Anima quæcumque non fuerit circumcisa die octavo exterminabitur de populo suo. Tu autem, inquit non manufactam cir- „ cumcisionem differs, quæ in expoliatione carnis in corpore perfici- „ tur ipsum Dominum audiens dicentem: *Amen amen dico vobis, nisi* „ *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum* „ *Cœlorum*. Cernis (prosequitur Augustinus) quemadmodum circum- „ cisionem circumcisioni, comminationem comminationi vir ecclesia- „ stica Doctrina præditus comparavit. Quod ergo est octavo die non „ circumcidi, hoc est in Christo non Baptizari. Et quod est perire „ de populo suo, hoc est non intrare in Regnum Cœlorum. „ Eumdem Fidei in circumcisione effectum & præmium adstruit Sanctissimus atque doctissimus, & Augustinianæ Doctrinæ fidissimus interpres, & assecla (quamvis parcissimè Augustinum nominet) Leo Papa I., in Epistola ad Demetriadem hactenus Prospero adscriptum. „ Propter „ quod, inquit, sicut nunc in Ecclesia manet institutio Salvatoris „ di-

„ dicentis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum.* ita sanctissimè erat in Lege præcautum, „ ut natus puer, nisi die circumcideretur octavo, exterminaretur anima ejus de populo suo, nullum in hæreditate Israel habitura consortium. „ (circa medium)

5. Explicationem comminationis hujus, quam mox a Sancto Pontifice Leone suscepimus, confirmat Deuteronomij auctoritas juxta versionem Septuaginta (c. 18.), ubi Moyses Christum venturum Prophetans, dixit: *Prophetam vobis excitabit Deus de Fratribus vestris: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum exterminabitur de populo suo.* Sicuti enim quicumque Christum non audiunt jam manifestatum, vitam non habebunt, & a Sanctorum Societate in æternum separabuntur; qui autem audiunt, vivent, ea scilicet vita, quam pro purgatis in corpore animabus incipere credimus statim a morte corporis: eamdem profectò significationem continebat comminata exterminatio a populo Dei adversus eos, qui statuto tempore circumcidendi non sisterentur, quia Testamentum Domini irritum fecerant. E converso eamdem coronam Fideliter expectare debebant, qui mandatis obtemperantes circumcisioni subjiciebantur, atque ex eodem Testamento Filii, & hæredes constituebantur.

6. Itaque si quispiam ex recentioribus contendet toties repetitam in laudato loco ab Augustino PAREM NOBIS SALUTEM, in sola spe stetisse pro animabus Sanctorum antiqui Testamenti usque ad Christi adventum in inferos: videat prius num tanti recte se putet, ut maximæ inscitiæ in Ecclesiastica traditione condemnare audeat SS. Cyprianum, Chrysostomum & Augustinum; immo contra eos, plures quam Pelagiani partes assumere. Nam si laudatissimi Patres aliquid in hoc contra Ecclesiæ traditionem pronunciassent, quum REGNUM COELORUM CIRCUMCISIS DIE OCTAVO PROMITTEBANT, quod promittitur baptizatis: numquid conticuissent Pelagiani? Immo quomodo Catholici Episcopi eam novitatem doctrinæ Augustino non exprobrassent in iisdem Conciliis, in quibus, eo etiam judice, Pelagiani damnati fuerunt? Credat qui potest. Diligentiores tamen intelligent, Sanctos Ecclesiæ Patres cum Pelagianis disputantes de hac præcipue doctrina debuisse esse solicitos, per quam hæreticis ansa abripiebatur, diversos, & revera novos, errores suos confirmandi. Notissimum est, Pelagianos vitam æternam a Regno Cœlorum impia novitate discrevisse, illam pueris non Baptizatis, illud Baptizatis tribuentes. S. Augustinus medium hunc locum auctoritate & ratione subtrahit alibi multoties, sed brevissime atque ornatissime S. Tom. in sermone 294. (alias 14. de Verbis Apostoli). Quomodo vero tertium hunc locum secure eripere potuisset Pelagianis, si cum recentioribus eam salutem concessisset animabus Sanctorum Patrum antiqui Testamenti usque ad Christum ut nihil interea experirentur supplicii, quamvis Dei conspectu earum caritas fraudaretur?

7. In-

7. Insuper nec vicisset Pelagianos, dum n. 6. ejusdem sermonis „ auctoritate pro tunc posthabita, & rectæ rationis momentis insistens „ ostendebat, parvulos eo etiam loci, ubi ipsos hæretici collocabant „ vitam æternam habere non posse, quippe qui veris pœnis fuissent affecti, vel cœlestem Patriam desiderarent, vel non. „ Quam si quis „ non desiderat inquit, pœna est de perversitate, SI AUTEM DESIDE- „ RAT, PEONA EST DE FRAUDATA CHARITATE: Sed si, quod vis „ (ad Pelagianum ajebat) parva sit pœna, ET IPSA PARVA MAGNA „ EST, SI NULLA CULPA EST. HIC DEFENDE JUSTITIAM DEI. QUA- „ RE VEL PARVA POENA INFLIGITUR INNOCENTI, IN QUO NULLUM „ INVENITUR PECCATUM? „ Hanc enim pœnam, immo & justitiam Dei eo modo defendissent Pelagiani, quo ii defenderent, qui similem statum tribuunt Sanctis Patriarchis, in quibus peccatum invenire non valent, nisi contra Christi Oraculum eos justos fuisse inficientur; quos insuper Patriam desiderasse negare non possunt.

8. Itaque quia Pelagianorum doctrinæ novitas præsumebat parvulos ab originali peccato immunes, & una simul Dei visione carentes absque propria pœna: tum in hoc, tum in statu, quem hæretici imaginabantur erant vincendi; nimirum ostendendo, quod quæcumque anima Dei orbata conspectu, in veris eruciatibus sit, cum quibus æterna vita innocentibus promissa copulari non potest. Apposite igitur Augustinus cum Cypriano atque Chrysostomo, regni Cœlorum beatitatem circumcisis octavo die tribuens, quam Ecclesiastica fides promittit baptizatis, Pelagianorum errorem undequaque vincebat, tertii illius loci effugio remoto. Consequens enim erat ut a Patre & a Patria prohiberentur non circumcisi octavo die, sicuti non baptizati excluduntur; quod nonnisi cum maxima illarum animarum pœnà evenire poterat ex jam dictis.

9. Rursus quis credat, quod si regnum Cœlorum a Chrysostomo circumcisis promissum, intelligi soleret a Catholicis eo sensu, ut solam significaret salutis Spem usque ad Christum in carne manifestatum; quis inquam credat, quòd Sanctus Pater promissionem illam comparare voluerit effectui Regni Cœlorum statim post mortem Baptizatis parvulis debiti? Ulteriùs, quis putet quòd Augustinus Chrysostomi nomine hoc ipsum Pelagianis objiceret? Qui porrò Pelagiani vel disparilitatem assignavissent, de quo non constat; vel illud ex datis confecissent absurdum, quòd neque Baptizati consequantur promptam salutem, sicuti eam non consequebantur circumcisi: atque ita Sanctorum Patrum dicta traherentur ad consortium opinionis illius generis Millenariorum, qui visionem Dei, ante Christi postremum adventum animabus justis denegabant.

10. Post hæc maturè perpensa, consentiamus oportet Sanctos Augustinum, Chrysostomum, & Cyprianum, eo propè modo Regnum promisisse Cœlorum circumcisis die octavo, quo modo ipsum Baptizatis spondet Ecclesia, ut ejusdem salutis integra perseveret vis, sicuti

ejusdem

ejusdem Fidei meritum erat par. Et quia Baptizatos parvulos, qui ante rationis usum occumbunt, nec propriæ voluntatis delictis stolam justitiæ commaculant, Regnum Cœlorum ingredi statim a morte corporis, certissima, & antiquissima Fide fatemur nec reluctantibus Pelagianis: idem circumcisis hactenus contigisse cum laudatis Patribus tenere præstat. Eadem enim & una salus illis erat, & nobis est; idemque mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus. Quæ salus si aliter interpretetur, una & eadem salus esse non potest.

11. Itaque dum agnoscimus perfectam salutem a misericordiæ Domino parvulis antiquæ Legis largitam, quin in limbo absque Dei fruitione tamdiù detinerentur: quomodo assignabimus Limbi stationem animabus Sanctorum Patriarcharum quibus toties in Scripturis PACEM, REFRIGERIUM, VITAM AETERNAM, SALUTEM ET GLORIAM legimus fuisse promissa? Audiamus S. Augustinum iterum. „ Itaque „ AB EXORDIO, inquit, GENERIS HUMANI QUICUMQUE IN EUM CREDIDERUNT, eumque utcumque intellexerunt, & secundùm ejus „ præcepta pie & justè vixerunt, quadolibet & ubi libet fuerint, „ PER EUM PROCUL DUBIO SALVI FACTI SUNT. Sicut enim in eum „ credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui & apud Patrem manentem, & „ in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum „ annunciatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, IDEO FIDES IPSA „ VARIATA, VEL SALUS IPSA DIVERSA EST. Nec quia una eademque „ res, aliis atque aliis sacris, & Sacramentis vel prædicatur aut prophetatur, IDEO ALIAS ATQUE ALIAS RES, VEL ALIAS ATQUE ALIAS „ SALUTES OPORTET INTELLIGI. Quid autem quando fiat, quod ad „ unam eamdemque Fidelium & piorum liberationem pertineat; „ consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proinde „ aliis tunc nominibus & signis, aliis autem nunc, & priùs occultiùs, postea manifestiùs, & prius a paucioribus, postea a pluribus, „ una tamen eademque religio vera significatur, & observatur. (2. „ Tom. Epist. 102. quæst. 2. num. 12., aliàs Epist. 49. ad Deogratias.)

12. Ex hac etiam S. Augustini Doctrina dictum est supra Dominum illis hominibus salutem æternam esse largitum, qui a principio temporis secundùm ejus præcepta piè sanctèque vivebant. Et quoniam de parvulorum circumcisorum vera salute in mercede visionis Dei consistente, ex allatis rationibus, auctoritatibusque prudenter ampliùs non licet ambigere: hinc etiam percipimus quid a tanto Doctore promitteretur Sanctis Patriarchis, Prophetis ceterisque justis adultis, quando unam eademque rem, unam eamdemque salutem ipsis quoque pollicebatur. Inanis enim esset mandatorum observantia, qua piè sanctèque vivitur, nisi Fidei, & Spei, & Caritati in unum verumque Deum copularetur: unde colligamus, antiquos justos in omnibus nobiscum congruere. Aliud quippe est bene, & laudabiliter vivere,

vere, quod in etnicorum etiam virtutibus cum delectatione suspicimus: aliud piè vivere & sanctè: Illud enim quia nonnisi ex fine venit rectæ veræque pietatis, ad eumque dirigitur: esse non potest absque Fide vera in Deum verum, ad quem sancta caritate homines tendunt. Propterea S. Augustinus de gratia Christi contra Pelag. disputans, eam ita definivit, ut æquè antiquis Fidelibus, ac recentioribus conveniret. „ Inspiratio dilectionis, inquit, ut cognita sancto amore „ faciamus, propriè gratia est. „ (10. Tom. l. 4. cont. duas epist. Pel. c. 5. n. 11.) Ideoque Dominus in Evangelio, ut fundamentum & præmium sanctæ hujus dilectionis ostenderet, dixit: *Qui habet mandata mea & servat ea, hic est qui diligit me*. Et rursus. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & manifestabo ei meipsum* (Joh. 14.). Quicumque igitur etiam sub umbris antiquæ Legis, Domini mandata verè servabat, verè item Deum amabat, ab eoque vicissim diligebatur, qui immo prior dilexerat, sanctam infundendo caritatem; atque ita per pietatis officia promerebatur, ut Deus seipsum ei patefaceret; quod futurum donum sub nomine, & sponsione æternæ vitæ continebatur, & a Fidelibus intelligebatur. Idcircò Dominus in Evangelio, interroganti se, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, respondit, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. (Matth. 19.).

13. Promissionem igitur æternæ vitæ parem in antiquis habuisse effectum ac in nobis, illud præ ceteris demonstrat, quòd eadem præcepta, olim a Moyse Filiis Israel in tabulis lapideis data, una Sabbathi excepta observatione carnali, eadem inquam, nobis etiam custodienda proponuntur in Evangelio, sub pari vitæ æternæ præmio. Quæ porrò præcepta, ideo a Domino ad Filios Israel loquente, *Mandata vitæ* appellabantur, quia firmissimam continebant rationem tum temporalis hujus piè ducendæ, tum æternæ comparandæ. Revera constat eorumdem mandatorum observantiam tunc etiam caritate fuisse perfectam, quia præceptum diligendi Deum, ante omnia propositum erat & prædicatum; unde in Psalmis Davidicis hanc toties legimus dilectionem inculcatam, nisusque invenimus amantis animæ adeò frequentes & insignes.

14. Hunc præceptorum consensum, in iisque exequendis antiquorum Fidelium pietatem atque fortitudinem detegit S. Augustinus, Manichæis insipientibus ostensurus vetera novis omninò congruere, quod ipsi, vetus Testamentum audacter spernentes, inficiabantur.

„ XIII. Videamus, inquit, quemadmodum ipse Dominus in E-
„ vangelio nobis præceperit esse vivendum: quomodo etiam Pau-
„ lus . . . . . Audiamus ergo quem finem bonorum nobis Christe
„ præscribas; nec dubium est quin is erit finis, quò nos summo
„ amore tendere jubes. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum*. (Matt.
„ 22. 37.) Dic mihi etiam quæso te, qui sit diligendi modus: vereor

„ reor enim ne plus minusve quàm oportet inflammer desiderio, & „ amore Domini mei. *Ex toto*, inquit, *corde tuo*. Non est satis. *Ex* „ *tota anima tua*. Ne id quidem satis est. *Ex tota mente tua*. Quid „ vis amplius? Vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius. „ Quid ad hæc Paulus? *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum* „ *omnia procedunt in bonum*. (Rom. 8. 28.) Dicat etiam ipse dile- „ ctionis modum. *Quis ergo*, inquit, *nos separabit a caritate Christi?* „ *Tribulatio*, *an angustia*, *an persecutio*, *an fames*, *an nuditas*, *an peri-* „ *culum*, *an gladius*? Audivimus quid diligere, & quantum diligere „ debeamus: eò est omninò tendendum, ad id omnia consilia nostra „ referenda. Bonorum summa, Deus nobis est. Deus est nobis „ summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra „ quærendum; alterum enim periculosum, alterum nullum est.

„ XIV. Age nunc investigemus, vel potius adtendamus, præsto e- „ nim est & facillimè videtur, utrum his sententiis ex Evangelio at- „ que Apostolo prolatis, etiam Testamenti veteris auctoritas congruat. „ Quid dicam de superiore sententia, quum manifestum sit omnibus, „ eam de Lege, quæ per Moysen data est, esse depromptam? ibi e- „ nim scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, „ *& ex tota anima tua*, *& ex tota mente tua* (Deut. 6. 5.). Quid „ autem illi, quod ab Apostolo dictum est comparare de veteri Te- „ stamento possim, ne diutiùs quærerem ipse subjecit. Quum enim „ dixisset nullà tribulatione, nullà angustià, nullà persecutione, nul- „ là necessitate inopiæ corporalis, nullo periculo, nullo gladio nos a „ caritate Christi separari; statim subjunxit: *Sicut scriptum est Quia* „ *propter te afficimur tota die*, *æstimati sumus ut oves occisionis* ...... „ (Ps. 43. 22.)

„ XV. ...... Quid enim potest amiciùs quàm istæ sibi consona- „ re sententiæ? Nam tribulatio, angustia, persecutio, fames, nudi- „ tas, periculum, hominem in hac vita constitutum graviter affici- „ ciunt. Hæc itaque omnia verba, illo uno concluduntur testimonio „ veteris Legis, quo dictum est *Propter te afficimur*. Gladius resta- „ bat, qui non ærumnosam vitam affert, sed quam invenerit adi- „ mit. Huic ergo respondet *Æstimati sumus ut oves occisionis*. Caritas „ vero ipsa non potuit significari expressiùs quàm quo dictum est „ *Propter te*. (1. Tom. de Mor. Eccl. cath. l. 1. c. 8.) „

15. Propter hanc ergo præceptorum caritatisque harmoniam, Paulus Apostolus ad Hebræos scribens (cap. 11.) constantissimè asseruit, justos antiquos, quos ab Abel usque ad Moysen commemoraverat, fidei merito per dilectionem operantis, invenisse salutem. Et ne eos solos in via Dei ambulasse, & Domino placuisse quispiam suspicaretur, ita sequitur. *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon*, *Barac*, *Sampson*, *Hiephthe*, *David*, *Samuel & Prophetis*, *qui per fidem vicerunt regna*, OPERATI SUNT JUSTITIAM, *adepti sunt repromissiones*, *obturaverunt ora leonum; Extinxerunt impetum ignis*,

effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, UT MELIOREM INVENIRENT RESURRECTIONEM. *Alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti:* QUIBUS DIGNUS NON ERAT MUNDUS: *in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cavernis terræ*. Cœlestem istam fortitudinem ea nutriebant ipsis notissima, quæ in Sapientiæ (cap. 3.) legimus: JUSTORUM ANIMÆ IN MANU DEI SUNT, ET NON TANGET ILLOS TORMENTUM MORTIS. *Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum: & quod a nobis est iter, exterminium:* ILLI AUTEM SUNT IN PACE: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt*, SPES ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST. *In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentavit illos*, ET INVENIT *illos dignos se*.

16. Iisdem sanè verbis Christianorum Martyrum Fidem, Spem, & Caritatem exaltat Sancta Mater Ecclesia tanta hac auctoritate confirmans, illorum in Cœlis felicitatem, statim post agonem fortiter consummatum. Quæ verba si idcircò applicari antiquis non posse dixerimus, quia scripta sunt propter nos, contingebant autem illis in figuris: numquid in figuris mortem illis contigisse dicemus? numquid censebimus, carceres, peregrinationes, & cetera, quæ narrat Apostolus, ita, propter nos scripta, ut illis verè non contigissent? Absit. At si verè ea omnia experti sunt ab Apostolo excerpta ex antiquorum librorum auctoritate, & veritate, ut callenti intelligere est: cur non etiam de illis verum erit Christi oraculum: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* quum Propheta dixerit: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis?* Quumque Azarias in fornace ignis ardentis, ut perpendimus supra, mortem suam, & Sociorum, ita Domino acceptam fieri obsecraret, ut fidenter diceret: *Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te?* (Daniel. 3.) Cur præmium sinceræ ardentique caritati promissum retardatum putabimus, de quo scriptum est: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo?* Adeo autem manet, ut Apostolus dixerit: *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (Rom. 8.). *Jesus autem Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*. (Hebr. 13.).

CA-

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Antiqui justi in Paradisum post cursum feliciter consummatum evocabantur; item in Regnum Cœlorum, ex D. Augustino.

1. PAradisum, ad quem Sanctorum animas, post Christi ascensionem ad Patrem evehi credimus, sinum Abrahæ etiam nunc sapienter vocari, Ecclesia catholica docet, de S. Martino ajens *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur*. Id confirmare possem infinitis penè Testimoniis Sanctorum Patrum præter ea, quæ Cl. Vir Ludovicus Muratorius in sæpe memorato libro contra Burnetum adduxit. Sed interim satis erit, Sanctorum Thomæ & Augustini in hanc rem auctoritates referre. Hic nempe de Nebridio loquens ait; „ Et nunc „ ille vivit IN SINU ABRAHÆ, quidquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam quis alius „ tali animæ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat homunctionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum: & bibit quantum potest sapientiam pro „ aviditate sua sine fine felix (1. Tom. Confess. l. 9. c. 3.) Divus verò Thomas dixit: „ & nunc dicitur SINUS ABRAHÆ ILLA REQUIES BEATORUM „ (Par. 3. q. 52. ar. 2.). Uterque revera in hoc consentit quoad tempus attinet post Christi passionem. Sed statum considerantibus animarum in sinu Abrahæ receptarum ante Redemptoris mortem non una sententia est. Nam Augustinus, ut supra vidimus, Evodio scribens, sinum Abrahæ non partem aliquam inferni intelligit, sed secretæ felicitatis, & quietis sinum, ubi animæ beatifica Dei præsentia, adeoque Paradisi veritate fruerentur. D. verò Thomas duos diversos adscribit status eidem sinui, hæc docens (Par. 3. q. 52. ar. 2.). „ Sinus Abrahæ potest secundùm duo considerari: uno modo, secùndum quietem, quæ ibi erat a pœna sensibili, „ & quantùm ad hoc non competit ei nomen inferni, nec sunt ibi „ aliqui dolores. Alio modo potest considerari qnantùm ad privationem gloriæ speratæ, & secundùm hoc habet rationem inferni & „ doloris: Et ideò nunc dicitur sinus Abrahæ illa requies beatorum, „ non tamen dicitur infernus, nec dicuntur nunc in sinu Abrahæ esse „ dolores. „ Ex hoc etiam loco (ultra ceteros superiùs commemoratos) apertè constat, Sancti Thomæ sententiam omninò ab Augustiniana discrepare: illo scilicet dolores in sinu Abrahæ inveniente, negante altero.

2. Mihi quidem indecens semper visum est, quod sinus ille, qui nunc plenæ felicitatis sinus ab utroque Doctore cognoscitur, aliquando doloribus, ut putat D. Thomas, fuerit obnoxius; dum tamen eodem sinus Abrahæ nomine a Domino appellabatur, in eoque Lazarum

S 2

rum consolari Christus dicebat ante passionem suam; quo nomine eum Ecclesia Catholica appellat post Redemptoris mortem ita designans, animas ibidem receptas, beatitatis munere frui. Propterea ab eodem Magistro nostro Jesu Christo indicari puto Lazari consolationem, quum in Evangelio (Matth. 8.) dixit: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in Regno Cœlorum*. Illud quippe oraculum opposuit sorti filiorum regni, qui ejicientur in tenebras exteriores: sicuti alibi dixit, pauperem Lazarum in ejusdem Abrahæ sinu consolari, divite è contrario in flammis & tormentis inferorum sepulto; unde opem a quondam contempto, nunc verò felici, paupere frustra petebat.

3. Nec sanè video aliunde, quàm a relatis textibus, Ecclesiam accommodare potuisse justis Evangelicis nomen atque stationem Sinus Abrahæ. Qui tamen textus quum antiquos justos propriè respiciant: quisque sobrius agnoscet, quid Ecclesia senserit de hoc sinu, quando requiem antiquis justis in eo concessam, Christi etiam fidelibus facit communem. Nimirum demonstrat, veram illis nominibus beatitudinis essentiam contineri, cuicumque hinc in gratia migranti conlatam juxta temporum differentias. Distinctio itaque D. Thomæ, quæ sinui Abrahæ rationem inferni & doloris assignat, minimè congruit Ecclesiasticæ intelligentiæ: nondum enim in sacratissimis Scripturis invenimus tempus nec caussas, ob quas animæ ibi collectæ dolores experiri mererentur.

4. Si verò dixero nomen inferni eidem sinui nulla ratione convenire: præclarissimum testem habeo D. Augustinum etiam in hac re.

„ LXIII. Quamquam, & illud, inquit, me nondum invenisse con„ fiteor, inferos appellatos, ubi justorum animæ REQUIESCUNT. Et „ Christi quidem animam venisse usque ad ea loca, *in quibus peccato„ res cruciantur*, ut eos solveret a tormentis, quos esse solvendos oc„ culta nobis sua justitia judicabat, non immeritò creditur. Quomo„ do enim aliter accipiendum sit quod dictum est: *Quem Deus susci„ tavit ex mortuis, solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri „ ab eis* (Act. 2.) non video, nisi ut quorumdam dolores apud in„ feros eum solvisse accipiamus ea potestate, qua Dominus est, cui „ *omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum* (Philip. 2.), „ per quam potestatem etiam illis doloribus, quos solvit, non potuit „ adtineri. Neque enim ABRAHAM, vel ille PAUPER in sinu ejus, „ hoc est in secreto quietis ejus IN DOLORIBUS ERAT, inter quorum „ requiem, & illa inferni tormenta legimus magnum chaos firma„ tum: sed nec apud inferos esse dicti sunt. *Contingit enim*, inquit, „ *mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinu Abrahæ, mortuus est „ autem & dives, & sepultus est ..... Et quum apud inferos in tormen„ tis esset*, & cetera. Videmus itaque inferorum mentionem non esse „ factam in REQUIE PAUPERIS, sed in supplicio divitis.

„ LXIV. Illud etiam quod Jacob dicit ad filios suos, *Deducetis senectu-*

„ *nectutem meam cum tristitia ad inferos* (Gen. 44.), videtur hoc
„ magis timuisse ne nimia tristitia sic perturbaretur, ut non ad RE-
„ QUIEM BEATORUM IRET, sed ad inferos peccatorum. Neque enim
„ parvum animæ malum est tristitia, quum & Apostolus cuidam tam
„ sollicitè timuerit, *ne majore tristitia absorberetur* (2. Cor. 2.). Proin-
„ de ut dixi, nondum inveni, & adhuc quæro, nec mihi occurrit,
„ inferos alicubi in bono posuisse scripturam dumtaxat canonicam.
„ NON AUTEM IN BONO ACCIPIENDUM SINUM ABRAHÆ, ET ILLAM
„ REQUIEM, QUO AB ANGELIS PIUS PAUPER ABLATUS EST, NESCIO
„ UTRUM QUISQUAM POSSIT AUDIRE, & ideo quomodo eam apud in-
„ feros credamus esse, non video. (1. p. 3. Tom. de Gen. ad litr.
„ l. 12. c. 33.)

5. Evidentioribus verò rationibus hanc sententiam roborat Dardano scribens, quem ipse *profunda rimantem* appellat, & cui *satis esse non possit superficiali modo quæstiones solvere*. Ejus verba attendamus, quæ habentur 2. Tom. in Epistola 187., aliàs 57. n.

„ III. Quæris igitur: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*,
„ *quomodo nunc esse credatur in Cœlo, quum pendens in ligno, jamque mo-*
„ *riturus latroni credenti dixerit Hodie mecum eris in Paradiso* (Luc. 23.)
„ Et hinc fortasse intelligendum dicis Paradisum, quasi in aliqua
„ Cœli parte positum, aut quia ubique Deus sit, hominem quoque
„ illum, qui in Deo sit ubique diffusum, ex hoc nimirum in-
„ telligi volens, etiam in Paradiso esse potuisse, qui ubique
„ sit.

„ IV. Ubi ego quæro, vel potius agnosco quemadmodum accipias
„ hominem Christum; non utique sicut quidam hæretici Verbum Dei,
„ & carnem, hoc est sine anima humana, ut Verbum esset
„ carni pro anima; vel Verbum Dei, & animam, & carnem, sed
„ sine mente humana, ut Verbum Dei esset animæ pro mente hu-
„ mana. Non utique sic accipis hominem Christum, sed sicut supe-
„ rius locutus es, ubi aisti Christum omnipotentem Deum, ea te
„ ratione credulitatis accipere, ut Deum non crederes, nisi perfe-
„ ctum etiam hominem credidisses, profectò quum dicis hominem
„ perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi. Non est
„ autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens
„ humana defuerit.

„ V. Si ergo secundùm hominem, quem Verbum Deus suscepit, pu-
„ tamus dictum esse, *Hodie mecum eris in Paradiso*, non ex his verbis
„ in Cœlo existimandus est esse Paradisus. Neque enim ipso die in Cœlo
„ futurus erat homo Christus Jesus, sed in inferno secundùm animam, in
„ sepulcro autem secundùm carnem. Et de carne quidem quòd eo die in se-
„ pulcro sitposita manifestissimum est Evangelium. Quòd verò illa anima
„ in infernum descenderit Apostolica Doctrina prædicat (Art. 2.)
„ Quandoquidem Beatus Petrus ad hanc rem Testimonium de Psal-
„ mis adhibet, ubi prædictum esse demonstrat, *Quoniam non derelinques*

ani-

„ *animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*
„ (Ps. 15.). Illud de anima dictum est, quia non ibi est derelicta,
„ unde tam citò remeavit: illud de corpore, quod in sepulcro cor-
„ rumpi celeri resurrectione non potuit. Sed in sepulcro Paradisum
„ nullus intelligit. Et si quisquam esset ita absurdus, ut hoc sapere
„ conaretur, eo quod illud sepulcrum in horto erat; certè hinc ab
„ ista opinione revocaretur, quòd ille, cui dictum est, *Hodie mecum*
„ *eris in Paradiso*, non illo die fuit cum Christo in illo sepulcro:
„ nec ejus Fidei pro magno munere offerretur sepultura carnis nihil
„ gaudii vel doloris in morte sentientis, quum ille DE REQUIE, UBI
„ SENSUS EST cogitaret.

„ VI. Restat igitur, ut si secundùm hominem dictum est: *Hodie*
„ *mecum eris in Paradiso*, in inferno intelligatur esse Paradisus, ubi
„ erat eo die futurus secundùm humanam animam Christus. Utrum
„ autem sinus ille Abrahæ, ubi dives impius, quum in tormentis es-
„ set inferni requiescentem pauperem vidit, vel Paradisi censendus
„ vocabulo, vel ad inferos pertinere existimandus sit, non facilè di-
„ xerim. De illo quippe divite legimus dictum esse: *Mortuus est au-*
„ *tem & dives, & sepultus est in inferno. Et quum apud inferos in tor-*
„ *mentis esset*. In pauperis autem morte, vel requie non sunt inferi
„ nominati: *sed contigit*, inquit, *mori inopem illum, & auferri ab An-*
„ *gelis in Sinu Abrahæ*. Deinde ardenti diviti dicit Abraham: *Inter*
„ *nos, & vos chaos magnum firmatum est:* TAMQUAM INTER INFEROS
„ SEDESQUE BEATORUM. Non enim facilè alicubi scripturarum infe-
„ rorum nomen positum invenitur in bono. Unde etiam quæri so-
„ let, si nonnisi pœnalia rectè intelliguntur inferna, quomodo ani-
„ mam Domini Christi piè credamus fuisse in inferno? Sed benè
„ respondetur, ideò descendisse, ut quibus oportuit subveniret. Unde
„ Beatus Petrus eum dicit solvisse dolores inferni, in quibus impossi-
„ bile erat teneri eum. Porrò si utraque regio, & dolentium & RE-
„ QUIESCENTIUM, idest ubi dives ille torquebatur, & ubi pauper ille
„ LÆTABATUR, in inferno esse credenda est; quis audeat dicere Do-
„ minum Jesum ad pœnales inferni partes venisse tantummodo, nec
„ fuisse apud eos, qui IN ABRAHÆ SINU REQUIESCUNT? Ubi si fuit,
„ ipse est intelligendus PARADISUS, QUEM LATRONIS ANIMÆ ILLO
„ DIE DIGNATUS EST POLLICERI. Quæ si ita sunt, generale Para-
„ disi nomen est, ubi feliciter vivitur. Neque enim quia Paradisus
„ est appellatus, ubi Adam fuit ante peccatum, propterea scriptura
„ prohibita est, etiam Ecclesiam vocare Paradisum cum fructu po-
„ morum.

„ VII. Est autem sensus multò expeditior, & ab his omnibus
„ ambagibus liber, si non secundùm id, quod homo erat, sed se-
„ cundum id quod Deus erat Christus dixisse accipiatur, *Hodie mecum*
„ *eris in Paradiso*. Homo quippe Christus illo die secundùm carnem
„ in sepulcro, secundùm animam in inferno futurus erat, DEUS VE-

„ RO

„ RO IDEM IPSE CHRISTUS UBIQUE SEMPER EST. Eſt enim lux, quæ „ lucet etiam in tenebris, quamvis eam tenebræ non comprehendant. Eſt virtus & ſapientia Dei, de qua ſcriptum eſt, quòd *adtingat a fine uſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuaviter; & adtingat ubique propter ſuam munditiam, & nihil inquinatum in ea incurrat.* (Sap. cap. 8., & 7.) UBICUMQUE ERGO SIT PARADISUS, „ QUISQUIS BEATORUM IBI EST, CUM ILLO IBI EST, QUI UBIQUE „ EST.

„ VIII. Quum enim ſit Chriſtus Deus & homo, Deus unde dicit, *Ego & Pater unum ſumus* (Joh. 10.); homo autem unde dicit, *Pater major me eſt* (Joh. 14.), idemque Filius Dei, unigenitus a Patre, & Filius hominis ex ſemine David ſecundùm carnem, utrumque in illo obſervandum eſt quum loquitur, vel quum de illo Scriptura loquitur, & quid ſecundùm quid dicatur intuendum. Nam ſicut unus homo eſt anima rationalis, & caro; ſic & unus Chriſtus eſt Verbum & homo. Proinde quod ad Verbum adtinet, creator eſt Chriſtus: *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt* (Joh. 1.) Quod verò ad hominem, creatus eſt Chriſtus: *Factus eſt enim, ex ſemine David ſecundùm carnem, & in ſimilitudinem hominum factus.* Item quia in homine duo ſunt, anima & caro, ſecundùm animam triſtis fuit uſque ad mortem, ſecundùm carnem paſſus eſt mortem.

„ IX. Nec tamen quum Filium Dei Chriſtum dicimus, hominem ſeparamus, aut quum eumdem Chriſtum filium hominis dicimus, ſeparamus Deum. Secundùm hominem namque in terra erat, non in cœlo, ubi nunc eſt, quando dicebat: *Nemo adſcendit in Cœlum, niſi qui de Cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in Cœlo* (Joh. 3.), quamvis ſecundùm id, quod Filius Dei erat, eſſet in Cœlo, ſecundùm id verò, quod filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondumque adſcendiſſet in Cœlum. Similiter quum ſecundùm id, quod Filius Dei eſt, ſit Dominus gloriæ, ſecundùm id autem, quod eſt filius hominis crucifixus ſit; ait tamen Apoſtolus: *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* (1. Cor. 2.) Ac per hoc & filius hominis ſecundùm Deum erat in Cœlo, & Filius Dei ſecundùm hominem crucifigebatur in terra. Sicut ergo potuit rectè dici Dominus gloriæ crucifixus, quum ad ſolam carnem illa paſſio pertineret, ita rectè dici potuit, *Hodiè mecum eris in Paradiſo*, quum juxta humanam humilitatem, per carnem in ſepulcro, per animam in inferno illo die eſſet futurus; juxta Divinam verò immutabilitatem numquam de Paradiſo, quia ubique eſt ſemper, receſſiſſet.

6. Alio loco hoc ipſum evidentius inculcat aſſeverans Sinum Abrahæ idem eſſe eum regno Cœlorum, ubi Trinitas beatiſſima propriè reſidet in ſede majeſtatis ſuæ. „ Sinus, inquit, Abrahæ intelligitur „ SECRETUM PATRIS, QUO POST PASSIONEM RESURGENS ADSUMPTUS

„ EST

„ EST DOMINUS, quò eum portatum ab Angelis ideò dictum puto, „ quia ipsam receptionem, qua in secretum Patris abscessit, Angeli „ annunciaverunt Discipulis intuentibus. Dicendo enim, *Quid statis* „ *adspicientes in Cœlum;* quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse „ oculos hominum usque in illud penetrare secretum, quò ibat Do- „ minus, quum in conspectu discipulorum ferretur in Cœlum. Jam „ cetera secundùm superiorem expositionem accipi possunt, quia se- „ cretum Patris benè intelligitur, ubi etiam ANTE RESURRECTIONEM „ JUSTORUM ANIMÆ VIVUNT CUM DEO. Tantò enim veriùs ubique „ est Deus, quanto nullo continetur loco, sicut & Latroni dictum „ est, *Hodie mecum eris in Paradiso*: unde nunquam recessit Dei Fi- „ lius, quamvis ab hominibus per susceptam carnem in Civitate Ju- „ dæorum tanta pateretur „ (2. p. 3. Tom. lib. 2. quæst. Evangelior. q. 38. n. 5.) Si enim velimus, verba *ante resurrectionem* indicare resurrectionem Christi: jam secundùm Augustini sententiam consequitur, in Regno & secreto Patris animas justorum tamdiu vixisse cum Deo antequam Christus pateretur. Sive capiamus verba *ante resurrectionem* referri ad corporum resurrectionem in die extremi judicii: adhuc credendus est D. Augustinus intellexisse, animas justorum in eodem secreto Patris interim felices vivere. Nullo enim modo dubitat, justos, qui post Redemptoris passionem in vera Fide occubuerunt in eumdem locum translatos, ut de Nebridio jam dixit; & multò ante Evodio scripserat, antiquorum Sanctorum animas in Sinu Abrahæ congregatas, etiam ante Christi mortem, BEATIFICA DEI PRÆSENTIA fuisse gavisas.

7. Idcircò 4. Tom. Psalmum 98. (n. 12.) enarrans, ad ea verba *Domine Deus noster tu propitius fuisti eis* (Moysi scilicet & Aaron fratri ejus, & Samueli, quos supra memoraverat David) *& vindicans in omnes affectiones eorum*: sermonem de Moyse peculiarem instituens, & quomodo in eum vindicaverit Dominus explicans, inquit. „ Quærimus vindictam in Moyse, propè nullam habet, nisi quod ad „ extremum ait illi Deus: *Ascende in montem & morere*. Ait seni, „ morere. Jam peregerat ætates suas, numquid numquam erat mori- „ turus? Qualis illa vindicta? Ostendit ibi vindictam suam ut dice- „ ret, *Non intrabis in Terram Promissionis*, quam intraturus erat po- „ pulus. Quamdam figuram quorumdam gerebat Moyses. NAM QUI „ IN REGNUM COELORUM INTRAVIT, magna illi pœna erat ad Ter- „ ram illam non venire, quæ ad tempus erat promissa, ut umbram „ ostenderet, & transiret? . . . . . Ergo illud quod dictum est Moysi „ figura erat, non pœna. Seni mors quæ pœna? Non intrare in il- „ lam terram quæ pœna, quò intraverunt indigni? „ Reverà hæc comminatio Domini præcipientis Moysi ex hac vita discessum tanto minus terrere debebat Prophetam, quanto magis noscebat se per hunc transitum appropinquare Dei sui adeò concupitæ visioni, atque complemento illius promissionis, quam antea de ore Domini lætus exceperat,

perat, & legitur Num. 27. 13. *Quumque videris eam* (Terram scilicet promissionis) *ibi & tu ad populum tuum sicut ivit frater tuus Aaron*. Vim hujus promissionis alibi investigare proposui: eam tamen ab Augustino accipi pro Mercede regni cœlestis, ejus doctrinæ demonstrant proximè relatæ. In sequentibus igitur S. Pater ostendit, verè Dominum de Sanctis istis tunc sumpsisse vindictam, dum illos in hac terrena societate servabat, vel inter contradicentem populum, vel inter iniquè agentes, quorum vitam quotidiè corripiebant. Ingressum verò in regnum cœlorum Moysi promissum, quis diferre præsumat usque ad Christi consummatam passionem, quum Augustinus pœnam non intrandi in Terram Promissionis, hac meliori sorte consoletur? Quamobrem evidentissimè constat, Magistrum meum, tum auctoritate Scripturarum, contra quas nemo Christianus; tum gravissimis rationum momentis, contra quæ nemo sobrius sentit, Magistrum meum, inquam, multis librorum suorum, iisque seriò meditatis locis, docuisse, Sinum Abrahæ idem esse cum Regno Cœlorum, atque in istud ingredi a constitutione mundi justorum spiritibus licuisse.

8. Neque prætereunda existimo quæ de hac re Optato Episcopo S. Augustinus aperuit, cujus verba sequuntur.

„ V. Illa tamen inquit, sit Fides salva, qua credimus nullum hominem, sive majoris, sive parvulæ quamlibet, & recentis ætatis liberari a contagione mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei, & hominum Hominem Christum Jesum.

„ VI. Cujus hominis, ejusdemque Dei saluberrima Fide etiam, ILLI JUSTI SALVI FACTI SUNT, QUI PRIUSQUAM VENIRET IN CARNE, CREDIDERUNT IN CARNE VENTURUM. Eadem namque Fides est & nostra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Unde dicit Apostolus Paulus: Habentes autem eumdem spiritum Fidei secundùm quod scriptum est, *Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod, & loquimur*. (2. Cor. cap. 4. 13.) Si ergo eumdem spiritum Fidei & illi habebant, qui venturum in carne Christum prædicaverunt, quem etiam illi, qui eum venisse nunciarunt, SACRAMENTA ESSE POTUERUNT PRO TEMPORUM DIVERSITATE DIVERSA, AD UNITATEM TAMEN EJUSDEM FIDEI CONCORDISSIME RECURRENTIA. Scriptum est in Actibus Apostolorum, loquente Apostolo Petro: *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum supra collum discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu credimus nos* SALVOS FIERI QUEMADMODUM ET ILLI: (Act. cap. 15.) Si ergo & illi, idest Patres, portare jugum legis veteris non valentes, per gratiam Domini Jesu salvos se fieri crediderunt, manifestum est quòd HÆC GRATIA ETIAM ANTIQUOS JUSTOS VIVERE FECIT EX FIDE. *Justus enim ex fide vivit* ..... Proinde quum omnes justi, hoc est veraces Dei cultores sive ante incarnationem, sive

„ post incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant nisi ex Fide „ Incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo; profectò quod „ scriptum est, *Non esse aliud nomen sub Cœlo, in quo oporteat salvos „ fieri nos*, EX ILLO TEMPORE VALET AD SALVANDUM GENUS HUMA- „ NUM, EX QUO IN ADAM VITIATUM EST GENUS HUMANUM. Sicut „ enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivifi- „ cabuntur, quia sicut in regno mortis, nemo sine Adam, ita in „ regno vitæ nemo sine Christo. Sicut per Adam omnes injusti, ita „ per Christum omnes justi homines. Sicut per Adam omnes morta- „ les in pœna facti sunt filii sæculi, ita & per Christum omnes im- „ mortales in gratia fiunt Filii Dei. (2. Tom. epist. 190., aliàs „ 157.)

9. Ad hactenus dictorum sincerissimam splendentemque coronam, adjiciamus ex 5. Tom. particulas Sermonum Divi Augustini in honorem Sanctorum Martyrum Machabeorum.

SERMO CCC. (aliàs de Diversis 109.)

In solemnitate Martyrum Machabeorum I.

„ I. ISTum diem nobis solemnem gloria Machabæorum fecit: quo- „ rum mirabiles passiones quum legerentur, non solum audivi- „ mus, sed etiam vidimus & spectavimus. Olim ita gesta sunt, ante „ incarnationem, ante passionem Domini & Salvatoris Nostri Jesu „ Christi. In primo populo illo extiterunt, in quo Prophetæ extite- „ runt, qui hæc præsentia prædixerunt. Nec quisquam arbitre- „ tur, antequam esset populus Christianus, NULLUM FUISSE PO- „ PULUM DEO. Immo verò, ut sic loquar quemadmodum se ve- „ ritas habet, non nominum consuetudo, CHRISTIANUS ETIAM „ ILLE TUNC POPULUS FUIT. Neque enim post passionem suam „ cœpit habere populum Christus: sed illius populus erat ex „ Abraham genitus, cui perhibens testimonium ipse Dominus ait: „ *Abraham concupivit videre diem meum, & vidit, & gavisus est* (Joh. „ 8.). Ergo ex Abraham natus est ille populus, qui servivit in Æ- „ gypto, & qui manu potenti per Moysen famulum Dei de Domo „ servitutis liberatus, per mare rubrum fluctibus descendentibus du- „ ctus in eremo exercitatus, legi subditus, in regno collocatur. Un- „ de, sicut dixi, extiterunt Prophetæ, inde isti Martyres floruerunt. „ Nondum quidem erat mortuus Christus: sed Martyres eos fecit mo- „ riturus Christus.

„ II. Hoc ergo in primis commendandum est Caritati Vestræ, ne „ quum illos Martyres admiramini, putetis non fuisse CHRISTIANOS. „ CHRISTIANI FUERUNT. sed nomen Christianorum postea divulga- „ tum FACTIS ANTECESSERUNT. Sed videlicet quasi non eis erat con- „ fessio Christi; a rege impio & persecutore non cogebantur negare Chri-

„ Christum, quod postea Martyres quum cogerentur; ne facerent, „ similem gloriam consecuti sunt. Posteriores enim persecutores populi Christiani ad negandum nomen Christi compellebant eos, quos persequebantur: illi in Christi nomine perseverantissime consistentes, patiebantur talia, qualia illos perpessos esse, quum legeretur audivimus. Istis ergo Martyribus recentioribus, quorum millibus terra purpurata est, imperabatur & dicebatur a persecutoribus, *Negatum Christum*. Quod non facientes patiebantur talia, qualia, & isti perpessi sunt. Istis verò dicebatur Negate Legem Moysis. Non faciebant: patiebantur pro Lège Moysis. Isti pro Christi nomine, illi pro Lege Moysis.

„ III. Exsistit aliquis Judæus, & dicit nobis, Quomodo istos nostros, vestros Martyres computatis? Qua impudentia eorum memoriam celebratis? Legite confessiones eorum: adtendite si confessi sunt Christum? Cui respondemus, Verè quia unus es ex eis, qui in Christum non crediderunt, & fracti de oliva, oleastro succedente, foris aridi remanserunt; quid dicturus es unus ex perfidis? Non confitebantur illi apertè Christum, quia adhuc velabatur Christi mysterium. Testamentum enim vetus velamen est novi Testamenti, & Testamentum novum revelatio est veteris Testamenti. Vide ergo de infidelibus Judæis patribus tuis, sed in malo fratribus tuis, vide quid de talibus dicat Apostolus Paulus: *Usque nunc quamdiu Legitur Moyses, velamen supra corda eorum positum est. Idipsum autem velamen in lectione veteris Testamenti manet, quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur. Quum transieris*, inquit, *ad Christum, auferetur velamen. Velamen*, inquit, *in lectione veteris Testamenti manet, quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur:* (2. Cor. 3.) non lectio veteris Testamenti, sed velamen, quod ibi positum est. Lectio denique veteris Testamenti non evacuatur, sed impletur ab illo, qui dixit *Non veni solvere Legem sed adimplere* (Matth. 5.). Velamen ergo evacuatur, ut quod obscurum erat intelligatur. Hoc utique clausum erat, quia nondum clavis crucis accesserat . . . . .

„ V. Cœpit ergo ex illo Christus post resurrectionem apertissimè prædicari. Cœperunt in eo quæ prædicta erant prophetica manifestissimè impleri; cœperunt eum Martyres constantissimè confiteri. Ipsum Martyres in manifesto confessi sunt, quem tunc MACHABEI IN OCCULTO CONFESSI SUNT: mortui sunt isti pro Christo in Evangelio revelato, mortui sunt illi PRO CHRISTI NOMINE in Lege velato. Christus habet utrosque, Christus pugnantes adjuvit utrosque, Christus CORONAVIT utrosque: Christus habet in ministerio suo utrosque, tamquam quidam potentissimus incedens cum agmine obsequentium, ALIIS PRÆCEDENTIBUS, aliis sequentibus. Ipsum ergo potius intuere in carnis vehiculo præsidentem: & qui præcedunt illi obsequuntur, & qui sequuntur illi, devoti sunt. Nam ut noveris apertèque noveris quia PRO LEGE MOYSIS MORIENTES, PRO

„ CHRISTO SUNT MORTUI, audi ipsum Christum, o Judæe audi; & „ aperiatur tandem cor tuum, velum tollatur ab oculis tuis. *Si crederetis* „ *Moysi, & crederetis & mihi*. Hoc audi, hoc accipe, si potes. Si a me vela- „ men ablatum est, vide. *Si crederetis*, inquit, *Moysi, crederetis & mihi:* „ *de me enim ille scripsit*. Si de Christo Moyses scripsit; QUI PRO LE- „ GE MOYSIS VERACITER MORTUUS EST, PRO CHRISTO ANIMAM PO- „ SUIT. *De me*, inquit, *ille scripsit*. (Joh. 5. 46.) Cui servierunt „ linguæ confitentiùm, ei servivit calamus vera scribentium. Vos ca- „ lamum Moysis quomodo intelligere poteritis, qui in calamo acetum „ ligastis? Utinam aliquando vinum ejus bibatis, cui adhuc blasphe- „ mando acetum propinatis.

„ VI. Machabæi ergo MARTYRES CHRISTI SUNT. Ideo non in- „ congruè neque importunè, immò convenientissimè dies eorum, & „ solemnitas eorum a Christianis potius celebratur. Quid tales Judæi „ celebrare noverunt? Sanctorum Machabeorum basilica esse in An- „ tiochia prædicatur: in illa scilicet civitate, quæ regis ipsius perse- „ cutoris nomine vocatur. Antiochum quippe regem persecutorem „ impium pertulerunt, & memoria martyrii eorum in Antiochia ce- „ lebratur; ut simul sonet, & nomen persecutoris, & memoria co- „ RONATORIS. Hæc basilica a Christianis tenetur, a Christianis ædi- „ ficata est. Eorum ergo memoriam celebrandam nos habemus, nos „ tenemus: apud nos passiones eorum millia per orbem terrarum „ Sanctorum Martyrum imitata sunt. Nemo ergo dubitet, Fratres „ mei, imitari Machabæos; ne quum imitatur Machabæos putet se „ non imitari CHRISTIANOS. Prorsus imitationis affectus ferveat in „ cordibus nostris. Discant viri mori pro veritate. Discant feminæ „ de matris illius tanta patientia, ineffabili virtute quæ noverat ser- „ vare filios suos. Habere noverat, quæ perdere non timebat. Isti „ in se singuli sentiendo, illa videndo in omnibus passa est. Facta „ mater septem Martyrum, septies martyr: a filiis non separata spe- „ ctando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes. „ Ferebat in oculis, quod in carne omnes: nec solùm non terreba- „ tur, sed etiam exhortabatur.

„ VII. Hanc Antiochus persecutor velut matrem de ceteris matri- „ bus computavit. Persuade, inquit, filio tuo, ne pereat. Et illa: „ Planè filio meo VITAM PERSUADEBO ad mortem cohortando: tu „ mortem vis persuadere, parcendo. Qualis autem alloquutio, quàm „ pia, quàm materna, quàm inter spiritales, & carnales in ambiguo „ suspensa? *Fili miserere mei. Fili*, inquit, *miserere mei, quæ te no-* „ *vem mensibus in utero portavi, cui lac triennio dedi, atque ad hanc* „ *ætatem perduxi: miserere mei*. (2. Mach. 7.) Omnes expectabant „ verba consequentia: Consenti Antiocho, noli deserere matrem „ tuam. Illa e contra; CONSENTI DEO, noli deserere fratres tuos. „ Si me quasi deseris, tunc me non deseris. IBI TE HABEBO, UBI „ NE PERDAM ULTERIUS NON TIMEBO. Ibi te mihi servabit Chri-

stus,

„ stus, unde non tollet Antiochus. Deum timuit, matrem audivit,
„ regi respondit, fratribus adhæsit, matrem traxit . . . . . .

SERMO CCCI. (aliàs de Diversis 110.)

In Sollemnitate SS. Machabæorum II.

„ I. MAgnum spectaculum positum est ante oculos Fidei nostræ. „ Aure audivimus, corde vidimus optantem matrem ante „ se finire istam vitam filios suos: longè contrariis votis consuetudi- „ ni humanæ. Omnes enim homines filios suos ex hac vita migran- „ do præcedere volunt, non sequi: illa autem optavit posterior mori. „ NON ENIM AMITTEBAT FILIOS, SED PRÆMITTEBAT, nec intueba- „ tur quam VITAM finirent, sed quam INCHOARENT. Desinebant „ enim vivere, ubi quandoque fuerant morituri: & incipiebant vive- „ re, SINE FINE VICTURI. Parum est fuisse spectatricem, mirati su- „ mus potius hortatricem. Fecundior virtutibus, quàm fetibus: vi- „ dens certantes, in quibus omnibus ipsa certabat; & in omnibus „ vincentibus ipsa vincebat. Una mulier, una mater, quomodo no- „ bis ante oculos posuit unam Matrem Sanctam Ecclesiam, ubique „ exhortantem filios suos pro illius nomine mori, de quo eos conce- „ pit & peperit? Sic sanguine Martyrum impletus orbis præjactatis „ seminibus seges Ecclesiæ pullulavit. Unde hoc homini? nisi, quia „ *Salus justorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribula-* „ *tionis*.

„ II. Vidimus, novimus protectorem fuisse Dominum in tempore „ tribulationis trium virorum illorum, qui ambulabant inter ignes in- „ noxios, & Dominum sine ulla læsione laudabant. Ubi homo sæ- „ viebat, flamma parcebat. Vidimus, novimus quemadmodum salus „ eorum justorum a Domino fuit, ut in ignem mitterentur, & il- „ lum asperum regem, quem loquendo irritaverant, vivendo conver- „ terent. Credidit quippe in eorum Deum, & proposuit edictum, „ ut quicumque blasphemaret Deum Sidrach, Misahac, & Abdena- „ go, in interitum iret, & Domus ejus in direptionem. Quam dissi- „ milis jussio primæ jussioni? Qualis prima jussio? Pereat qui sta- „ tuam auream non adoraverit. Qualis secunda? Pereat qui Deum „ verum blasphemaverit. Fideles homines non mutati, infidelem ho- „ minem mutaverunt. Illum in perfidia stare non permiserunt, quia „ ipsi in Fide steterunt. Salus ergo illorum manifestè a Domino „ fuit. Quando illi non ardebant & laudabant, aderat Dominus. „ Quando isti ardebant, confitebantur, tamen moriebantur, ubi erat „ Dominus. An fortè illi justi erant, isti peccatores? Audivimus „ enim istos paulò ante, quum passio eorum legeretur confiteri pec- „ cata sua, & dicere, quoniam omnia illa irascente Domino sibi,

„ sed

„ ſed & paterno merito paterentur . Quid illi ? Legite & videbitis „ etiam ipſos peccata propria confiteri , & dicere ſe meritò perpeti. „ Æqualiter juſti , confeſſores æqualiter peccatorum ; & ideò juſti , „ quia confeſſores æqualiter peccatorum . Ideò irreprehenſibiles , „ quia non mendaces . *Si enim dixerimus* , ait Johannes , *quia peccatum non habemus* , *nos ipſos decipimus* , *& veritas in nobis non eſt* . *Si autem peccata noſtra confeſſi fuerimus* ; *fidelis eſt* , *& juſtus* , *qui dimittat nobis peccata* , *& emundet nos ab omni iniquitate* . (Joh. 1. „ Cap. 1. ℣. 7.) Ad juſtos ergo pertinet confeſſio peccatorum : „ ad ſuperbos pertinet defenſio meritorum . Pariter ergo juſti peccata „ confitentes , pariter Deo gloriam dantes , pariter pro ejus legibus „ mori parati . Quare illi ab ignibus liberantur , iſti ab ignibus „ conſumuntur ? Ergo illis Deus aderat , hos deſeruerat ? Abſit : „ immo utriſque adſuit ; illis in aperto , iſtis in occulto . ILLOS „ VISIBILITER LIBERABAT : ISTOS INVISIBILITER CORONABAT . Illi quidem de morte liberati ſunt ; ſed in hujus vitæ tentatione „ manſerunt : ab igne liberati , ad pericula reſervati : uno tyranno victo adhuc certaturi cum diabolo . Fratres mei ſicut Chriſtiani intelligite . MACHABEI MELIUS , ET TUTIUS LIBERATI „ SUNT . Ab illis tribus viris , ceteris remanentibus , illa una tentatio ſuperata eſt : ab iſtis iſta vita finita , quæ tota tentatio „ eſt . „

10. Atque hæc ſatis ſint ad oſtendendum , Magiſtrum meum ſenſiſſe Paradiſum , veram ſalutem , regnum Cœlorum , vitam denique æternam juſtis antiquis ſtatim poſt mortem conlatam , non ſecus ac juſtis novi Teſtamenti . Si quis contraire voluerit , non mecum , ſed cum doctiſſimo Auguſtino , immo cum auctoritatibus rationibuſque , quibus in hanc ſententiam adductus eſt , rem ſibi eſſe ſciat . Si quiſpiam aliquid aptius proferre poſſe putet , libenter audiemus . Sin nihil , ſplendidæ etiam ipſe obtemperet veritati , quæ fortaſſe in nobis clementiſſimè loquitur , quæ quærentibus adeſt , contentioſis verò pertinacibuſque lumen abſcondit ſuum , ut videntes non videant . Ad ea demùm greſſus fiat , quæ huic doctrinæ contraria in ejuſdem S. Patris ſcriptis inveniri plerique autumant . Sit igitur .

CA-

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Sermone 137. qui S. Augustino tribuebatur, & a D. Thoma solus affertur contra beatitatem antiquorum justorum. Cur Augustini non sit, & demum ostenditur, ipsum Sermonem D. Thomæ Doctrinæ in hac re officicere.

1. JUxta institutum ordinem, hic transcribere præstat sæpius memoratum Sermonem de Tempore 137.; cujus tantum perpauca verba pro se refert D. Thomas, aliis posthabitis D. Augustini locis, quos supra commemoravi, tum imposterum commemorandis, in quibus sententia omninò contraria docetur. Attentus Lector ex ejusdem Sermonis contextu dijudicabit, utrum vel Augustini sit, vel quando etiam Sancti Doctoris esset habendus, num tanti fieri mereatur, ut omninò opposita Augustini Doctrina, tot auctoribus rationibusque in tot libris suffulta, propter pauca, quæ in eo leguntur verba, corruere debeat, & a doctioribus respui. Optabile quidem esset, quòd sicuti S. Pater libris suis censoriam manum apposuit in Retractationibus, ubi quisque ejus doctrinam & humilitatem admirans, facilè comperit tum quæ ipse respuerit, tum quæ meliori luce donanda censuerit: idem præstitisset circa Sermones, Homilias, ac Epistolas, quæ veluti suæ circumferuntur. Porrò in extremo secundi libri Retractationum capite, hoc etiam examen se suscepturum promiserat Sanctus Pater. Utrum vero præstiterit, nescio. Si tamen præstitit, hic inter ceteros tum suos, tum aliorum illustrium virorum deperditos labores recensendus est.

2. Hujus operis defectus, magna cum ingeniorum etiam sublimium jactura effecit, ut pleræque sententiæ auctoritate S. Augustini firmatæ crederentur, quæ non S. Doctoris, sed aliorum scriptorum sensum referebant. Accidit enim vel injuria temporum, vel aliorum auctorum astu, vel libellionum aut avaritia, aut errore, ut plura Augustini scriptis insererentur, quæ nec soliditate Doctrinæ, nec rationis, (in quibus plurimum valuit S. Doctor), ejus mentem & indolem redolent, quæ postea partim a Lovaniensibus Theologis, partim ab amplissima Maurinorum Congregatione secreta sunt, & suis auctoribus, quantum licuit, adjudicata. Quanti id egregium opus, Ecclesiæ, litterariæque Reipublicæ, & Divinorum studiorum cultoribus adjumenti fuerit, nemo sanus ignorat. Aliquid autem laudis tanto labori adjici opinor, quia ex eorum commendabili solertia edifcimus, infrascriptum Sermonem (cui soli omnia nituntur Divi Thomæ dictata contra non retardatam beatitatem veterum Sanctorum) Sancti Augustini non esse: immò ejus mente ex aliis operibus suis diligentius inquisita, tot & tantas Dei amicorum animas, a te-

a tenebris atque doloribus in plurium sæculorum spatium eripimus, atque eo duce, easdem gloriæ splendore donamus.

3. Quoniam verò cap. II. hujus operis, istius consarcinati Sermonis censuram exscripsi: antequam totum legamus, admonitum lectorem volo de regulis, quas ipsemet Sanctissimus Doctor libros suos legentibus tradidit, juxta quas æquus quilibet judex censebit, hunc incerti ingenii fœtum e suis operibus abradendum, licèt nondum esset excerptus. „ Noli, inquit S. Augustinus, meis litteris, quasi scri- „ pturis Canonicis inservire; sed in illis & quod non credebas quum „ inveneris, incunctanter crede, in istis autem quod certum non ha- „ bebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere. „ Et iterum „ Noli meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex di- „ vina lectione vel inconcussa ratione corrigere (8. Tom. de Trinit. l. 3. c. 1. n. 2.) Hisce ab eo positis, auctoritatis videlicet Divinæ, & inconcussæ rationis fundamentis, si fortè aliqua in ejus libris inveniuntur opposita: vel ipso consentiente, corrigenda sunt, si certum sit esse sua; vel tutiùs ut non sua respuenda sunt. Utrum verò Sermo 137., nunc in appendice 160. cum Divina auctoritate, aut cum recta ratione conveniat, ex ejusdem lectione patefactum iri unicuique subito opinor.

SERMO CLX. *Alias de Tempore 137. & postea in appendice 52.*

De Pascha II.

„ I. PAssionem vel Resurrectionem Domini, & Salvatoris nostri „ Jesu Christi, Fratres dilectissimi, licèt omnia veteris Testa- „ menti volumina multò ante prædixerint, tamen etiam per os Da- „ vid Prophetæ Spiritus Sanctus evidenter ostendit dicens: *Deus ultio-* „ *num Dominus, Deus ultionum libere egit*. Solus etenim liberè egit, „ qui nobis hodie ostendit quid egerit. Liberè enim egit, de quo „ multò antea fuerat prophetatum quia, *factus est sicut homo sine ad-* „ *jutorio inter mortuos liber*. Vultis tamen scire quid egerit? Audite „ quid fecerit. Nulla necessitate, sed propria voluntate in ligno se „ suspendi permisit, clavis corpus suum perforari non renuit, animam „ ponendo mortem sustinuit, carnem in sepulcro reposuit, & comi- „ tante secum anima ad inferna descendit (per hanc electi, qui „ quamvis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferi claustra teneban- „ tur, ad paradisi amœna reducti sunt. Quod ante Passionem dixit „ in resurrectione sua Dominus implevit. *Si exaltatus fuero*, inquit, „ *a terra omnia traham ad me*. Omnia etenim traxit, qui de electis „ suis apud Inferos nullum reliquit. Neque enim infideles quosque, „ & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus „ resurgendo reparavit, sed illos & inferni claustris rapuit, quos suos

„ in

„ in Fide & actibus recognovit. Unde rectè etiam per Oseam dici-
„ tur. *Ero mors tua o mors, ero morsus tuus o inferne*. Id namque
„ que quod occidimus, agimus ut penitus non sit. Ex eo autem
„ quod mordemus partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia
„ ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit.
„ Quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non oc-
„ cidit funditùs, sed momordit infernum. Ait ergo, *Ero mors tua o*
„ *mors*, ac si aperte dicat, Quia in electis meis te funditùs perimo.
„ Ero morsus tuus o Inferne, quia sublatis meis te in parte transfi-
„ go. Tunc etenim Dominus noster Jesus Christus illum) tenebra-
„ rum & mortis principem colligavit, legiones illius perturbavit, por-
„ tarum inferni vectes ferreos confregit, omnes justos, qui originali
„ peccato astricti tenebantur absolvit, captivos in libertatem pristi-
„ nam revocavit, peccatorum tenebris abcæcatos splendida luce per-
„ fudit.

„ II. Ecce audistis quid defensor noster ultionis Dominus liberè
„ egisse describitur. Postquam enim exaltatus, idest a Judæis in Cru-
„ ce suspensus est, ut hæc breviter cuncta perstringam, mox ut spi-
„ ritum reddidit, unita suæ Divinitati anima ad inferorum profunda
„ descendit. Quumque tenebrarum terminum, quasi quidam depre-
„ dator splendidus ac terribilis attigisset, adspicientes eum impiæ &
„ tartareæ legiones, territæ ac trementes inquirere cœperunt, dicen-
„ tes: (Quisnam est iste terribilis, & niveo splendore coruscus?
„ Numquam noster talem excepit tartarus, numquam in nostram ca-
„ vernam talem evomuit mundus. Invasor iste, non debitor, exa-
„ ctor est, non precator. Judicem videmus non supplicem: venit
„ jubere non succumbere, eripere non manere. Ubi jam janitores
„ nostri dormierunt, quum iste bellator claustra vetabat? Hic si
„ reus esset, tam potens non esset. Si eum aliqua peccata fuscarent,
„ numquam nostra tartara suo dissiparet fulgore. Si Deus ut quid
„ venit? Si homo quid præsumit? Si Deus quid in sepulcro facit?
„ Si homo quare peccatores solvit? Numquid cum actore nostro fœ-
„ dus composuit, aut fortè congressus & ipsum vicit, & sic ad no-
„ stra regna adscendit? Certè mortuus erat, certè victus erat. Illu-
„ sus est præliator noster, nescivit, quam hic stragem procuraret in-
„ ferno Crux illa fallens gaudia nostra, parturiens damna nostra.
„ Per lignum ditati sumus, per lignum evertimur. Perit potestas il-
„ la semper populis formidata. Nullus hic vivus intravit, nemo car-
„ nifices terruit, numquam huic cœnolento loco, & nigra semper
„ caligine cæcato jucundum lumen apparuit. Aut fortè sol de mun-
„ do migravit? Sed nec cœlum nobis, astraque apparent, & tamen
„ infernus lucet. Defendere contra ipsum custódiam carceris nostri
„ non valemus. Male intravimus, lumen tantum obtenebrare nequi-
„ vimus, insuper & de nostro interitu formidamus.)

„ III. Unde est iste tam splendidus, tam fortis, tam præclarus,

„ tamque terribilis? Mundus ille, qui nobis subditus fuit, semperque „ nostris usibus mortis tributa persolvit, numquam nobis talem mi- „ sit, numquam talia inferis munera destinavit. Quis ergo iste est, „ qui sic intrepidus nostros fines ingreditur, & non solum nostra sup- „ plicia non veretur, insuper & alios de vinculis nostris absolvit? An „ fortè ipse est ille, de quo princeps noster paulo ante dicebat, quòd „ per ejus mortem, totius mundi acciperet potestatem? Sed si iste „ est, in contrarium est nostri præliatoris versa sententia, & dum „ sibi vincere visus est, ipse potius victus atque prostratus est. O „ Princeps noster, hic ne est ille, de cujus tibi semper futura morte „ plaudebas? Ipse ne est, in cujus Cruce omnem mundum tibi sub- „ jugandum esse credebas? Ipse ne est in cujus exitu nobis tanta „ spolia promittebas? Quid est quod egisti? Quid est quod facere „ voluisti? Ecce jam totas tibi tenebras suo splendore fugavit, & „ omnes tuos carceres fregit, captivos ejecit, ligatos solvit, luctus „ eorum in gaudium commutavit? Ecce ipsi, qui sub nostris solebant „ suspirare tormentis, insultant nobis, & de perceptione salutis, & „ non solum jam nihil verentur, insuper & minantur. Numquam „ hic ita superbierant mortui, nec aliquando sic potuerunt læti esse „ captivi. Ut quid huc istum adducere voluisti, quo veniente omnes „ sunt lætitiæ restituti, qui ante fuerant desperati? Nullus hic jam „ solitus eorum mugitus auditur, nullus resonat gemitus. (Factum „ est autem captivis redemptionis commercium.) O Princeps noster „ illas tuas divitias, quas primum adcquisiveras per paradisi amissio- „ nem, nunc perdidisti per Crucem: perit omnis lætitia tua, in lu- „ ctum conversa sunt gaudia tua. Dum tu Christum suspendis in „ ligno, ignoras quanta damna sustineas in inferno. Prævidere non „ poteras, quia eversorem regni tui in mortem sine reatu aliquo per- „ ducebas? Si adtenderes causam, requireres culpam. In quo ni- „ hil magis cognoveras, quare eum ad nostram patriam perducebas? „ Istum liberum adduxisti; & totos obnoxios perdidisti.

„ IV. Post istas crudelium ministrorum infernalium voces, sine ali- „ qua mora ad imperium Domini ac Salvatoris nostri, omnes fer- „ rei confracti sunt vectes, & ecce subitò innumerabiles Sanctorum „ populi, qui tenebantur in morte captivi, Salvatoris sui genibus ad- „ voluti lacrymabili cum obsecratione deposcunt dicentes. Advenisti „ Redemptor mundi, advenisti quem desiderantes quotidie sperába- „ mus. Advenisti quem nobis futurum lex nuntiaverat & Prophetæ. „ Advenisti donans in carne vivis indulgentiam peccatoribus mundi, „ solve defunctos, & captivos inferni. (Venisti post longas lacry- „ mas, eripe solus, qui passus es pro nobis Cœli conditor, ad infe- „ ros intrare dignatus es. Te enim nostra vocabant suspiria, te larga „ requirebant lamenta. Unde spes desperatis, unde consolatio in tor- „ mentis? In adventu tuo catena nostra cecidit, nox effugit. Vita „ veniente mors moritur, nec *tortor* instat, nec percussor. Damnati

„ vota

„ vota capiunt, creator imperat non invasor. In tyranno catena in„ nectitur, & tortor noster pœna torquetur. Solve Redemptor mun„ di defunctos & captivos inferni.) Descendisti pro nobis ad inferos, „ noli nobis deesse quum fueris reversurus ad superos. Posuisti titu„ lum gloriæ in sæculo, pone signum victoriæ in inferno.

„ V. Nec mora, postquam audita est postulatio, atque altercatio „ innumerabilium captivorum, statim a Domini jussu omnes antiqui „ justi jura potestatis accipiunt, atque in suos tortores ipsi protinus „ tormenta convertunt, humili supplicatione cum ineffabili gaudio „ clamantes Domino, atque dicentes: Ascende Domine Jesu spolia„ to inferno, & auctore mortis vinculis irretito, redde jam lætitiam „ mundo. Jocundentur in adscensu tuo fideles tui, aspicientes cica„ trices corporis tui. Fecit hoc Christus, sicut jam superius dictum est. „ Facta præda in inferno vivus exiit de sepulcro. Ipse se sua poten„ tia suscitavit, & iterum se immaculata carne vestivit. Discipulis „ suis apparuit, ut dubitationem auferret incredulis. Clavorum vul„ nera demonstravit, ut nullam suspicionem relinqueret Manichæis. „ Manifestè manducavit & bibit, postea vero in conspectu multorum „ apparuit. Per nubem in Cœlos adscendit, & se in sede ad Patris „ dexteram, unde numquam Verbum Dei discesserat collocavit. Exul„ tent ergo populi Christiani, pro quibus sanguis effusus est Christi. „ Jocundemur omnes in Domino, qui resurrectionem carnis solemni„ ter celebramus in Christo. Omnis per totum mundum Catholica „ gratuletur Ecclesia, quia Christus Dominus & de sua Divinitate „ nihil minuit, & hominem quem fecerat liberavit. Unde exultantes „ voce humili supplicemus, ut pro quibus ista pertulit quum venit „ in mundum, liberatos nos de manu inferi adtollere secum digne„ tur in Cœlum, cui est honor, & gloria cum Patre, & Spiritu San„ cto in sæcula sæculorum. Amen. „

4. Nescio utrum aliquis, cui nota sit soliditas argumentationis, & locutionis Augustinianæ, divinarumque Scripturarum in dicendo usus, & copia, hunc sermonem S. Patri rectè adscriptum putet, cui præterea, quæ ex genuinis Augustini operibus superiùs retuli, adeò adversantur. Sed ut hujusce fœtus infirmitas magis patescat: quædam ejusdem verba, atque sententias diligentiori examini subjiciam, ostensurus, quòd si tantorum virorum non præcessisset judicium, quo ab Augustini operibus abripitur, attamen inde esset expungendus, evidentissimarum rationum vi, quas, ut brevitati consulam, paucis perstringam. Primò igitur hunc sermonem Divinæ auctoritati; secundò, rectæ rationi adversantem ostendam: Tertiò illius verba contra se vicissim pugnare. Qua repugnantia in suo contextu detecta; denique monstrabo, inconstantem hunc Sermonem, Divi Thomæ opinionibus ex eo petitis, verè obesse.

5. Porrò divinæ revelationi adversantur, tormenta, carceres, lacrymæ, & suspiria, quibus obnoxias facit justorum animas, dicente

Evangelio, quòd Lazarus in sinu Abrahæ *consolabatur*. Hæc quippe consolatio tormentis copulata omninò repugnans detegitur ex iis, quæ supra Cap. XI. disputata sunt. Eidem revelationis fonti adversatur justorum spirituum cum peccatoribus & dæmonibus commentitia permixtio; nam Evangelium, inter divitem & Abraham chaos magnum ita firmatum docet, ut nec Abrahæ proximi ad divitem ejusque socio transmeare valerent, nec illi ad illos. Rursus desperatio justis bis in sermone inusta, a præclaro textu Ecclesiastici (24. 45.) refellitur, in hæc verba: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & invisam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Unde quanto certius patet, animas, quas ab inferis Dominus eripuit, in Domino sperantes fuisse: tantò evidentiùs concionis dictata Scripturæ Sanctæ evincuntur contraria. Ignorantia denique de Persona Christi, quæ in dæmonibus multo opere insinuatur, a Sanctis Evangeliis æquè corripitur, ubidictum est: *Quid nobis & tibi Jesu Filii Dei? Venisti huc ante tempus perdere nos* (Matth. 8.) Quasi eadem repetit Marcus; addens præterea, quod Dominus, *Demonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum*. (Marc. 1. 34.)

6. Rectæ verò rationi reluctantur præ ceteris dæmonum dicta; *Numquid cum actore nostro fœdus composuit, aut fortè congressus ipsum vicit?* Si enim dœmones, advenientem illum suspicari poterant esse Deum: nunquam adeò disipuissent, ut Deum cum tenebrarum Principe fœdus iniisse putarent, At si præsentem Christum merum hominem opinabantur: nonnisi stultissimè finxissent hunc cum tenebrarum Principe præliantem, exisse victorem; quum alibi glorientur, mundum suæ subditum potestati, semper suis usibus mortis tributa persolvisse. Paulò ante ista, auctor orationis inducit dæmones de suo interitu formidantes; quum tamen probè sciant, immortaliter se esse cruciandos & præterea mors, quatenus per hanc a vita omninò cessarent, non causa timoris, sed potius lætitiæ ipsis esset futura Quum verò improvisi illius luminis ex descensu Christi oborti, veluti inter se caussam inquirentes (quod tamen lumen ex illius victoris adventu processisse jam dixerant) ajunt: *An forte Sol de mundo migravit? Sed nec Cœlum, nubes, astraque apparent, & tamen infernus lucet*: satis frivolum infirmumque est. Si enim sol de mundo in inferna descendisset, ipsum vidissent; nec de fulgoris origine ambigerent. Quis autem credat, ad solem noscendum, non Cœlum dumtaxat, sed astra insuper & nubes requisisse dæmones; quum rudiores etiam homines solem in sereno Cœlo videant, & esse sciant, quamvis nec nubes appareant nec astra; quæ insuper majoris illius planetæ luce evanescunt? Num fortasse dæmones idcirco Solem in inferos descendisse dubitare poterant, quia nec astra illum comitarentur, nec nubes?

7. Quæ verò in hoc Sermone legimus inter se pugnantia, tertiam rationem efficiunt, cur acutissimo Augustino adjudicari non possit. Priùs enim dicit, quòd *electi in tranquillitatis sinu tenebantur*, quos postea

stea

stea in doloribus, & catenis esse pronunciat: nec solùm dæmonibus subditos, sed ab iisdem tortos atque percussos. Quis hunc, tot redundantem suppliciis, tranquillitatis sinum appellet? Temperantiùs egit melifluus ille Sanazarius, qui in Poemate de Partu Virginis, (quamvis animas antiquorum Patrum in carcere & in doloribus putet; cui carceri, sacra prophanis admiscens, Cerberum custodem insidere dixit): nullum tamen animabus assiduum tormentorum ministrum dæmonem fecit. Ait itaque l. 1. v. 225.

Interea manes descendit fama per imos,
Pallentesque domos veris rumoribus implet:
Optatum adventare diem, quo tristia linquant
Tartara, & evectis fugiant Acheronta tenebris,
Immanemque ululatum, & non lætabile murmur
Tergemini canis: adverso qui carceris antro
Excubat insomnis semper, victuque trifauci
Horrendum, stimulante fame, sub nocte profunda
Personat, & morsu venientes verberat umbras.

At cur in tanti momenti re, poetarum figmenta, sacrosanctæ Fidei Doctorum soliditati, & veracitati comparamus?

8. Hujus tamen Concionis auctorem, nec inconstantiæ piguit. Alio quippe loco, justorum animas ex adventu Christi lætas inducit, dicentes: *Advenisti*, quem *nobis futurum lex nunciaverant & Prophetæ*. Ita scilicet demonstrans, eas de suo adventu non solùm certas, verùm etiam eumdem sperantes; quod superiùs etiam patefacerat his verbis *Quem desiderantes quotidiè sperabamus*; & rursus, *Te enim nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta*. Nunc quomodo sequentia consonant, *Unde spes desperatis?* Satis enim absona hæc vox erat in ore dæmonum, qui justas animas desperatas toties pronunciaverant. Desperatæ enim, non in eis votis fuissent, quibus eum venturum vocabant; quæ quidem vota dœmonibus abscondi non poterant, si tamen vel illæ clamabant, vel isti clamantium voces audiebant. Absurdior verò evadit hæc vox in ore animarum justarum. Nam si de Christi adventu desperaverant; quomodo illum vel suspirantes vocabant, vel certa Fide ex Lege, & Prophetis venturum sciebant? Quomodo insuper lacrymabili adhuc oratione, & non potius læta gratiarum actione detinentur, eo præsente, a quo lumen gloriæ & æternam justitiæ coronam subitò consequebantur? Multa hujusce generis notare possem, quæ diligenti lectori perpendenda relinquo; ne in conspectu adeo grandium spissorumque deliramentorum, minora errata perquirere, & amplificare videar. Hujusmodi sunt totus sermonis contextus, dictionum abusus, immò scurrilitas; frivola illa, & ad nauseam repetita quæ locuntur Dæmones; tum ea, quæ Principi suo tribuunt, quasi sponte sua Christum in infernum adduxerit; totius insu-

insuper iterata mortuorum inferni commemoratio, eaque Sanctorum animabus accomodata; quarum tamen quum meminerit Dominus in Evangelio; dixit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed viventium* (Matth. 22. 32.) Horum alia evitare nescisse Augustinum acutissimum illud ingenium; alia, contraria esse Evangelicis eloquiis ignorasse: nemo sobrius poterit suspicari.

9. Ad quartum accedamus propositum momentum, scilicet hanc orationem D. Thomæ sententiis obesse. Jam demonstratum est Divum Thomam verbis hujus sermonis duas sententias suas confirmasse; videlicet, S.S. Patres antiqui Testamenti apud inferos fuisse ob reatum originalis peccati; tum etiam doloribus cruciatos, donec Christo descendente, ab iisdem eriperentur. Hactenùs dicta, ad ostendendum nullum reatum originalis peccati animabus Sanctorum a carne solutis inhæsisse; hic repetita esto; quibus vincendis, nullum ab hoc sermone suffragium erui posse confido. Non enim tanti valent pauca illa verba, *omnes justos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit*; quæ unica sunt in hanc rem. Nec etiam assequor, quomodo D. Thomæ hæc adeo verba probata fuerint, quin proximè sequentia illum in suspicionem auctoris adduxerint; *peccatorum*; inquit auctor sermonis, *tenebris obcæcatos splendida luce perfudit*. Etenim si istas *peccatorum tenebras*, significare velimus caligine, & aqua dæmones, & ceteri sepiebantur damnati: nunquam concordabimus cum Evangelistæ oraculis dicentis, divitem a longe Abraham vidisse, & Lazarum in sinu ejus: & rursus, chaos magnum intercessisse, quo dives tamdiu a paupere segregabatur, *ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare*. Mens igitur auctoris, quum *peccatorum tenebras* memoravit, non locales tenebras respiciebat, sed potius delictorum effectus in iis qui peccaverant; quod D. Thomæ placere non potest, saltem quia docebat, antiquos Sanctos, non peccatorum, sed solius originalis peccati vinculo teneri.

10. Et quamvis ipse eas voces hujus Concionis adoptaverit, quòd *lacrymabili obsecratione Christum orabant*: (p. 3. q. 52. ar. 2.) numquam tamen hanc lacrymabilem obsecrationem, Christo præsente, tribuisset animabus illis lumine gloriæ, atque perfecta felicitate jam donatis, quod intrepidè facit auctor Sermonis n. IV.

11. Præterea desperatio, qua tabescere describuntur animæ justorum aliena prorsus est a tanti Doctoris sensu, qui dixit ipsas gaudium magnum habuisse ex spe gloriæ consequendæ. Æquè etiam a sua Doctrina, abhorret, quod dæmonibus in sermone affingitur, eos nimirum tortores & percussores captivorum fuisse Sanctorum; dum ipse ab omni pœna sensibili Sanctos in Limbis absolvit.

12. Ex alio etiam capite, doctrina sermonis opponitur Doctrinæ D. Thomæ. Docuit enim iste, ut supra animadvertimus, non omnes in Purgatorio existentes animas ab eo supplicio tunc fuisse ereptas.

E con-

E contrariò auctor Orationis n. 1. dicit, *Omnia* Christum ad se traxisse post mortem, *qui de electis suis apud inferos nullum reliquit*. Quumque omnes purgantes animæ inter Christi electas necessariò sint numerandæ: omnes pariter inde tunc liberatas fuisse consequitur, contra mentem D. Thomæ. Qui quoniam hunc Sermonem Augustinianum censebat: hinc profectò favorabiliùs explicasset testum Epistolæ ad Evodium, ex quo liberationem omnium purgantium animarum haud consequi opinabatur; qui tamen textus non facilè suam patitur interpretationem, ut perpendimus suprà.

13. Hæc omnia dum mecum reputo, ultra jam recitatas Sermonis repugnantias, immanesque defectus; sentire profectò cogor, D. Thomam totam Concionem hanc in sua fonte minimè legisse; sed pauca ejusdem verba, a quoquam alio relata, veluti Augustiniana, ex scripsisse. Totam namque legens Doctor Angelicus, illud, quod postea de hoc fœtu judicium pronunciatum est antecessisset, mirabili; qua pollebat ingenii vi; & multò antea ostendisset Sancti Augustini nomine indignum. Proclive enim erat agnoscere, quantum sermonis œconomia Augustinum non sapiat; quantum tot sententiarum pugnæ Patrem acutissimum dedeceant, quàm demum debile præsidium hinc veniret suis adstruendis opinionibus, dum contraria in eadem Oratione pari constantia asseruntur. Sed utinam totum Sermonem percurrisset! Sicuti enim posteris in hac adoptione præeessit, atque auctoritate sua eosdem, vel a tali scripto legendo prohibuit, vel ab examinando atque rejiciendo deterruit: ita dum saltem anceps ipse de auctore fieret, non respuisset Augustinianas Doctrinas istis omnino, ut vidimus oppositas, veluti ab hoc sermone retractatas.

14. Proinde statuere fas esse arbitror, hunc sermonem S. Augustini non esse, ubi etiam Lovaniensium, nec non Maurinorum, juxta, & brevis censura deesset. Ideoque confirmo magni Augustini sententiam de Beatitate Justorum statim post mortem, nunquam a Sancto Patre retractatam; quod evidentiùs patebit ex his, quæ sequens complectetur.

CAPUT VIGESIMUM.

Alia recensentur, in quibus S. Augustinus videtur ambiguus circa statum electorum. Explicantur, atque ostenditur, nunquam eum de illorum beatitate dubitasse, ubicumque fuerint.

1. EA priùs referre præstat, quæ mihi objecta fuerunt, quum primùm hanc proposui quæstionem, magnam profectò, & hoc sæculo novam. Postea subdam quæ alibi reperi, quibus multi ducuntur ut credant, a præsenti Scholarum sensu non abesse S. Augustinum, quia sanctorum animas quiescentes dixit in Sinu Abrahæ. Istud libentissimè ego etiam do, præterea adjiciens, infinitis penè locis id repe-

repetere S. Doctorem; dummodò adversantes vicissim concedant mihi, hujus quietis intelligentiam aliam nunc Scholis esse, aliam & longè diversam semper fuisse Augustino. Hic enim requiei nomine intelligebat revelatam beatificam præsentiam Dei, quam Theologi concordi nunc voto Sinui Abrahæ denegant. Sinum verò istum, ideit locum in quo tali quiete justi fruebantur, ad inferos pertinere Augustino videbatur incertum. Ipse enim Evangelicis suffultus eloquiis ad Evodium, & Dardanum scribens, potiori jure negari, quàm affirmari posse ostendit, Abraham tunc fuisse apud inferos, scilicet ne Evangelicæ sententiæ vis fiat, quæ de Abrahæ sinu loquens nequaquam inferna nominavit. Si verò aliquando dixit, justos illos apud inferos fuisse: id semper hæsitans pronunciavit, nunquam illis tribuens ignavam requiem nuper excogitatam; multò minùs dolores atque molestias; sed immò eos cum Deo felices atque beatos jugiter fuisse asseverans.

2. Insigne hujus veritatis Testimonium ea ipsa suppeditant, quæ mihi objecerunt ex Enarratione super Psalmum 85. ad verba, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, ubi legitur „ Nondum enim Do„ minus venerat ad infernum; ut erueret inde omnium Sanctorum „ præcedentium animas, & tamen Abraham in requie ibi erat. „ Ita hæc ab Augustino dicta plerique arbitrantur, ut planè docuerit, justas antiquorum animas in inferis manentes, & ab inferis erutas a Christo descendente. At requiem interim dissimulant, quam etiam ibi Abrahæ concedit Augustinus, & quæ juxta sensum suum beatitudinem significat. Talem fuisse Sancti Patris mentem in hoc textu manifestè capiemus; dummodo non relata tantum verba legamus, sed quæ præcedunt, & subsecuntur. Solemnis hujus diligentiæ meæ nunquam me pœnitebit; quippe ab experto didici, raro pauca verba ex suis scriptis genuinam S. Augustini mentem aperire; præsertim si in magnis quæstionibus, & ab illis hominibus referantur, qui parcè Augustinum citant, parciùs legunt, parcissimè secuntur. Plura exempla suppeditat nostri temporis historia, quæ prætereo. Interim sequentia legenti patebit, me non in cassum etiam hæc summis digitis attigisse.

3. XVII. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*. Quod dicimus, „ fratres, hoc si non vobis tamquam certus exposuero, ne succensea„ tis. Homo sum enim, & quantum conceditur de Scripturis san„ ctis, tantum audeo dicere, nihil ex me. Infernum nec ego exper„ tus sum adhuc, nec vos; & fortasse alia via erit, & non per in„ fernum erit. Incerta sunt hæc. Verùm quia dicit Scriptura, cui „ contradici non potest, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, in„ telligimus tamquam duo inferna esse, superius & inferius. Nam „ unde infernum inferius, nisi quia est infernum superius? Aliud „ non diceretur inferius nisi in comparatione illius superioris partis. „ Videtur ergo, Fratres, esse habitatio quædam cœlestis Angelorum,

„ ubi

„ ubi vita ineffabilium gaudiorum, ubi immortalitas, & incorruptio, „ ubi omnia secundùm Dei donum ad gratiam permanentia. Illa „ pars rerum superna est. Si ergo illa superna est, hæc terrena, ubi „ caro, & sanguis, ubi corruptibilitas, ubi nativitas & mortalitas, „ ubi decessio atque successio, ubi mutabilitas & inconstantia, ubi „ timores, cupiditates, errores, lætitiæ incertæ, spes fragilis, caduca „ substantia, puto quia omnis ista pars non potest comparari illi Cœ- „ lo, de quo loquebar paulo ante. Si ergo illi parti hæc pars non „ comparatur, illa superna est, hæc inferna. Et post mortem quò „ hinc, nisi sit infernum inferius hoc inferno, in quo sumus in „ carne, & ista mortalitate? *Corpus enim mortuum est*, ait Apostolus, „ *propter peccatum*. Ergo & hic sunt mortui, ut non mireris, quia „ infernum dicitur, si mortuis abundat, non enim ait corpus mo- „ riturum, sed corpus mortuum est. Adhuc habet vitam, utique cor- „ pus nostrum, & tamen comparatum corpori illi, quod futurum „ est, qualia sunt Angelorum corpora, invenitur corpus hominis „ mortuum, quamvis adhuc habens animam. Sed rursus ab hoc in- „ ferno idest ab hac parte inferni est aliud inferius, quò eunt mor- „ tui, unde voluit Deus eruere animas nostras, etiam illuc mittens „ Filium suum. Etenim, Fratres, propter ista duo inferna missus „ est Filius Dei, undique liberans. Ad hoc infernum missus est na- „ scendo, ad illud moriendo. Propterea vox ejus est in illo Psalmo, „ non quoquam homine conjiciente, sed Apostolo exponente, ubi „ ait. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*. Ergo aut ipsius „ vox est & hic, *Eruisti animam meam ab inferno inferiori*: aut nostra „ vox per ipsum Christum Dominum nostrum, quia ideo ille perve- „ nit usque ad infernum, ne nos remaneremus in inferno.

„ XVIII. Aliam etiam opinionem dicam. Fortassis enim apud „ ipsos inferos est aliqua pars inferior, quò traduntur impii, qui plu- „ rimùm peccaverunt. Etenim apud inferos, utrum in locis quibus- „ dam fuisset jam Abraham, non satis possumus definire. Nondum „ enim Dominus venerat ad infernum, ut erueret inde omnium „ Sanctorum præcedentium animas, & tamen Abraham IN REQUIE „ IBI ERAT. Et quidem dives, quum torqueretur apud inferos, quum „ videret Abraham, levavit oculos. Non enm posset levatis oculis vi- „ dere, nisi ille esset SUPERIUS, ille inferius. Et quid ei respondit „ Abraham, quum diceret, *Pater Abraham mitte Lazarum ut intingat* „ *dignitum suum, & stillet in linguam meam, quoniam crucior in hac* „ *flamma? Fili*, ait, *memento quia recepisti bona in vita tua, Lazarus* „ *autem mala. Nunc autem hic requiescit, tu vero torqueris. Et super* „ *hæc*, ait, *inter nos & vos magnum chaos firmatum est, ut nec nos pos-* „ *simus venire ad vos, nec inde aliquis venire ad nos*. Ergo inter ista „ duo fortasse inferna, quorum in uno QUIEVERUNT ANIMÆ JUSTO- „ RUM, in altero torquentur animæ impiorum, attendens quidam „ orans hic jam in corpore Christi positus, & orans in voce Chri-

„ sti, eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit, quia „ liberavit se a talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta „ inferni inferioris. Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, sic „ te tracta, requiesce, his cibis utere, nam si non feceris ægrotabis: „ tu autem si feceris, & salvus fueris, rectè dicis medico, liberasti „ me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras „ ...... Ergo, Fratres, sive illud sive illud sit, hic me scrutatorem „ verbi Dei, non temerarium affirmatorem teneatis. (D. Aug. 4. Tom. Enar. in Ps. 85.)

4. Nihil igitur hic definiisse S. Augustinum, patet. Magis enim videtur exposuisse quæ circa illius Psalmi locum possent intelligi, quàm patefacisse quid ipse amplius probaret. Primò enim monstravit, terram hanc superius infernum, illud autem sub terra infernum inferius intelligi posse: tum conjiciendum esse ait ea verba de Domino Jesu Christo prædicta, quemadmodum certissimum est Christo pertinere alia his consonantia, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*; tertiò dicit, quòd fortasse ex superioris & inferioris inferni distinctione, sinus ille Abraham possit intelligi, quem superiorem fuisse ex Evangelio demonstrat. Hæsitationem verò suam ostendit subdens „ Etenim apud inferos utrum in locis quibusdam fuisset jam Abra- „ ham, non satis possumus definire. „ Cur verò definire non possit reliqua aperiunt: „ Nondum enim, inquit, Dominus venerat ad in- „ fernum, ut erueret inde Sanctorum præcedentium animas, & ta- „ men Abraham IN REQUIE IBI ERAT. „ Quasi diceret, nonnulli etiam hoc opinantur, quòd Christus pro Abraham, atque pro iis, qui cum eo erant, descenderit in infernum. Quid verò iisdem tribuere potuisset, nisi requiem, quam ipsum inferni nomen excludit? At, etiam priusquam descenderet Dominus, animæ illæ justæ requie fruebantur: videtur ergo nihil ipsis in suo descensu tributum, per quod earum jam felix immutaretur status. Quæ hic veluti incertus Sanctus Pater enunciat, dilucidissimè exposuerat Evodio scribens: „ UNDE ILLIS JUSTIS, QUI IN SINU ABRAHÆ ERANT, QUUM ILLE „ IN INFERNA DESCENDERET, NONDUM QUID CONTULISSET INVENI, „ A QUIBUS EUM, SECUNDUM BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVI- „ NITATIS, NUNQUAM VIDEO RECESSISSE.

5. Ejusmodi est alter S. Patris locus (7. Tom. de Civit. Dei l. 20. c. 15.) ubi ait: „ Si non absurdè credi videtur, antiquos etiam „ Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt Fidem, locis quidem, A „ TORMENTIS IMPIORUM REMOTISSIMIS, sed apud inferos fuisse, do- „ nec eos inde Sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret: pro- „ fectò deinceps &c. „ Hic namque, ut latiùs exposui in Vindiciis Augustinianis (cap. 16.), Sanctus Pater iis incumbens, quæ proposuerat explicanda, ab hac quæstione paucis se expedit, ne a proposito diverteret. Incipiens tamen. SI NON ABSURDE CREDI VIDETUR, men-

mentem suam minus apertam quibusdam reddidit, qui putaverunt, verba ista dubitationem præseferre, quæ diligentiùs inspecta potius continent S. Patris definitionem ab opponentium interpretatione prorsus alienam. Non enim putabat, posse absque absurdo credi, antiquos sanctos ante Christum in inferis fuisse: sed id vix absque absurdo conjici posse innuebat, quia Evangelica eloquia, de Abraham & Lazaro loquentia, inferos non nominant queis tormenta competunt, a quibus remotissimos ibidem securè pronunciat Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt Fidem. Sed si, quod volunt, hic Augustini textus hæsitationem præsefert: dubitatio ipsa, non statum respicit Sanctorum, quos eadem verba ab impiorum tormentis præclarè segregant, sed locum, quamvis a tormentis impiorum remotissimum, tamen apud inferos. Nimis autem abutimur S. Augustini mente, si a quæstione de loco, in qua incertus esse poterat, definitionem status, suæ constanti doctrinæ contrariam, conficere nitamur. Ipse enim credidit, & multis ostendit, Sanctos, licèt apud inferos putari possent absque absurdo: attamen in requie felici & beata quiete etiam ibi consedisse.

6. Idipsum innuit, quum ait (2. p. 3. Tom. Quæst. Evang. l. 2. 38. n. 3.) „ Quamquam illa receptio (in æterna scilicet Tabernacula) utrum statim post istam vitam fiat, an in fine sæculi in resurrectione mortuorum, atque ultima retributione judicii, non minima quæstio est. „ Putabatur enim a plerisque, non solum perfectam ex omni parte gloriam tribuendam esse animabus ad corporis immortalis resurrectionem, quod omnibus Theologis probatum est etiam nunc: sed insuper opinabantur, faciendam tunc esse animarum transmigrationem de uno ad alium locum, ubi Deum in majore adhuc gloria, & majestatis decore essent visuræ. Hanc Augustinus intactam sæpissimè quæstionem relinquit. Attamen docuit semper, antiquorum justorum separatas animas ubicumque essent, ibi Deum intuitivè vidisse, proindeque vera beatitate donatas. Ita 6. Tom. in Enchiridio ad Laurentium (cap. 109.) „ Tempus autem, ait, quod „ inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, „ animas abditis receptaculis continet „: Item libro de Cura pro mortuis gerenda (6. Tom. cap. 3.) *occultas piorum sedes* commemorat. Sed in illo addit, SICUT UNAQUÆQUE DIGNA EST VEL REQUIE VEL ÆRUMNA, PRO EO QUOD SORTITA EST IN CARNE DUM VIVERET: in isto, JAM QUIETOS IN OCCULTIS ILLIS SEDIBUS PIOS ESSE confirmat. Pariter 7. Tom. lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. quod ait: Cujus pars (nimirum Civitatis Dei, quæ ex Angelis & hominibus bonis una coalescit) „ quæ conjungenda immortalibus Angelis ex „ mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur „ in terris, vel in eis, qui morte obierunt, SECRETIS ANIMARUM „ RECEPTACULIS, SEDIBUSQUE REQUIESCIT: „ non de negatione beatitudinis intelligendum est, sed de loco, quo interim homines sancti

X 2 beati

beati sint ; juxta illud Prophetæ , (Ps. 149.) *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. Revera neque Ludovicus Vives ita interpretari posse hunc locum putavit, ut de beatitate Sanctorum instrueretur dubitatio; hæc enim addit : *Non dubitat Augustinus* DE EARUM GLORIA *etiam ante judicium*, *sed* DE LOCO GLORIÆ . Quæ verò causa hunc Scoliastem impellere poterat, ut id definiret, nisi constans S. Patris doctrina de beatitate Sanctorum statim post eorum mortem, penè in omnibus libris suis repetita, & quæ dilucidè eruitur ex ipsis hujusce loci antecedentibus verbis , cui attentissimè illustrator incubuit. Dixerat enim S. Doctor : „ Confitendum est igitur cum debi„ ta laude Creatoris, non ad solos Sanctos homines pertinere, verum „ etiam de Sanctis Angelis posse dici, quòd Charitas Dei diffusa sit „ in eis per Spiritum-Sanctum qui datus est eis; nec tantùm homi„ num , sed primitùs , præcipuèque Angelorum bonum esse , quod „ scriptum est : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* . Hoc bonum , „ quibus commune est, habent & cum illo, cui adhærent , & inter „ se societatem sanctam, & sunt una Civitas Dei , eademque vivum „ sacrificium ejus, vivumque templum ejus. „

7. Nemo igitur, qui Augustini Doctrinas rectè percipiat , inficiari poterit , ex eodem fonte Angelorum opera bona æque ac hominum semper processisse, scilicet ex infusione & diffusione charitatis , qua Deus tum illos, tum nos convertit ad se per Spiritum Sanctum, qui datus est & illis & nobis. Quo factum est, ut primò Angeli, utpote ante hominem, secundùm plurimorum sententiam creati, Deo adhærerent , in eaque adhæsione implerentur ab eo , qui illos se capaces ex nihilo bonos creatos, se ipso implendo meliores effecit, ut sapienter beatèque in ejus participatione viverent: homines verò postea vel in Adam obediente, vel in pœnitente Deo adhæreant, hac charitate per eumdem Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffusa. Hinc consequitur, quòd si hujus charitatis præmium perfectissimè jam consecuti sunt Angeli a suæ adhæsionis momento , quia naturæ simplicis habentur: hoc ipsum Spe nunc consequatur hominum natura composita Deo adhærens, re autem tunc demum consecutura sit quum Sancti æquales fient Angelis Dei; nimirum quum etiam corpus gloriosum recipient, in quo erit totius humanæ naturæ completa perfectio. Interim tamen hoc exuto carcere , ei conjunguntur spiritu , cui Fide adhærebant; & ubicumque conjungantur , ibi implentur & beati sunt. Adhærebant autem Deo spiritu etiam in corpore : ergo exuti corpore, spiritu solo apertè conspiciunt Deum, & Sanctùm-Spiritum, per quem talia operati sunt, cuique jam adhærebant. Etenim etiam nobis, *adhærere Deo bonum est*.

8. At si Sancti Deo adhærentes, illique conjuncti , interim putarentur Angelorum societate privati : num ideò a beatitate, quæ in visione Dei consistit, retardarentur ? Num Civitas illa Dei una adhuc non perseveraret, quam neque corporis hujus mortalis sarcina separat?

parat? Aliquantula enim beatitate nunc etiam fruimur Deo servientes; quæ procul dubio amplior efficitur, quum separata a corpore anima, a tentationibus vitæ hujus emergit; atque corporis depositis impedimentis, in illud summum bonum revelatum effertur, quod desideravit occultum. Pariter Angelorum choris orantes conjungimur; atque ita semper una Dei Civitas, quamvis tot spatiis separata, in Dei laudibus & operibus bonis perseverat, atque uno vinculo charitatis, ex bonis Angelis & justis hominibus coalescit. Igitur sicuti nostra in terris peregrinatio unitati Civitatis Dei non officit: ita officere non potest a Paradiso Paradisorum, in quo Angeli apud Patrem sunt, animarum sanctarum interjecta separatio. Ipsæ nimirum sincero interea fonte beatitudinis lætantur; quamvis societate visibili careant Angelorum, reliquorumque Sanctorum, qui nondum vel nati vel mortui, & tamen a constitutione mundi prædestinati sunt, donec *Fratrum* numerus impleatur. Sanctas igitur animas meliora expectare posse in secretis interim receptaculis collectas S. Augustinus innuerat: attamen in hac etiam expectatione eas requiescere dixit, hoc est a spe futuri amplioris gaudii adeò non moveri, ut Deo interim solo perfectè contentæ non sint, proindeque in illo requiescant; quo si orbarentur nusquam & nunquam quietem invenirent. Id ipsum apud omnes Catholicos verum est circa Sanctorum animas, quæ post Christum mundo decesserunt. Quamvis enim corpora resumere optent, ut quod passionis socium fuit, sit & consolationis: tamen Paradisi gaudiis ex hoc defectu negari non possunt impletæ. Sapiens enim melioris status desiderium, boni præsentis non imminuit commodum.

9. Denique S. Augustinum de locorum differentia dubitasse, nunquam autem de beatitate Sanctorum apud Deum, sive veteris, sive novi Testamenti, illud præ ceteris demonstrat, quod (1. p. 3. Tom. lib. 12. de Gen. ad litt. c. 34.) scriptum est. Hunc textum summa attentione dignum puto, quia ad patefaciendam Sancti Patris mentem adeò aptus est, ut quocumque alio loco S. Doctor locutus sit vel de requie Sanctorum, vel de eorumdem secretis receptaculis: semper intellexisse sentiendus sit, quod sequentia verba præseferunt. „ Quapropter, inquit, quoniam de Paradiso sermonem instituimus, „ propter illud, quod Apostolus ait, *scire se raptum hominem usque in* „ *tertium Cœlum*, *nescire autem sive in corpore*, *sive extra corpus*: *&* „ *quia raptus est in Paradisum*, *& audivit ineffabilia verba*, *quæ non li*„ *cet homini loqui*: non temerè affirmamus utrum in tertio cœlo sit „ Paradisus, an etiam in tertium cœlum, & inde rursus in Paradi„ sum raptus sit. Si enim propriè quidem nemorosus locus, transla„ to autem verbo, omnis etiam spiritualis quasi regio, UBI ANIMÆ „ BENE EST, meritò Paradisus dici potest: non solum tertium Cœ„ lum, quidquid illud est, quod profectò magnum, sublimiterque „ præclarum est, verum etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ

„ con-

„ conscientiæ, Paradisus est. Unde & Ecclesia in Sanctis, temperanter, & justè, & piè viventibus, Paradisus rectè dicitur, pollens affluentia gratiarum, castisque deliciis: quandoquidem & in tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimum gaudens, quia secundùm multitudinem dolorum in corde, consolationes Dei jocundant animam ejus. Quantò magis ergo post hanc vitam etiam SINUS ILLE ABRAHÆ PARADISUS dici potest, ubi jam nulla tentatio, ubi TANTA REQUIES post omnes dolores vitæ hujus? Neque enim & LUX IBI NON EST propria quædam, & sui generis, & profectò MAGNA, quam dives ille de tormentis & tenebris inferorum, tam utique de longinquo, quum magnum chasma esset in medio, sic tamen vidit, ut ibi illum quondam contemptum pauperem agnosceret. (66) Quæ si ita sunt, ideo sub terris dicuntur inferi, vel creduntur, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demonstrantur, ut quoniam defunctorum animæ inferis dignæ, carnis amore peccaverunt, hoc eis per illas corporalium similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet, ut sub terris recondatur. Denique inferi, eo quod infra sint latinè appellantur: sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundùm spiritum inferiora omnia tristiora. Unde & in Græca lingua origo nominis, quo appellantur inferi ex eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. Nec ipsam tamen rerum partem noster Salvator mortuus pro nobis visitare contempsit, ut inde SOLVERET QUOS ESSE SOLVENDOS SECUNDUM DIVINAM, SECRETAMQUE JUSTITIAM IGNORARE NON POTUIT. Quapropter animæ illius Latronis, cui dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso*, non utique inferos præstitit, ubi pœnæ sunt peccatorum; sed aut illam REQUIEM SINU ABRAHÆ, non enim alicubi non est Christus, quum ipse sit Sapientia Dei attingens ubique propter suam munditiam; aut ILLUM PARADISUM, sive in tertio Cœlo, sive ubicumque alibi sit, quo post tertium Cœlum est raptus Apostolus, SI TAMEN NON ALIQUID UNUM EST DIVERSIS NOMINIBUS APPELLATUM, UBI SUNT ANIMÆ BEATORUM. (67) Si ergo Cœlum primum rectè accipimus hoc omne corporeum generali nomine quidquid est super aquas & terram. Secundum autem in similitudine corporali, quod spiritu cernitur, sive illud, unde animalibus plenus in extasi Petro discus ille submissus est. Tertium verò, quod MENTE conspicitur ITA SECRETA ET REMOTA, & omninò abrepta a sensibus carnis, atque MUNDATA, ut ea, quæ in illo Cœlo sunt, & IPSAM DEI SUBSTANTIAM VERBUMQUE DEUM, per quod facta sunt omnia IN CARITATE SPIRITUS-SANCTI INEFFABILITER VALEAT VIDERE, ET AUDIRE: non incongruenter arbitramur, & illuc esse Apostolum raptum, & ibi fortasse esse Paradisum omnibus meliorem, & si dici oportet PARADISUM PARADISORUM.

„ sorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis est in omni „ creatura, quid ea lætitia præstantius, quæ in verbo Dei est, per „ quod facta sunt omnia? „

10. Non me latent notata 1. Tom. I. 2. Retr. c. 24. a magistro meo, hunc locum recolente & quæ superius de inferis dixerat. „ In „ duodecimo, inquit de inferis magis mihi videor docere debuisse, „ quòd sub terra sint, quàm rationem reddere, cur sub terris esse „ credantur, sive dicantur, quasi non sint. „ Si quis dubitaret, utrum Sanctus Pater hic inferos nominans, sola indicet pœnalia loca an etiam Sinum Abrahæ: parvo labore dignoscet, nullo modo Augustinum de hoc sinu loqui voluisse, tum ex verbis suis in eo loco de Genesi ad litteram, tum multo magis ex iis quæ alibi de hac re docuerat. Nam si volebat etiam Sinum Abrahæ complecti sub nuncupatione inferorum: cur reliqua non retractavit, quæ nulla unquam ratione accomodari possunt inferis damnatorum. Dixerat enim in eodem libro & loco, quem hic retractat, quòd si Ecclesia militans Paradisi nomine rectè dessignatur, multò magis Abrahæ sinus dici potest Paradisus, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies. Num putandum erit Paradisi, & inferni, quietis & pœnarum vocabula promiscua fuisse S. Augustino; quum ipse affirmet inferos nunquam in bonum accipi secundum Scripturam, atque istud, uti vidimus, sæpius confirmet robustissimis argumentis? Rursus ubinam improbatum inveniemus, quod fidenter ibidem scripsit, nimirum spiritui Latronis, quando Paradisus a Redemptore nostro promissus est, vel hunc Sinum Abrahæ fuisse donatum, vel illum Paradisum, ad quem fuit raptus Apostolus, ratione desumptà a Christi præsentia ubique diffusa, inquiens, quoniam iste est Sapientia attingens ubique propter suam munditiam?

11. Quamobrem si Paradisus, ad quem fuit raptus Apostolus, pœnitenti Latroni concessus est: fateri debemus; Latronem ingressum esse Paradisum, antequam eò Redemptor secundùm carnem ascenderet: & tunc minus mirandum videretur, si ante hunc antiqui justi in eumdem Paradisum fuissent evecti. Illo enim *Hodie*, quo promisit Christus Latronem secum futurum: ipse secundùm corpus in sepulcrum, secundùm animam verò in infernum certissimè erat descensurus. Si verò intelligamus, requiem Sinus Abrahæ Latroni concessam: continuò cognoscimus, Divinam Sapientiam etiam ante hunc descensum ibi manifestam fuisse, non ex mente Augustini tantùm, sed ex Evangelio documento. Supervacaneum etenim erat textum illum adducere, quo præsentia Dei, qui ubique est per suam essentiam, distingueretur a præsentia Christi, qui non ubique est secundùm assumptam humanam naturam. (Vide D. Thomam 3. p. q. 52. art. 3.). Quoniam si antiqui justi præsentia Dei tunc tantùm donabantur, quando anima Christi ad eos descendit; satis utique erat, si Augustinus dixisset, ad quem Sinum Abrahæ,

brahæ, quum Deus Filius animæ humanæ hypostaticè unitus, ante Latronem esset descensurus; Latro postea adveniens, jam Paradisum effectum fuerat iuventurus. Sed meminerat S. Doctor eorum, quæ ad Evodium scripserat, Deum nimirum nunquam secundùm beatificam præsentiam suæ Divinitatis a Sinu Abrahæ recessisse. Ideoque sicuti optimè prospexit, quòd distinguendo Sinum Abrahæ a Paradiso, eadem essentialis beatitudo duobus in locis ponebatur: ita quasi hæsitans, sed reapse doctrinam confirmans alibi auctoritatibus & rationibus fundatam, dixit: „ SI TAMEN NON ALIQUID UNUM EST DIVERSIS NOMINIBUS APPELLATUM, UBI SUNT ANIMÆ BEATORUM. „ Quo posito, tantum abest, ut apud inferos sinus ille Abrahæ esset, quantum a veritate distaret qui apud inferos poneret tertium Cœlum, quò raptus est Apostolus. Unde colligamus, S. Augustinum in recensitis locis, qui mihi opponebantur, nec non in aliis in hoc capitulo commemoratis, ambiguum quidem quandoque vel fuisse, vel se esse monstrasse, de loco, ubi justorum animæ beatitate donarentur, nunquam verò sinceram beatitudinem sinui Abrahæ denegasse. Nunc ad alia, quæ huic sententiæ quasi contraria adducuntur, gressum faciamus.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Sanctorum Patrum in Sinu Abrahæ receptorum quies, nisi explicetur pro beatitate essentiali, qua potirentur; Scripturis, & rectæ rationi, & eorum Fidei speique, immo promissionibus Dei, adversari videtur.

1. QUoniam in Vindiciis Augustinianis, Deo adjuvante, ostendi; nec a Sermone 259, Editionis novæ, nec ab aliis textibus ex S. Augustini scriptis studiosè petitis, tanto Ecclesiæ Patri eam incumbere maculam, qua ipse veluti millenariorum fautor nunc etiam traducitur; sermone quidem ab ejus genuinis operibus velnti abraso; reliquis autem textibus juxta fidelem Sancti Doctoris mentem ex sua met doctrina explicatis: nimius nunc essem, si actum agerem, singula repetendo. Ea immo spe ducor; benevolum Lectorem (dum mei in hac re labores ipsi probentur) in propria sede, quæ dicta sunt, examinaturum. Videbit, summam rei eo deduci, ut ad purgandum undequaque Augustinum in textibus verè suis, qui objiciebantur, duæ ipsi opiniones sint tribuendæ; quarum altera beatas facit animas antiquorum justorum etiam ante Christi descensum in inferos; altera Angelos ponit ab eorum creatione materiali, & proprio corpore instructos.

2. Utramque tunc veluti per hypothesim proposui: iis tamen momentis, auctoritatibusque suffultam, ut diligentiores cognoverint, meditationes illas, non solum inservire ad S. Augustinum ab inflicta macula, vindicandum: verùm aliis etiam nominibus haud esse spernendas.

nendas. Multo majora adducere poteram, ut ex hactenus dictis constat. Temporis tamen haud esse me amicus commonuit, ut isto primùm opere, cujus plurimam partem jam tunc absolveram, in publicum prodire tentarem; ne rei novitas, turbas excitaret. Equidem nonnulli docti viri, quibuscum summa hujus operis capita communicaveram, (atque inter eos doctissimus, & semper mihi gratæ memoriæ Ludovicus Antonius *Muratorius*), litteris suis me ab hoc tractatu aliquatenus absterruerunt. Optimum itaque duxi, sententiam hanc eo adspectu hominum auribus primò insinuare, quo non subitò respueretur, immò pro ea, qua Catholicus quisque erga S. Patrem Augustinum veneratione ducitur doctiores allieeret, ad hoc etiam suæ defensionis caput patienter meditandum. Recogitantibus autem id fructus obventum iri speravi, ut harum opinionum antiquitate veritateque detecta; easdem, studiis in diversa mutatis, amplecterentur. At si aliter fieret: mihi tamen ex Vindiciis Augustinianis veluti præmium proposui, ut ab aliorum animadversionibus prudentior evaderem; ne quod justa fortasse ratione aliis displicere cognoverim, vellem sapere solus. Omnem interim declinabat invidiam earumdem opinionum (licèt minùs veræ judicarentur) hypothetica expositio; eo intentu, ut D. Augustinus ab erronea purgaretur dilatione beatitatis animarum Sanctorum: ideoque apud rectos rerum æstimatores, & S. Patris sinceros amatores, me bene meriturum præsumpsi.

3. Revera, dante Deo, res ex consilio cessit. *Muratorius* etenim Vindicias, rationemque argumentationum quibus absolvuntur pro sua benignitate omninò laudavit. Clarissimus vir, isque doctissimus Johannes *Lamius* in eamdem ivit sententiam, Vindiciarum consectaria prænoscens atque detegens, animumque addens ut ad majora contenderem. Plures denique alii vel scripto vel verbis, utilitatem laboris mei commendaverunt adeò, ut me adhortarentur ad spernenda quædam scripta, per summam invidiam multis Cremonæ dictata, quibus duæ recitatæ opiniones per me S. Augustino tributæ, inconsultò impetebantur. Substiti aliquantum. At verò intelligens non in discipulorum tantùm numerosis manibus talia scripta versari, sed aliis etiam ingeri; multosque provectæ ætatis viros hinc veluti nauseantes de Vindiciis loqui: ne defensio, a me multo labore, parata venerando Sancti Augustini nomini, in cassum caderet. ob hanc non valde felicem dictantis industriam: Dialogos tres vernacula lingua composui, duas jam dictas opiniones protecturus:

4. Itaque quum in Dialogis plura accesserint argumenta iis, quibus Vindiciæ Augustinianæ harum opinionum necessitatem atque robur ostenderant: hæc rursus jubent, ne jam tractata hic repetam; sed ad alia contendam, quæ sententiæ de beatitate Sanctorum ante Christum passum tum a Tournelis, tum a Scholasticis objiciuntur: alteram etiam, dum tempus suppetat, de Angelorum corpore, pro modulo meo illustraturus. Primò autem eum veluti receptum præpe-

dire opus est, quo quidam Scholastici cum Tournelis, quietem justis antiquorum animabus tribuentes, mitiùs agere putant quam D. Thomas, atque rem magis suspiciendam amplectendamque proferre.

5. Quum hoc nomen quietis, de statu loquentes animarum post corporis mortem, tum hæretici ab Ecclesia damnati usurpent, tum Catholici Theologi adhibeant: certissimum est alio istos sensu, alio & longe diverso illos hoc vocabulum intelligere. Calvinus post Lutherum in Prælectione in Genesim lib. 3. Instit. cap. 25. n. 6. ait, *Animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem consedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant*. Recentiùs Burnetus docuit, *Animas interim in intervallo mortis & resurrectionis, esse in statu quietis, silentii & inactionis*, idest nihil operantes, juxta ea quæ *Muratorius* (cap. 1.) narrat. Uterque ex suis verbis millenarii regni assertor apparet; quamvis ille temperantius isto, in hac quæstione locutus sit. Sapientissimè proinde ab Ecclesia, præclaris Apostolicis documentis suffulta, alter jam damnatus est, & in illo hic multo audentior. Si autem scrutari aggredimur unde suis erroneis dogmatis præsidia quæsierint: a vero fortasse non aberraverit qui dicat, putavisse illos, posse se laudabili quadam specie, aut certè minore invidia, eum statum accommodare animabus Sanctorum Evangelicorum, quem sciebant a nostris Theologis tribui animabus Sanctorum ante Christi passionem defunctorum. Et quamvis eò dispar ratio sit, quantum obscuritas veteris Testamenti a luce meridiana vincitur novi, in quo Regnum Cœlorum, & Beatitudo, & Dei visio revelata apertius promittitur statim post mortem: attamen, nisi concedamus, hæc beneficia antiquis etiam Patribus sub aliis obscurioribus verbis fuisse promissa, & reverà conlata: in audacia manebunt hæretici. Nam si concedere oportet eamdem tum veterum tum nostrorum esse Fidem, Spem, Caritatem, Gratiam, Religionem, eumdemque mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum; rursus si eadem gehenna utriusque Testamenti peccatores statim a morte excipiebat: difficillimè explicabimus, cur non idem præmium justi consequerentur antiqui; nullam super his, quod ego sciam, auctoritatem Divinam, quæ proferatur, habentes. E contrario si apud antiquos nomina refrigerii, solatii, gaudii, quietis & vitæ, æquè sonuisse docebimus, ac penes nos nunc sonant; insuper, si justis veteris Testamenti visionem Dei conlatam per hæc indicari tenebimus, non secus ac nobis: miror si hæretici eadem vocabula usurpare imposterum audeant, ad ignavam quamdam requiem tribuendam Sanctis etiam novi Testamenti usque ad carnis resurrectionem.

6. Et ut hanc Augustinianam sententiam libenter amplectendam nostri etiam Theologi agnoscant: non postulo ab eis utrum in significatione vocabulorum quietis & refrigerii ab hæreticorum sensu dissentire velint; velle enim scio: confiteor tamen me nondum intelligere utrum autem hanc dissensionem satis ostendant, quum hisce vocibus

cibus utuntur ad statum indicandum sanctorum antiquorum. Fortasse fiet, ut illorum quispiam inscitiæ meæ suis admonitionibus medeatur; meæ inquam, quem alacrem semper inveniet ad ea discenda, quæ cum Catholica Fide concordari posse monstrabit. Interim ea spe nutrior fore, ut quæ ad instructionem meam proferri contingat, cum Divi etiam Augustini aperta in hac re doctrina amicissimè convenire ostendantur; ne illud supersit, Doctorem Ecclesiæ celeberrimum, hujus Dogmatis fundamenta non solum ignorasse, sed immo adversus ea sæpius, & palam in suis genuinis operibus scripsisse.

7. Vidimus igitur, Burnetum quietem & silentium omnibus animabus justis tribuere usque in diem extremi judicii, quamvis interim non videant Deum. Nostri pariter Doctores, quietem & refrigerium omnibus Sanctis concedunt: cum hoc tamen discrimine, ut hæc requies, atque hoc refrigerium significent vitam æternam, visionem scilicet Dei statim a morte concessam justis, qui post Christi passionem occubuerunt. At quum de illis sermo instituitur, qui quamvis eodem justitiæ præconio a Deo insigniti, tamen ante Christi passionem defuncti sunt: prætendunt quietem & requiem, ab Evangelio his quoque tributam sub vocabulo *consolationis*, longe diversum peperisse effectum; quippe qui sentiant, vitam æternam, beatitatem, & demum Dei visionem antiquos illos minimè consequi potuisse, nisi Christi Domini passione consummata. Si autem postuletur quid interim agerent, quemve statum haberent animæ illæ justæ: non una omnibus responsio est. Divus enim Thomas docet, quod doloribus interim angerentur propter gloriæ dilationem; cui respondimus supra. Recentiores verò nomina eadem repetunt, de quorum significatione quæstio est, dicentes nimirum, in quiete & requie eas interim consedisse Christi adventum expectantes, orbatas tamen visione Dei, quia nondum tempus advenerat mercedis consequendæ. Nunquam propterea juvabit hæreticos quietem conclamantes D. Thomæ Doctrina, justa ratione dicentis, animas antiquorum a visione Dei sui amotas, pœna damni cruciari: recentiores verò eorumdem nominum usurpatione ab hæreticis urgebuntur. Igitur examinandam suscipio quietem & requiem, animabus Sanctorum veterum a recentioribus tributam absque visione Dei; ut si fortè constiterit hanc a doloribus separari non posse: tutius appareat cum S. Augustino confiteri, eas in essentiali beatitudine tamdiu fuisse. Ita omnis blaterandi ansa hæreticis abripietur, atque Ecclesiastico dogmati ex hoc etiam capite, multorum sæculorum Fides accrescet.

8. Enim verò, si vocabulum quietis menti nostræ repræsentet statum quemdam ignavum silentii, & inactionis, cui nec dolor suppetat, nec gaudium: continuò Burneti audacibus somniis assentimur, quæ & ipse Tertullianus exsuflat, quamvis juxta Tournelium, millenarii regni infectus errore. Magnum quippe illud ingenium conside-

rans hujuscemodi quietem a nonnullis etiam ætate sua excogitatam, quam somnum propterea dicebant, quia mortui *dormientes* appellantur in Scripturis, sic ait. „ Quid faciemus ? Dormiemus ? At enim „ animæ nec in viventibus dormiunt; corporum enim somnus, quo- „ rum & ipsa mors. Aut nihil vis agi illic ? (de Anima cap. 58.): At si beatam quietem, felicemque lætitiam experiuntur illi spiritus, licèt fruitionem promissæ gloriæ expectant: jam cum Calvino ponere videbimur statum quietis & felicitatis absque visione Dei. Quid igitur non dormientes facient, interrogo. Nam si nihil, nec cogitabunt. Sed Calvino etiam dante, promissam gloriam præstolantur. Cogitabunt itaque. Atque ita statum a Burneti opinione diversum habebunt. Nec tamen in illo esse poterunt, quem Calvinus somniabat. Scientes namque Deum, ejusque gloriam expectantes, quomodo non dolebunt absconditum, quem tota mente amaverunt in corpore viventes, & nunc toto corde occultum concupiscunt.

9. Videlicet sciebant, mercedis consequendæ nondum advenisse tempus. Quando autem id cognoverint inquiro. Longe enim diversa spe in mundi tribulationibus nutriebantur. Noverant quippe, quod in Ecclesiastico unus ex suis tradidit (1. 11.) *Timor Domini* GLORIA, ET GLORIATIO, ET LÆTITIA, ET CORONA EXULTATIONIS. *Timor Domini* DELECTABIT COR, ET DABIT LÆTITIAM ET GAUDIUM, ET LONGITUDINEM DIERUM. Sed & id sciebant, quod sequitur. *Timenti Dominum benè erit in extremis*, ET IN DIE DEFUNCTIONIS SUÆ BENEDICETUR. Quid autem ex hac benedictione & lætitia, & gaudio Fideles opperirentur, exponit Propheta dicens: *Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi*, LÆTIFICABIS EUM IN GAUDIO CUM VULTU TUO. (Ps. 20.) Ita Isaias populum Israel ad amorem proximi, & ad observantiam sabbathi inflammans, ajebat. (cap. 58.) *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in Domum tuam: cum videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua*, ET GLORIA DOMINI COLLIGET TE. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiat, clamabis & dicet ecce adsum . . . . . . Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua & tenebræ tuæ erunt sicut meridies*. ET REQUIEM TIBI DABIT DOMINUS SEMPER, ET IMPLEBIT SPLENDORIBUS ANIMAM TUAM, *& ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. Si averteris a Sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaveris Sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem: Tunc delectaberis super Domino*, ET SUSTOLLAM TE SUPER ALTITUDINES TERRÆ, *& cibabo te hæreditate Jacob patris tui, os enim Domini loqutum est*. Igitur hac stabili spe nutriti, cum Sara Tobiæ junioris postea conjuge, quisque dicebat. *Hoc autem pro certo habet omnis*

omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, CORONABITUR. (Tob. 3.)

10. Ubi ergo hoc decretum de non videndo Deo, donec Christus manifestaretur in carne, in quem tamen manifestandum firma Fide credebant; ubi, inquam, hoc decretum didicerunt Sancti Dei quo illorum spes in plura sæcula differebatur, quos tamen constat in longe dissimili expectatione mundo defunctos? Unum responderi potest, nimirum post mortem. A quocumque autem hanc prolationem exciperent finis sui, qui porro gaudium de Deo erat doceant qui sic intelligunt quomodo in concussum stet verbum Domini, juxta quod ex relato Isaiæ textu, revelata præsentia Dei, statim a morte, justis antiquis promittebatur? Quam mercedem ea prorsus spe expectabant Sancti illi, quam S. Augustinus vult in Christianorum cordibus excitari recitatis. Prophetæ verbis. „ Frange, inquit, esurienti panem „ tuum, & egenum sine tecto induc in Domum tuam: si videris „ nudum, vesti, & domesticos seminis tui ne despexeris. Faciens „ autem ista quid consequeris? Tunc erumpet velut matutina lux „ tua. Lux tua Deus est, tibi matutina, quia post noctem sæculi „ tibi veniet: nam ille nec oritur nec occidit, quia semper manet. „ Erit tibi matutinus redeunti, qui tibi occasum fecerat pereunti. (Tract. 17. in Joh. n. 8.) Quid enim dicturus erat amicus ille Dei Moyses, adeò opposita firmæ spei suæ tunc audiens? Nam quamvis Scripturæ narrent, quod facie ad faciem loquebatur cum Deo, sicut aliquis loquitur ad amicum suum: ipse tamen altiore illustratus spiritu, oravit Dominum, ut ostenderet faciem suam, & manifestaret seipsum sibi: Quæ manifestatio illi post mortem promissa apparet, quia dixit ei Deus, *non videbit me homo & vivet*. Quid dicturus erat talia tunc primum noscens, quibus omninò contraria sperabat, vir ille secundùm cor Dei, qui bona spe repletus dicebat; *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* (Ps. 45.) Sanctus Chrysostomus hunc locum explicans, ait. „ Vide ardentem hominem, vide inflammatum. Sciens „ enim se, quum hinc recesserit, DEUM ESSE VISURUM, ne expectat „ quidem dilationem. (Exposit. in Ps. 41.) Cur non autem id securè dixisset S. Doctor? Sciebat videlicet divinam promissionem Davidi factam ex ore Nathan Prophetæ; qui postquam eum ab ædificatione Domus Domini prohibuerat, hæc addit: *Annuntio ergo tibi quòd ædificaturus sit tibi Dominus Domum* (1. Paralip. 17. 10.). Quam Domum adeò non terrenam habendam Chrysostomus cognoscebat, quantò minus terrenam Sanctus Rex intellexerat; qui æternam beatitatem statim a morte se præstolari multoties ostenderat, & præcipue in Ps. 4. 9 inquiens *In pace, in idipsum dormiam & requiescam*. Nonne (si communi Scolasticorum sententiæ veritas responderet) se ab ea expectatione confusum invenisset David, in quam firma Fide respi-

respiciens dicebat Domino, *Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam; & non confundas me ab expectatione mea?* (Pf. 118.) Quænam autem ejus fuerit expectatio, perspicuè declarat, dicens: *Et nunc quæ expectatio mea? Nonne Dominus?* (Pf. 18.)

11. Itaque quoniam infidelitatis Deum arguere, manifesta impietas est, justos autem illos audaciæ insimulare, maxima imprudentia, qui monstrabant se absque interposita mora illum expectare quem in plura sæcula non deberent adspicere: unum reponere possent contraria sentientes, nimirum Dei recitata promissa, non tempus post eorum mortem spectare, sed primum Christi adventum. Fortasse nonnullis ex relatis textibus hæc etiam interpretatio aliquatenus poterit aptari. Certum tamen est, homines, quibus hæc dicebat Dominus, non ita, ut hi vellent, eosdem textus intellexisse. Tobias enim, quum a proximis suis irrideretur, quod cæcus factus esset; spemque suam, & eleemosynas nullius fructus fuisse exprobrarent, respondit constanter. *Nolite ita loqui: quoniam filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui Fidem suam nunquam mutant ab eo.* (2.). Utrum Tobias usque ad Christi adventum retributionem animo differret pro bonis operibus suis, quibus, loco præmii, tribulationem Dominus rependebat in mundo, dum ipse interim bona futuræ vitæ malis objiciebat præsentibus: ii dicant, qui mercedis consequendæ tempus non advenisse opinantur usque ad adventum Christi. Vel enim temporalia tantùm bona antiquis justis promittebat Deus, vel æterna. Si temporalia: quomodo paupertas Tobiæ & cæcitas, & reliquæ tentationes (quæ certè bona non sunt) promissis conveniunt? Si verò æterna: cur non post vitam istam damnatam ea fideliter expectarent sancti illi viri? Tunc enim incipiunt æterna, quum hæc mutabilia cessant.

12. Sed temporalibus promissis æterna fuisse indicata atque intellecta, non solùm Job, & Tobiæ & Lazari exempla demonstrant, sed alia insuper momenta, quæ D. Augustinus 8. Tom. contra Adimantum Manichæi discipulum (cap. 18., & 19.) sapientissimè persequitur. Quum enim Manichæi ostendere conarentur, Evangelii dogmatibus, contraria esse antiqui Testamenti dogmata: id præcipuè objiciebant, quòd antiquis temporalia bona promitterentur, Christianis autem non; immò eorumdem spretus, & voluntaria renunciatio doceretur a Christo; atque idcirco vetus Testamentum respuendum contumaci voce clamabant. Contra istos igitur ita agit S. Augustinus. „ De eo, quod in Deuteronomio (cap. 28.) scriptum est. *Si aure* „ *audieris vocem Domini Dei tui, benedictus es in agro tuo, benedictus* „ *es in prato tuo, benedictus fructus ventri tui, & fructus terræ tuæ,* „ *& generationes jumentorum tuorum, & armentum bovum tuorum, &* „ *grex ovium tuarum, benedictus es in introitu tuo & egressu.* Huic ca„ pitulo illud dicunt in Evangelio esse contrarium, *Si quis vult me* „ *sequi abneget semetipsum sibi, & tollat Crucem suam, & sequatur me.*

„ *Quid*

„ *Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ* „ *detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima* „ *sua?* Sed ex illa regula ostenditur non esse contrarium, qua notum esse jam debet, carnali adhuc populo congruenter carnalia, & „ temporalia præmia fuisse promissa, sed tamen ab uno Deo, cujus „ est creatura omnis & superior & inferior. Certè enim ipse Adimantus posuit testimonium de Evangelio, ubi ait Dominus. *Nolite jurare neque per cœlum, quia thronus ejus est, neque per terram,* „ *quia scabellum est pedum ejus*. Quod quidem & in veteribus libris „ scriptum est. (Isai. 66.) *Cœlum mihi thronus est, terra scabellum* „ *pedum meorum*. Quid ergo mirum si bona throni sui dat spiritaliter „ sibi servientibus, & bona scabelli pedum suorum dat carnaliter sibi „ servientibus, cùm spiritus superior sit, & caro inferior, sicut superiora sunt cœlestia, & inferiora terrestria? Quamquam illa omnia, „ idest ager, & pratum, & fructus ventris, & fructus terræ, & jumentorum, & armentum bovum, & grex ovium possint etiam spiritaliter intelligi. Sed nunc ad rem non pertinet ista tractatio. Si „ autem in ipso novo Testamento, cujus præmium, & hæreditas ad „ novum hominem pertinet, cùm & Dominus eisdem ipsis, quos vult „ esse rerum temporalium contemptores, ut in Evangelio sibi serviant, promittit multiplicationem earum rerum in hoc sæculo dicens, quòd accipient in hoc sæculo centies tantum, in sæculo autem futuro vitam æternam: sicut etiam in veteri scriptura dicitur, „ *Fideli homini totus mundus divitiarum est*. (Prov. 17.) Unde exultat Apostolus dicens. *Quasi nihil habentes & omnia possidentes*. Si „ ergo in novo Testamento præter æternam possessionem, quæ promittitur sanctis, hujus quoque possessionis, quæ transitura est, multiplicatio non subtrahitur, & tantò fit uberior, quantò contemptiùs „ possidetur: quantò magis in veteri Testamento carnalis populi præmia esse debuerunt, ipso tamen uno & vero Deo gubernatore „ omnium temporum, omnia pro tempore moderante, & administrante? Sed ne in solis novi Testamenti libris ista arbitrentur esse „ contempta, audiant Prophetam abjicientem talem felicitatem, & „ ad unum Dominum Deum confugiendum esse canentem. Ita enim „ dicit. (Ps. 143.) *De gladio maligno erue me, & exime me de manu* „ *filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextra eorum,* „ *dextra iniquitatis. Quorum filii ipsorum velut novellæ constabilitæ in juventute sua, filiæ eorum compositæ, & ornatæ velut similitudo templi.* „ *Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc, oves eorum fecundæ multiplicantes in exitibus suis, boves eorum crassæ. Non est ruina sepis, nec exitus,* „ *nec clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt,* „ *beatus populus, cujus est Dominus Deus ejus*. Attendant ergo quomodo irrideatur ista felicitas in hominibus impiis, & TOTA BEATITUDO IN DEO SOLO INCONCUSSA FIGATUR. Illi enim dicunt beatum „ populum, cui hæc sunt, sed beatus populus, cujus est Dominus

„ Deus

„ Deus ipsius. Quòd autem etiam illud contrarium esse putaverunt „ huic loco veteris Testamenti, quod Dominus ait (Matth. 8.) „ *Omnis qui confusus fuerit me, aut verba mea in gente ista adultera,* „ *& peccatrice, & Filius hominis confundet illum, quum venerit in glo-* „ *ria Patris sui, & laude Sanctorum*, quod pertineat ad contemptum „ rerum temporalium non video. Quod si propterea pertinet, ne ali- „ quis territus de talium rerum damnis Christum confiteri aut eru- „ bescat aut timeat; quid habent quod dicant? Dicimus ita esse ista „ munera Dei, ut tamen sint infima, & in comparatione salutaris „ confessionis non solum amittenda sed ultrò etiam projicienda: car- „ nalibus tamen hæc amantibus, & nondum capientibus promissa „ cœlestia, ne ab idolis, & dæmonibus ista peterent, utiliter a Do- „ mino Deo esse pollicita.

„ De eo quod scriptum est in lege *Ego sum, qui divitias do amicis* „ *meis. & paupertatem inimicis meis.* Huic sententiæ illud opponunt „ quod Dominus dicit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re-* „ *gnum cœlorum;* & *Væ vobis divitibus, quia percepistis consolationem ve-* „ *stram.* Sed cur nolunt & alia in Evangelio contueri? Ubi enim „ scriptum est, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœ-* „ *lorum*, ibi sequitur: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt* „ *terram*. Ecce habent amicos Dei hæreditate terræ divites fieri. „ Cùm autem ad tantam egestatem dives ille redigitur, ut ab eo „ paupere, quem neglexerat, digito brevi in aquam tincto arenti lin- „ guæ suæ humorem stillari deprecetur; intelligant quomodo FIANT „ PAUPERES INIMICI DEI, & id esse cognoscant, quod in lege scri- „ ptum est. *Ego sum, qui divitias do amicis meis, & paupertatem ini-* „ *micis meis*: nam istas divitias temporales, & in veteri scriptura esse „ contemptas, & superius docui, & innumerabilibus locis, qui lege- „ re voluerit, inveniet. Unde est etiam illud, *Melius est modicum ju-* „ *sto, super divitias peccatorum multas.* Et illud: *Bonum mihi lex oris* „ *tui super millia auri, & argenti.* Et illud: *Judicia Dei vera justifica-* „ *ta in semetipsa, desiderabilia super aureum, & lapidem pretiosum mul-* „ *tum.* Et illud (Prov. 3.) *Beatus vir qui invenit sapientiam, &* „ *immortalis qui videt prudentiam. Melius est enim illam mercari, quàm* „ *auri & argenti thesauros. Pretiosior est enim lapidibus optimis, non re-* „ *sistit illi ullum malum, bene nota est omnibus appropinquantibus ei, &* „ *eis, qui considerant eam diligenter.* Omne *autem pretiosum non est illi* „ *dignum.* Et illud (Sapient. 7.) *Propter hoc optavi, & datus est mi-* „ *hi sensus, & venit in me spiritus sapientiæ. Et præposui illam regnis,* „ *& sedibus, & honestatem nihil esse duxi in comparatione illius. Nec* „ *comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in compara-* „ *tione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum* „ *ad illam.* Hæc isti, si aut legerent, aut non impie legerent; vi- „ derent omnia in utriusque Testamenti scripturis, & ad expeten- „ dum, & ad fugiendum, & ad sumendum, & ad rejiciendum sibi

„ con-

„ concordantia, & suis gradibus ordinata. „ Absolvit autem caput 20. (in quo alium textum & Levitico proponit & explicat, quem pariter Evangelio oppositum contendebant Manichæi) dicens: „ Jam „ neminem oportet postulate a nobis, ut hæc ostendamus quàm con- „ gruenter illi populo Deus promiserit. Multa enim de hac re dixi- „ mus, & cui parva sunt, nimis tardus est. „ Quamvis a me non singula repetantur, ad quæ respiciunt hæc Augustini verba: lectores ex se ipsis intellecturos confido, tum ex hac Sancti Patris auctoritate, tum ex pluribus, quas antea congessi, spem Sanctorum veterum nequaquam in his terrenis bonis fuisse locatam. Immo constat eos tantò magis in cœlestia tendisse, quo magis aut hæc terrena jam possessa aspernabantur, aut juxta Apostolum iis utebantur tamquam non utentes; sive de non concessis haud conturbabantur; & demum quò magis per tribulationes hujus vitæ patientissime toleratas, ad alterius vitæ gaudium, & mercedem, & quietem toto corde conversi in suis actibus apparent.

13. Dum autem quietem dicò, longe aliud ab iis intelligo, qui eam cum privatione visionis Dei componunt: sed rectiùs, hoc nomine ipsam Dei visionem, & gloriam revelatam, juxta Prophetarum voces, quas nuper audivimus, contineri puto. Miseram enim animam, cujuscumque tandem meriti sit, fideliter credo donec a visione Dei prohibetur, licèt hanc privationem sustineret quamtumvis summa patientia. Illum quippe miserum esse probavimus, qui beatus non est. Quumque justi antiqui extra beatitudinem ab adversantibus agnoscantur: superest, eos interim miseros fuisse. Miseram autem, & eodem tempore quietam, & veluti in refrigerio positam, quis unquam sapiens intellectualem substantiam credat? Adeo verò certum est inopem & egentem ac miseram intellectualem creaturam esse, quæ Deum suum non possideat; ut D. Augustinus, inopes futuros Angelos dicere non dubitaverit; si, postquam ad Deum, ejus operante gratia, se converterunt, ejusdem participatione fuissent orbati. Hæc sunt ejus verba. „ Et quum id egit eorum voluntàs bona, ut non ad se ipsos, „ qui minus erant, sed ad illum, qui summè est, converterentur, „ eique adhærentes magis essent, eiusque participatione sapienter, bea- „ tèque viverent: quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet „ bonam, INOPEM FUISSE IN SOLO DESIDERIO REMANSURAM, nisi il- „ le qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso „ faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando avidiorem? „ (7. Tom. De Civit. Dei l. 12. c. 9.) Hac vero inopia miseram continuò effici animam alibi docet; inquiens. „ Ubi enim benè erit sine illo? (2. p. 3. Tom. Tract. 51. in Joh.)

14. Utrum justi antiqui Deo adhæsissent viventes; & num mandata ejus, legemque custodierint, quid est quod dicam, quum Abraham, Isaac, & Jacob, Moyses, Tobias, Job, & ceteri quamplurimi, ex ipsius Dei veraci ore præconia justitiæ, dilectionis, sanctitatis, at-

que amicitiæ sint consecuti? Videant igitur adversantes num ex hac vita discedentes illi, in qua, non ad se ipsos, qui minus esse cognoscebant, sed ad Deum, quem summè esse confitebantur, fideliter conversi sunt, ut ei adhærentes magis esse promererentur: num inquam, ex ejusdem participatione beatè & sapienter victuros esse sperarent, atque omni nisu exoptarent? Utrum insuper bona voluntas eorum inops remansura fuisset nec ne, donec in hujusmodi frustrato desiderio detineretur? Nam quum ita a Deo creati essent ex nihilo, ut Dei ipsius capaces se factos agnoscerent, atque ad hoc avidiùs appetendum ab ipsomet Deo se excitatos confiterentur: quomodo quiescerent, usque dum ad hanc plenitudinem non attingerent? Hæc tanta porrò sunt, quæ rectè impugnari non poterunt. Nam si quietè vivere, & in refrigerio esse possent, Deo interim non fruentes: hoc consequeretur absurdum, quòd nempè homines absque eo, propter quem solum facti sunt, & in quo solo verè sunt, nihilominus habeantur impleti: unde neque propter Deum solum facti essent, si quietem assequerentur absque fine; aut (quod etiam in natura rerum repugnat), creatura aliqua extra finem suum quiesceret. Idcircò dico, quietem & refrigerium, quod quidam tribuunt animabus justis antiqui testamenti absque visione Dei, nulla recta ratione fulciri, nulla auctoritate firmari: docente scilicet Scriptura, quod *Qui sequitur justitiam & misericordiam*, INVENIET VITAM, ET JUSTITIAM ET GLORIAM. (Prov. 21.) Et iterum: *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam* NON EST INOPIA TIMENTIBUS EUM. (Ps. 33.)

15. Neque enim fieri potest, ut a patria quispiam absque dolore exulet, sive illam diligat, sive non. Amasse autem antiquos cœlestem patriam, quæ thronus Dei est, jam diximus, & infra abundantius ostendemus. Hæc exulantium pœna a Divo Augustino optime explicatur contra Pelagianos disputante (5. Tom. Serm. 294. n. 6.). Contendebant illi, parvulos absque Baptismo mortuos, vitam æternam habere (justos enim esse dicebant), non autem regnum Cœlorum, quia Christi Sacramentorum nondum erant participes; atque idcircò eos quietos vivere extra patriam præsumebant. Exadverso Augustinus, pœnam damni hisce figmentis evacuari prospiciens, privationemque visionis Dei veluti exiguum animæ malum computari: invictissimo argumento hæreticos insectatur; tum ut demonstret originale peccatum parvulis inesse cùm ut confirmet non vitam, sed pœnam æternam manere ea culpa irretitos. Quæ licèt parvulorum sortem propriè respiciant: attamen convenientissimè applicantur statui quietis, in quo sapienter collocare nonnulli arbitrantur sanctos etiam antiquos; quos dum justos fuisse inficiari non possunt, attamen extra patriam quietos vixisse contendunt. „ Quid offendit, inquit, justus, „ dic mihi, ut non intret in regnum Cœlorum, ut separetur a sorte Sanctorum, ut sit exul a societate Angelorum? Videris enim „ tibi misericors, quia non aufers vitam: damnas tamen quem sepa-

„ ras

„ ras a regno Cœlorum. Damnas, non eum percutis, sed in exilium „ mittis, Nam qui exulant vivunt; si sani sunt, in doloribus corpo„ ris non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur. „ Hæc illis sola pœna est, non esse in Patria. SI AMATUR PATRIA, „ MAGNA POENA si autem non amatur pejor est cordis pœna. Par„ vum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit San„ ctorum, qui non desiderat regnum Cœlorum? SI NON DESIDERAT, „ POENA EST DE PERVERSITATE: SI AUTEM DESIDERAT, POENA EST „ DE FRAUDATA CARITATE. „ Hinc sicuti, nulla tergiversatione suc„ currente, fateri debebant; vel a perversitate, vel a caritate aliquam saltem minimam pœnam pati debere parvulos a patria exulantes: argumentum magis adhuc perstringit Augustinus, quo magis hæreticis indulgere videtur, addens. „ Sed si, quod vis, parva sit pœna; ET „ IPSA PARVA MAGNA EST, SI NULLA CULPA EST. HIC DEFENDE „ JUSTITIAM DEI. QUARE VEL PARVA POENA INFLIGITUR INNO„ CENTI, IN QUO NULLUM INVENITUR OMMINO *peccatum?*

16. Invemente igitur S. Augustino pœnam de fraudata caritate iis, qui exulantes a patria, societatem tamen Angelorum desiderant: perperam a quocumque veluti quieti extra patriam considerantur spiritus Sanctorum antiquorum. Quibus si vel parva pœna ex hac desideratæ patriæ privatione tribuitur: statim difficultas se offert defendendi justitiam Dei, quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum amplius invenitur peccatum. Ad cujus instantiæ vim declinandam, si qui aliter hactenùs senserunt, nunc magis rationi conformem invenirent Sancti Thomæ sententiam: (qui rectè prospiciens nullo modo Sanctorum antiquorum animas eximi potuisse a pondere pœnæ damni donec absque visione Dei in limbis captivæ detinebantur: remanentem peccati originalis reatum in ipsis invenit, ut fundamentum pœnæ, & doloris intelligibili modo poneret): non ideo tamen scopulos vitabunt a qualicumque opinione enascentes, quæ eorumdem Sanctorum impediat beatitatem statim a morte. Et gratulans quidem audirem, eam recentiores spontè quietem deferere, quam usque nunc tribuerunt antiquorum sanctorum animabus. Quod si facerent, adhuc ipsis ostendendum incumbet contra evidentissimas Scripturæ auctoritates, sanctos antiqui Testamenti non plenè justos, immo aliquo perstrinctos fuisse culpæ reatu, ut, salva justitia Dei, doloribus cruciarentur inferni. Nam si plenè justi erant, nullius reatus debitores ostendi possunt. *Qui enim facit justitiam*, sicuti ait B. Johannes (1. Joh. 3.) *justus est, sicut est ille* (Deum intelligit) *justus est*. Si vero habebant aliquem reatum propria pœna delendum, jam adeò justi non erant, ut iis applicari possit recitatus Apostoli textus. Vel igitur eos non plenè justos dicere opus est, & tunc justitia Dei in eorum pœnis commendatur: vel si justi secundùm hanc Scripturam dicendi sunt, omnis licèt minima pœna procul ab eis est eliminanda: ne ratio desit, qua defendamus justitiam Dei. Dixi ple-

nè justos, ne cui subreperet suspicio, me animas peccati venialis vinculo ligatas, justitiæ dono carentes opinari, contra præclaram Tridentini Concilii definitionem (Sess. 6. de Justific. cap. 11.). Ibi nempe docemur, quòd, *Licèt in hac mortali vita quantumvis sancti & justi in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi*. At sicuti, nemine refragante, homines tali justitia ornati, si ante venialium peccatorum remissionem mundo decederent, Purgatorii pœnis adjudicarentur, quia licèt justi, indigni tamen habentur & sunt, qui in Domini conspectu constituantur: ideo per adverbium *plenè* discrimen indico hos inter justos, & Sanctos antiquos, quos ipsemet Deus profitetur invenisse, *dignos se*. Lactantius Firmianus egregius scriptor ista me docuit. „ Sed at justos, inquit, cum judicaverit Dominus, etiam igne „ examinabit; nam quorum peccata vel pondere vel numero prævaluerint, igne perstringentur atque amburentur; quos autem, *plena* „ *justitia*, & maturitas virtutis impleverit, *ignem illum non sentient*. (7. Instit. cap. 21.) Dicere non vereor, antiquos Sanctos hac plena justitia ornatos fuisse; tum quia Scripturæ Sanctæ toties eos justos, & Dei amicos atque dilectos appellant; tum quia Apostolus de tempore loquens obitus illorum, præclarè dixit, Deum illos invenisse, *dignos se*. Quo divino testimonio fideliter suscepto, sileat oportet quæcumque suspicio circa reatum vel origninalis vel actualium peccatorum in ipsis remanentem. Unde consequens fit, eos hinc discedentes in promissa quidem quiete, & pace fuisse susceptos, sed non ea, cujus fundamentum non sit visio Dei; sed quæ & vocabuli sono responderet, & Dei fidelitati, & eorumdem spei, congrueret.

17. In quo, non meos, sed sensus Ecclesiæ Catholicæ suspiciant qui aliter hactenus opinati sunt. Quæ adeò explicat, pacem justis promissam æternam esse beatitatem; ut ad novi Testamenti Martyrum gloriam indicandam semper usa sit antiqui Testamenti scriptorum verbis; qui eodem Dei spiritu illustrati, ad viventium Fidem constabiliendam, spemque in tribulationibus firmandam, hasce magnificas promissiones fidelibus auribus insonabant. *Justorum animæ*, Ecclesia inquit, *in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum: Et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt* IN PACE. *Et si coram hominibus tormenta passi sunt*, SPES ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST. *In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentavit illos*, ET INVENIT ILLOS DIGNOS SE .... *Bonorum enim laborum* GLORIOSUS EST FRUCTUS. (Sapien. 3.)

18. Numquid antiquitus deerant, quibus ista convenirent? Audiamus S. Augustinum. De morte Abel agit contra Julianum, qui idcircò *mortem malum non esse* adstruebat, *quòd eam justus primus omnium dedicavit*. „ Ergo redde rationem, urgebat Augustinus, quomodo non „ haberet quam dedicaret justus, nisi hanc ædificaret injustus. Au-

„ ctor

„ ctor quippe & effector mortis illius, Cain extitit, non Abel. Ille „ itaque dedicavit, qui fabricavit. Mors enim hominis boni, malum „ opus fuit hominis mali. Iste autem, qui pro bono malum pertulit, „ non mortem sed MARTYRIUM dedicavit, gerens ejus figuram, quem „ populus Judæorum tamquam malus frater carnalis occidit. Propte- „ rea itaque GLORIOSUS Abel, non quia aliquid boni sumpsit a fra- „ tre, sed quia patienter PRO JUSTITIA MORIENDO, malo ejus usus „ est beue. Nam sicut bono legis male utendo prævaricatores puniun- „ tur; ita e contrario malo mortis benè utendo MARTIRES CORO- „ NANTUR .... Mors ergo justi Abelis HABITANTIS IN REQUIE, „ non solum mala non est, verum etiam bona est. (10. Tom. Op. „ imperf. cont. Jul. l. 6. n.

XXVII. §. *Sed in laude*. Percipiamus itaque quanti valeat requies a D. Augustino Abeli conlata, & quàm benè illum primum decerent præconia, quibus posteriorum Martyrum merita ab Ecclesia Catholica exaltantur. Evidentissimè enim robur meriti imitantium justitiam Abelis indicamus, quando dicimus, Deum illos invenisse dignos se: præmiumque elucet a Deo bonis eorum laboribus servatum dum benè utentes malo mortis, martyres coronati a tanto Patre dicuntur. Hic, ni fallor, omnis adversantium argumentatio deficit.

19. Indignum enim semper Deo erit, quòd ipse sanctos suos justos appellet, & se dignos inveniat, insuper pacem illis promittat & gloriam, quum tamen beatificam præsentiam suam, totius gaudii & paucis fontem, athletis suis nollet impertiri. Et prorsus nollet: certum enim est quòd volens poterat. Quum autem posset, & nollet: eò ipso magis contristari debebant amici sui, qui aliam sequi regulam a legislatore viderent, ab ea, quæ ipsis custodienda data erat cum proximis. Illud namque eorum memoriæ occurrisset, quod (Prov. 3. 28.) legimus. *Ne dicas amico tuo: Vade & revertere, cras dabo tibi: quum statim possis dare*. Sed nihil tale metuebant sancti Dei, qui immo de promittentis fidelitate securi, adeò in futuræ vitæ bona ferebantur, ut a præsenti veluti a carcere eripi postularent. Hoc Tobiam precatum scimus, ait enim: *Et nunc Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum*, ET PRÆCIPE IN PACE RECIPI SPIRITUM MEUM. EXPEDIT *enim mibi* MORI MAGIS QUAM VIVERE (Tob. 3.). De hoc ipso Deum exoravit Sara: *Peto Domine de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certè desuper terram eripias me* (ibid.) Quis itaque dicat, istos, & multò plures, quos nunc prætereo, finem vitæ hujus expetiisse, ad pejora se migraturos esse credentes? Quum enim a Domino peterent, ut susciperet in pace animas suas: in id profectò intendebant, quod in Proverbiis (11. 30.) docetur. *Fructus justi lignum vitæ: & qui suscipit animas sapiens est*. Et alibi (14. 32.) SPERAT AUTEM JUSTUS IN MORTE SUA. Expectabant denique quod David conceptis edocet verbis: *Unam petii a Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (Ps. 26.); quæ verba D. Augu-

stinus

stinus Probæ scribens, continere docet orationem vitæ, & gloriæ beatæ. (2. Tom. Epistol. 130. c. 8.)

20. At si e contrario Deum videre non poterant mundo abeuntes: profectò in pejora incidebant. Eum enim statum sortiebantur, quem si doloribus obnoxium apprehendimus, omnes vitæ hujus tribulationes vincit atque miserias. Si quietum dicimus, ita ut nec dolores nec consolationes produceret: statum inactionis effingimus, qui rectæ rationi adversatur, & Evangelio docenti, Lazarum in sinu Abrahæ CONSOLARI, quod porrò sensum consolationis continet. Si autem hanc quietem, veram quietem esse censemus, & nihilominus animas in ea receptas Dei fruitione orbamus: quies effingitur & gaudium extra Deum: aut Deo non fruentem animam, inopem esse negatur: aut inopiæ & defectui finis. refrigerium absurdè componitur: & illud denique Fidei axioma destruitur, quòd nimirum privatio visionis Dei infelicissimam efficiat animam, sicuti præsentia revelata Dei beatissimam, & felicissimam efficit. Quibus vitandis, quum alius sensus necessariò tribuendus sit vocabulis quietis & pacis, in quas susceptas animas justas Scriptura docet: rectus ille erit, si cum S. Augustino dicamus; quòd ab eodem Deo, a quo animæ illæ justificabantur, & perseverantiæ bono donabantur, præmium etiam obedientiæ obtinebant, ad revelatam præsentiam suam contemplandam clementer admissæ. Quæ intelligentia, quamvis recentiorum senrentiis adverseiur, concordat tamen cum antiquorum Patrum documentis, immò cum veracissimis Scripturis Dei, ut ex supra relatis constare confido.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Examinantur quædam fundamenta, a quibus Tournely probat, novi Testamenti Sanctorum beatitatem dilatam non esse usque ad extremi judicii diem: atque ex iisdem evincitur beatitas, etiam Sanctorum veteris Testamenti ante Christi adventum in carne.

1. SIcuti erutis ædificii fundamentis, tota murorum ipsis imposita moles corruit: ita postquam demonstratum est, quod significationi vocabulorum quietis, pacis, & refrigerii nonnisi beatitudo, & visio Dei respondere possit: consequitur, ceteras ab hoc sensu alienas explicationes non esse attendendas. Attamen quia quædam alia argumenta laudatus Doctor Sorbonicus (quorum imposterum manus propiùs conferentur) quasi in confirmationem protulit sententiæ suæ, quæ alicui negotium facessere possent: eadem discutere aggredior; ut quum constiterit etiam ista meæ opinioni haud obesse, majori luce, & firmitate donetur beatitas animarum justarum ante Christi descensum in inferos. Sicuti autem veritas una semper fuit, & est; atque axiomata ideo æternæ veritatis dicuntur & sunt, quia ex eadem veritate

ritate promanant: ita, hisce angustiis præclusus subitò apparebit Tournely, ut aut quod verum est, in hac diversitate sententiæ necessario infirmetur: sin autem quod verum est, semper verum fuit, ex suis meis argumentationibus consequatur, antiquorum etiam justorum animas ante Christi mortem beatitate fuisse donatas.

2. Certissimum autem illud fuit, & est, & erit, quod Tournely profert pag. 237. „ Deum scilicet longè proniorem esse ad misericordiam, quàm ad vindictam, & ideo Sanctis, ac electis suis statim a morte æternæ felicitatis præmia rependere: præsertim quum ipse Levitici (19. 13.) legem tulerit de non asservanda in crastinum operarii mercede. „ Si igitur constabit, Deum de peccatoribus non distulisse vindictam, ita ut horum animæ, quantum ad essentialem damnationem pertinet, nihil majus expectare potuissent nec possint: multò magis consequi debebit, tantum justis contulisse Deum, quoad essentialem attinet beatitatem, ut nihil ultra potuerint expectare. Exemplum Epulonis in inferno sepulti adeò comprobat, Deum de peccatoribus sumpsisse pœnas, ut in dubium ab homine fideli vocari non possit. Si igitur Deus ad misericordiam pronior est, quàm ad vindictam: majora etiam bona conferre debebat animæ Lazari servi sui, quam impio illi retribueret mala. Quumque hæc tum bona tum mala, non aliter metiri possimus quàm ex Evangelii verbis: consequens est, quòd sicuti per illud diviti dictum *tu verò cruciaris*, verum damnati supplicium fideliter novimus; ita per illud, quod de Lazaro pronunciavit Abraham *nunc autem hic consolatur*, ejusdem Lazari percipiamus beatitatem. Divitem autem ex eo præcipuè cruciatum, quòd Dei sui participationem in æternum amiserit, ex iis patet, quæ aliàs diximus, cap. VI., pondus pœnæ damni examinantes. Itaque nisi capiamus Lazari consolationem, indicare beatam visionem Dei; minimè invenimus in quo Lazarus consolaretur, quem tamen consolari indubium est. At si, quod volunt, Deus denegata præsentia sua impiis, eadem nequaquam donabat justos, quibus proprium aliquod debitum inesse non probant: doceant quomodo proniorem Deum ad misericordiam prudenter dixerint, quum neque ostendant, misericordiam vindictæ ex æquo respondere.

3. Alterum certissimum axioma a Tournely adductum, est de peculiari animarum Judicio, „ in quo (sunt ejus verba pag. 272.) uniuscujusque sors pro conditione operum rata est, & definita; atque gloria, si nihil luendum superfit, vel pœna statim, & absque mora singulis distribuitur. „ Aut igitur negandum erit, subdo ego, antiquos justos peculiari Judicio judicatos; aut dicendum, in illo uniuscujusque sortem pro conditione operum ratam non fuisse ac definitam; aut si gloria & pœna statim & absque mora singulis distribuebatur, fatendum est alterutram consecutas esse animas antiqui Testamenti. In quo eligat Tournely quod potiùs dicat, Si enim gloriam tribuerit, hanc constituere in Dei revelata visione debebit, &

tunc

tunc meæ adhæret sententiæ. Si verò pœnam: jam illa quies, in qua Sanctorum animas vixisse sine dolore dixit usque ad Christi descensum, in qua immo easdem Sanctorum animas ponere ex Scriptura debet; illa quies, inquam omninò evanescit, pœna succedente. Superest igitur, ut promissa quies vel gloriæ vel pœnæ componatur, quæ duæ ex laudati Doctoris rectissima animadversione, sunt reliquiæ vel justo vel injusto homini, qui solis operibus stipatus quæ in carne gessit, ad peculiare vocatur judicium. Quidquid igitur dixerit, jam, etiam me silente, ex se deteget, rectæ rationis principiis, & suorum axiomatum experimento, omninò expugnari statum animarum, quem usque nunc docuit.

4. Quoniam verò his, veluti per parenthesim interserit, *præsertim quum Cœlum, quod antea clausum fuerat, Christus morte sua patefecerit*; (quibus verbis insinuat, visionem Dei animabus antiquorum Patrum usque tunc denegatam) postulo ab eo, utrum istæ animæ primò viderint Deum in Cœlo? Quod quum juxta sententiam suam verum non sit (Deum enim statim a Christi descensu in inferos, in iisdem inferis manentes, eo dante, viderunt): necessario consequitur, Regnum Cœlorum per Christi mortem patefactum, nonnihil aliud significare quàm visionem Dei animabus justis conlatam; quia hac donatæ fuerunt etiam extra Cœlum, immo apud inferos antequam Cœlum patefieret. Inter Cœlum autem & Infernum tanta disparilitas est, quanta in contrariis invenitur, quam Propheta explicat per ascensionem & descensum; ubi ait: *si ascendere in Cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades* (Ps. 138.). Ita profectò indicatur, locos (si tamen ut loci benè concipiuntur), esse omnino discretos; quod apertissimè confirmet Evangelium commemorans chaos positum inter Abraham, & divitem.

5. Inquirendum itaque superesset, juxta opiniones Tournely, utrum illæ animæ, in inferis adhuc degentes elevari meruerunt ad visionem Dei per Christi descensum, hanc facultatem videndi Deum statim a morte habuerint, nec ne? Si enim non habuisse dixerimus: hoc vel ex parte Dei erit, vel ex parte hominis, nam anima vinculis corporis soluta; capax est visionis Dei. Si autem ex parte Dei: statim percontor, qua auctoritate firmetur ista sententia, cui quamplurima Scripturæ oracula adversantur, & præ ceteris illud Apostoli, *Dona Dei sunt absque pœnitentia* (Rom. c. 11. 29.). Si vero ex parte hominis: fidenter infero, aliquid propriæ culpæ ipsas animas luendum habuisse. Dicit enim laudatus Doct. (pag. 279.) „ nihil esse aut ex parte „ Dei, aut ex parte hominis, quod in justis plenè purgatis visionem Dei „ claram & intuitivam possit retardare. „ Igitur si animæ Deum non videbant, Dei visione dignæ non erant, quia nimirum nondum satis essent purgatæ. Quis autem dubitabit, animas necessariam purgationem non posse adipisci sine veris cruciatibus? Nisi etiam in dubium revocare quis audeat, num animæ purgantes in pœna nunc sint, illa

inquam

inquam pœna certissima, atque una de Fide credenda, quam parit absconditus vultus Dei, quem intimo, efficacissimoque affectu concupiscunt.

6. Quum autem pœnam dicimus, statim eliminamus pacem, quietem, & consolationem, quos Dei testimonio consecutas fuisse animas antiquorum sanctorum statim a morte, fideliter sentire debemus. Præterea ipsas nihil luendum habuisse ex eo apparet, quòd justæ ab ipso Deo appellabantur, non quia semper justæ fuissent, sed quia sua misericordia eas tales effecerit, iuxta Prophetam. *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus . . .* Item. *Non secundum peccata nostra fecit nobis; neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Item. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* (Ps. 102.) Et rursus: *Asperges me Domine hysopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor* (Ps. 50.), & cetera quamplurima, quæ hic enumerare longum esset, quibus fideliter prædicamus, plenam, & veram remissionem peccatorum, tum originalis, tum propria voluntate commissorum, consecutos fuisse justos, a Deo clementer præscitos, prædestinatos, vocatos, justificatos.

7. A quibus donis si GLORIFICATIONEM sejungimus, antecedentia infirmantur. Hos enim veluti successivos gradus misericordiæ Dei erga filios hominum. commendavit Apostolus. Ait enim: *Scimus; quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit: hos & justificavit, quos autem justificavit:* ILLOS ET GLORIFICAVIT. (Rom. 8.) Quare sicuti fideliter noscimus veram vocationem, & justificationem, secundùm præscientiam & prædestinationem Dei in antiquis, etiam ante manifestatum Christi adventum in carne; ita si recta aliqua ratione iisdem denegare velimus glorificationem, quæ postrema ab Apostolo commemoratur: aliquid in ipsis culpæ invenire opus est, atque ita obscuratur vera justificatio, plena nimirum peccatorum remissio, & Dei sincera & pura dilectio in ipsis toties commendata. Dum enim iis revera bonis meritis præclaros occupasset mors: nihil ex parte hominis fuisset, quominus ad claram & intuitivam Dei visionem (cujus anima a vinculis corporis libera capax est) advocarentur: nihil insuper ex parte Dei, qui jam promiserat (Ps. 23.), *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* INNOCENS MANIBUS, ET MUNDO CORDE; quæ promissio in eo confirmatur, quod (Matth. 5. 8.) legimus: *Beati mundo corde, quoniam*

 ipsi

ipsi Deum videbunt. Quamobrem, nisi tot textibus eam tribuamus significationem, quæ beatitatem Sanctorum antiquorum roboret atque stabiliat: infirmamus axioma a laudato Tournely adductum: „ Nihil „ esse scilicet ex parte Dei, aut ex parte hominis, quod in justis „ plenè purgatis visionem Dei claram, & intuitivam possit retar„ dare. „

8. Aliud axioma proponit Doctor Sorbonicus ex statu sanctorum Angelorum, qui statim a finali perseverantia, æterna in Cœlis felicitate donati sunt; scilicet inferens a communi Sanctorum Patrum doctrina ideò esse concedendam eamdem cum Angelis felicitatem & gloriam animabus etiam Sanctorum. Hinc reverà probat, beatitatem Sanctorum novi Testamenti non differri in diem usque extremi judicii. Sed hoc posito, quod certissimum est, dico, idipsum confirmare etiam beatitatem sanctorum antiquorum ante Christi adventum in carne. Nam textus S. Evangelistæ Matthæi in confirmationem allatus, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*: etiam antiquos complectitur, qui non solùm dicebant: *In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus* (Ps. 137.); sed insuper confitebantur, Angelos sibi assistentes habere: *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. (Ps. 90.). Itaque, si custodes Angelos habebant, & in eorum conspectu Deum laudare desiderabant; illud desiderabant, quod Angelos suos jam consecutos esse sciebant. Docendum itaque esset, cur id obtinere nequirent, quandoquidem rectissime sentit Tournely, ex eo textu probari visionem Dei Sanctis novi Testamenti fuisse conlatam. Non enim Angelorum beatitudo in novo Testamento propalata est, sed in veteri etiam erat revelata, ipsis Angelis de statu suo testimonium perhibentibus, ut in libro Tobiæ (12.) legimus: *Ego enim sum Raphael Angelus unus ex septem, qui astamus ante Dominum*.

9. Nec dicendum, Matthæi textum supralaudatum plus valere pro animabus novi Testamenti, quàm ii valeant, quos de veteri Testamento retuli pro animabus antiquorum justorum. Nihil enim magis ex eo textu confirmare vult Doctor Sorbonicus, quàm visionem Dei Angelis concessam; atque ab hoc tanto dono, animarum justarum sortem stabilire; quia etiam per eum Angeli, atque animæ justæ conveniunt in essentia & gratia, & merito, quantùm ad hanc mercedem consequendam. Quia igitur indubium est, Angelos sanctos a momento confirmationis in gratia, atque ita a mundi exordio, clarè & distinctè vidisse *faciem Patris*; rursus quia certum est, paucos post annos a mundi creatione, animam justi Abel a corpore fuisse solutam: dicatur quare hujus martyris anima mercede visionis Dei donari non deberet etiam tunc, quandoquidem rectissimè prædicamus, animas martyrum Evangelicorum statim a morte vidisse Deum, quia

Angeli

Angeli eorum semper vident faciem Patris ? Numquid Angelus tutelaris deerat animæ Abel? Aut ejus Angelus Patrem non videbat?

10. Nec enim Tournely hoc textu ampliorem gloriam animabus Evangelicis tribuere potest, illa, cujus capax est spiritus justus corpore exutus. Neque ipse inficiabitur, animam justam, licèt beatam, nondum eam æqualitatem cum Angelis assecutam, quam, B. Evangelista Lucas Sanctis promittit in extrema resurrectione Judicii, quando æquales erimus Angelis Dei; quam æqualitatem adhuc expectant Sancti utriusque Testamenti. Propterea quum beatitudo Evangelicis promissa a Tournely non superet capacitatem purorum spirituum, atque inferior ea sit, qua fruuntur Angeli: profectò ejusdem capacitatis erant justi antiqui Testamenti statim a morte. Quamobrem, vel textus ille beatitatem non probat sanctis novi Testamenti jam conlatam, (quod ex testimonio Doctoris Sorbonici dicendum non est, Patribus scilicet omnibus reclamantibus) : vel hoc quoque fatendum superest, quod ipse solus impugnat, nimirum per eumdem textum firmari, beatitatem, antiquis etiam justis largitam, ante Christi adventum in carne. Hanc intelligentiam tuetur Evangelica historia animæ Lazari ab Angelis portatæ in Sinum Abrahæ. Eò enim ab illis ferebatur, ubi illorum consortium, & eamdem essentialem felicitatem in sincera consolatione experiretur.

11. Meæ itidem, non æquè suæ, sententiæ favere opinor textum Apostoli, quem Tournely refert pag. 272. *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri: (per Fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum*. (2. Cor. 5.). Nam quamvis temporalia promissa antiquis facta legamus certum tamen est iis non acquievisse servos Dei, dum mortem optabant, spernentes vitam, quæ inter temporalia bona potiorem obtinet locum. Eliam audivimus mortem exoptantem, Tobiam itidem & Saram. Quis credat istos temporalibus bonis inhiasse quibus, vita recedente, homo spoliatur? Præclariùs autem David, se in exilio constitutum lugens, æternam patriam concupivisse demonstrat, ajens: *Heu mihi quia incolatus meus prolungatus est*. (Ps. 119.) *Quid dabit mihi pennas ut columbæ, & volabo, & requiescam?* (Ps. 54.) *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* (Ps. 41.) Cur autem id expeteret apertissimè docet, quum quid expectaret post ista declarat. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. (Ps. 149.) *Et justi epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia* (Ps. 67.) Tum etiam quum dicit, *Satiabor quum apparuerit gloria tua* (Ps. 16.) *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. (Ps. 35. qui duo postremi textus etiam juxta Tournely significant spiritalem voluptatem, qua in præsens perfunduntur in Cœlis animæ justæ Dei visione potitæ. Igitur si futura il-

la, *quum apparuerit*, *inebriabuntur*, *& potabis*, solius etiam animæ beatæ felicitatem continent ex hujus scriptoris concessione, non expectato universali judicio, ad quod de cetero propiùs spectare videntur: quanam recta ratione suspicari licebit, Prophetam tanta fiducia hæc prædicantem, eamdem felicitatem, quam nos in suis verbis intelligimus, expectare nescisse, statim a morte corporis sui?

12. Quæ sanè separatio a corpore optanda non esset, ut verbis utar Doctoris Sorbonici (pag. 272.), quibus similia ex Divo Thoma jam exscripsi (cap. II.), si Sanctis illis, nonnisi post Christi adventum tot adhuc sæculis distans, ad speciem, seu clarum Dei intuitum pervenire licuisset. Par enim omnium temporum justis militat ratio. Nam si Evangelicis mors optanda non esset, si visio Dei diferretur in diem extremi judicii, qui erit secundus Christi adventus, quamvis interim nonnisi in pace & requie & refrigerio detineri deberent: pari ratione nec antiquis exoptanda fuisset a corpore separatio, dum crederent se usque ad primum Christi adventum a visione Dei fore prohibendos; licèt interea pacem, & requiem & consolationem sibi promissas legerent. Inde enim justi novi Testamenti ægrè ferrent exilium a Patre, & a Patria, quia hanc & illum ex Scripturis desiderantes, consecutione dilata, pœna esset, ut S. Augustinus ait, de fraudata caritate. Quomodo igitur antiqui, quorum organo Scripturæ usque ad nos pervenerunt; quique juxta Apostolum in cœlestem civitatem intendebant a Domino sibi paratam, ipsumque Deum visuros esse credebant in illa, tamquam in throno gloriæ suæ quomodo inquam antiqui tot sæculis exulantes a Patre, & a Patria interim velut contenti possunt haberi? Quod si in hac dilatione mercedis justitia Dei haudquaquam immaculata persisteret in Sanctis Evangelicis: cur persistet in illis? Ex ore enim ipsius Dei firmissimum testimonium olim nobis perhibebat Sanctus Propheta inquiens; *Semel locutus est Deus: dico hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua* (Ps. 61.) qua spe incensus clamabat: *Spera in Domino & fac bonitatem, & pasceris in divitiis ejus*. (Ps. 36.). Sed quia beatitas Sanctorum antiquorum, quam usque nunc evincere conatus sum ab axiomatis & fundamentis a Tournely adductis eidem Doctori Sorbonico eliminata videtur a quibusdam Scripturarum Sanctarum auctoritaribus: ad earumdem examen contendamus.

CA-

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Textus Apostoli, Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem *a Tournely allatus*, *non obest beatitati Sanctorum ante Christi Passionem*.

1. JAM vidimus in quas angustias detrudant Doctorem Sorbonicum ea met axiomata, quibus ipse beatitatem Sanctis novi Testamenti non dilatam sapientissimè probat; nisi ex iisdem beatitatem etiam Sanctorum antiqui Testamenti fateatur evinci. Nam si juxta eadem axiomata antiquorum justorum sors non fuisset definita: nullo nos argumento ab iisdem axiomatis inferre atque definire possemus, quid contigerit Sanctis novi Testamenti. Aliud autem est, Tournelyum de suo dicere, tempus consequendæ mercedis animabus illis fuisse præfinitum usque ad Christum passum; aliud hoc ipsum aptè probare: ne penè infinita Scripturæ Divinæ testimonia huic opinioni contraria quæ hactenùs collegi, & in medium produxi, incertis humanis dumtaxat cogitationibus opprimantur. Aliud pariter est, quietem, felicitatem, gaudium, & refrigerium sinui Abrahæ tribuere secundùm Scripturæ verba, aliud, & longè diversum, hæc ipsa bona absque visione Dei animabus illic congregatis impertiri, quando ad hanc opinionem firmandam, nulla ex Scripturis Dei præclara proferatur auctoritas.

2. Ratio enim ipsa, qua ex Dei munere anima nostra pollet, evidentissimè cognoscit, unum sine altero dari non posse. Rectæ autem rationis vires, si quispiam in hac re imminuere conaretur aliqua Scripturæ auctoritate (quamvis non tam facilè putem inveniendam, meque saltem interim latère sincerè fatear): audiat prius quid S. Augustinus opportunè admoneat. „ Si ratio, inquit, contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest. Rursùs si manifestissimæ certæque rationi, velut scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit, & non scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potiùs objicit veritati: nec quod in eis, sed quod in seipso, velut pro eis invenit, opponit. (2. Tom. Epist. 143. ad Marcellinum, aliàs 7. n. 7.) In hac ergo quæstione, in qua multiplices rationes ostendunt, quietem doloribus componi nullo modo posse, rursus, nullam animam absque revelata participatione Dei quietam vivere valere; demum, justitiæ, pacis, refrigerii, salutis ac gloriæ vocabula ab ipsomet Deo pronunciata, absque evidenti repugnantia, aliud antiquitus importare, aliud nunc minimè potuisse: perperam hæc argumenta quispiam veluti ex Scripturarum oraculis obscurare laboraret. Hunc nisum

nisum Doctori Sorbonico in cassum cessisse sequentia monstrabunt. Etenim si neque illa, quæ ipse ex Scripturis sanctis affert, beatitatem oppugnant Sanctorum ante adventum Christi: cuique fatendum erit, opinionem suam, nec rationibus nec auctoritatibus adjuvari.

3. Dicit igitur (pag. 278.) „ quòd veteres in Limbis (nomen „ de cetero antiquis Fidei Magistris ignotum, nec a Scripturis deri- „ vatum) in loco pacis & quietis & refrigerii morabantur, sed „ aperto Dei conspectu nondum fruebantur, donec inde eos libera- „ vit Christus ascendens in altum, captivam ducens captivitatem. „ Ita hunc Apostoli locum (ad Eph. 4.) opponit beatitati Sanctorum veterum. Circa quod duo præstanda suscipio. Primò examinabo, num illis justis animabus aptari possit hic textus, quoad tempus & verborum vires. Secundò ostendam quomodo mihi videatur intelligendus. Ad primum quod attinet, citò quisque percipiet, Apostolica verba verè convenire tempori ascensionis Christi in Cœlum; sicuti nemo fidelis revocabit in dubium, hanc contigisse quadraginta diebus post ejus resurrectionem. Inde ultrò corruit assertio Turneliana, veteres scilicet sanctos fuisse quidem in loco pacis, refrigerii & quietis, sed revelata Dei visione privatos, donec a Limbis eos liberaverit Christus. Ipso namque fatente, quòd a quadraginta tribus diebus, nimirnm a descensu Christi ad inferos, justorum animæ revelato conspectu Dei fruebantur, concedere etiam debet, eas tanto bono esse gavisas, antequam Christus ascendens captivam duceret captivitatem. Nunc verò Tournely contra apertissimam probatissimamque veritatem producere videtur hanc revelatam fruitionem Dei usque ad Christi ascensionem, tanta constantia dicens, sanctos nondum aperto Dei conspectu fruentes in limbis fuisse, donec eos inde liberavit Christus ascendens. Sed ne nimis eum urgere videar; dico, quòd ut suadeat ex textu Apostoli, animas antiquorum Sanctorum tunc tantum ab inferis fuisse liberatas: duo ipsi incumbunt demonstranda. Primò, eas in inferis revera fuisse usque ad Christi ascensionem in Cœlum: secundò, quòd captivæ adhuc dici possent, quamvis Dei visione intuitiva fruentes a tempore descensus Redemptoris. Animas autem illas in inferis fuisse usque ad ascensionem Christi, placet D. Thomæ (p. 3. q. 52. ar. 4. ad 1., & q. 57. ar. 6. ⊙.) nec non Cardinali Bellarmino in Ps. 67. n. 19. verùm non æquè D. Augustino. Hic enim quæ de ascensione Christi ex Scripturis habemus attendens, solos Angelos Christo ascendenti ministrasse, immò illum in Cœlum sustulisse ex eo infert, quòd Angeli annunciaverunt discipulis intuentibus dicentes, *Quid statis aspicientes in Cœlum?* Ideò 4. Tom. in Enarratione in Ps. 90. n. 8. „ Sublatus est, inquit Chri- „ stus in manibus Angelorum, quando assumptus est in Cœlum: „ non quia si non portarent Angeli ruiturus erat, sed quia obseque- „ ban-

„ bantur Regi. „ Divus verò Gregorius Papa (Hom. 29. in Evan.) rem altiùs interpretans, ait: „ Redemptor noster non curru, non „ Angelis sublatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirum su- „ per omnia sua virtute ferebatur. „ Certum sanè est, nihil in Evangelio legi, quo appareat, antiquorum animas comitatas fuisse Christum ascendentem. Marcus enim postremo Evangelii sui capite dixit: *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum*. Lucas verò, ubi narravit, Dominum Jesum Christum, subitò stetisse in medio discipulorum, & eorumdem conturbationem atque timorem descripsit; post ea quam itidem dixit, Christum, ad confirmandam veritatem corporis, cum quo in conspectu eorum stabat, manducasse coram eis, distributis reliquiis: demum his verbis concludit: *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in Cœlum*. Quare, quum textus, *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*, nec per se indicet liberationem Sanctorum ab inferis; nec nos ab aliis Evangelii textibus de ascensione Christi tractantibus, adjuvemur ad hanc liberationem intelligendam: aliquid invenire oportet, in quo congruenter eluceat significatio memoratæ captivitatis, quam captivam duxit Redemptor in Cœlum ascendens; quod secundo loco inquirendum proposui.

4. Plura suadent, hunc textum de carne gloriosa effecta intelligi præcipuè debere; quæ hinc potissimam vim acquirunt, quia idea captivitatis nullo modo accomodari possit justis spiritibus in Sinu Abrahæ collectis. Duplicem namque animæ captivitatem rectè intelligimus. Alteram, quum sub peccati dominatione anima est: tunc enim a Deo suo, ejusque hæreditate rejicitur, juxta illud Isaiæ: *Peccata vestra separant inter vos & Deum* (cap. 59.). Alteram, quamdiu in corpore vivit, quod corrumpitur, & aggravat animam, ubi terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. (Sap. 7.) In quo statu adeò se captivum cognoscebat Apostolus, ut veluti impatiens futuræ quietis exclamaret. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7. 24.) In hac verò corporis captivitate antiquorum separatas animas tunc non fuisse quis nescit? Quis autem eas obnoxias diceret captivitati, quæ animam solam respicit, nisi Manichæus? Revera Faustus Manichæi discipulus, veluti plaudentibus nostris, Patriarchas dicebat atque Prophetas a Christo ad lumen revocatos de tenebris inferni, ubi pro malis meritis suis alligabantur. Sed S. Augustinus, ut repudiet tartareas tenebras, & mala merita, a Manichæis injusta Sanctorum animabus: quid de illis adhuc inquiri liceat proponit; quid autem certum de iisdem sit confirmat, ajens: „ In quibus autem sedibus erant justi, qui exierant de hac vita, „ priusquam Christus in carne venisset; & utrum etiam ipsos AD ALI- „ QUID MELIUS passio Christi transtulerit, qui in eum venturum, „ passurum, resurrecturum non tantum crediderant, verum etiam hoc „ ipsum

„ ipsum sicut oportebat prophetico spiritu prænunciaverant, in scripturis sanctis indagandum est, si quo modo ad liquidum indagari „ potest. „ (8. Tom. lib. 33. cap. 4. contra Faustum.) Itaque quum inquirendum admoneat in Scripturis Dei, si quo modo ad liquidum indagari possit, utrum animæ justorum per Christi passionem aliquid melius fuerint translatæ: palam demonstrat, illas statum satis bonum, etiam antea obtinuisse. Nec ita se Manichæorum inventis acquiescere ostendit, qui præsumebant, eas per Christi dumtaxat adventum effectas beatas; ut eodem tempore concederet, Sanctos Patriarchas, propter propria mala merita, in tartareis tenebris usque tunc fuisse conclusos.

5. Nempe cognoverat, concessionem hanc pluribus prohiberi, quæ Manichæi ex hac occasione arripere anhelabant; & præcipuè quia si antiqui Patriarchæ propriis malis meritis interim fruitione Dei fuissent orbati, ante Christi descensum non fuissent justificati; quo dato, hæretici vicissent in multis. Huic igitur capiti dum adversatur S. Augustinus; quis status illis tribuendus sit ex Scripturis ostendit in sequentibus: intacta quæstione relicta, ex Scripturis pariter a diligentibus definienda, utrum scilicet illorum animæ ad meliora per descensum Christi fuerint translatæ. Ubi animadvertendum est, quæstionem istam haud ægrè dissolvi potuisse, si ex Ecclesiæ traditione constituisset, eas lumine gloriæ tunc primum donatas. Nullum quippe dubium excitari sapienter valebat, utrum meliora obtinuerint per passionem Christi: si ab egestate & miseria, ad plenitudinem & felicitatem tunc primùm emigrassent. Sed dum Manichæi contendebant, Patriarcharum animas, & Prophetarum a tartareis tenebris per Christi descensum in inferos, fuisse liberatas: istud contra Ecclesiæ Fidem eos jam eructare demonstrat S. Augustinus, hoc ipsum impugnans firmissima constantia; utpote qui sciebat, dolo malo ab hæreticis in illud tempus diferri eorumdem Sanctorum justificationem, contra Evangelii conspicuam auctoritatem.

6. Quid igitur de tantis Patriarchis Ecclesia sentiret, sequentibus indicat: „ De vita, inquit, Patriarcharum, jam quantum satis arbi„ tratus sum homini maledico non pauca respondi; quibus non uti„ que in morte correctis, vel post passionem suam justificatis, testi„ monium Deus perhibebat quum Judæos admoneret (Joh. 8.), ut „ si Abrahæ filii essent, facta Abrahæ facerent; & quod idem Abra„ ham ejusdem diem videre concupierit, gavisusque fuerit quum vi„ disset: Et quod in ejus sinum, idest nescio cujus QUIETÆ FELICI„ TATIS MAGNUM ABDITUMQUE SECRETUM, abstulerint Angeli pau„ perem illum ærumnosum a divite superbiente contemptum. (Luc. „ 16.). Quid dicam de Apostolo Paulo? An forte & ipse post mor„ tem justificatum laudat Abraham, qui priusquam circumcideretur „ credidit Deo, & deputatum est illi ad justitiam. (Rom. 4.), quod

„ tanti

„ tanti pendit, ut nos non ob aliud dicat filios ejus, qui ejus carne „ propagati non sumus, nisi quòd ejus Fidei vestigia sequamur. (cont. „ Faust. Manich. l. 33. c. 4. & 5.) „

7. Augustino igitur sapienter metuente concedere Manichæis. antiquorum sanctorum animas a tartareis tenebris per descendentem Christum liberatas; jam eas, non solum in tenebris tunc fuisse inficiatur, sed auctoritate Scripturarum statum oppositum iisdem assignat. Abrahamum enim concupivisse videre diem Domini; confirmat ex Evangelio; & insuper in recte factis, quæ imitanda Judæis Christus proponit, illum credentium patrem promeruisse tantum bonum, gavisumque fuisse quum viderit. Quid autem aliud est dies Domini, nisi facies Filii Dei, ideoque totius Trinitatis juxta illud ex Ps. 18. 3. *Dies diei eructat verbum;* in cujus aperta visione gaudio gauderet Abraham, & in cujus participatione pauper olim ærumnosus quietam felicitatem hactenus invenerat? Lumine itaque beatissimo fruebatur Abraham statim a morte. In quod nisi tunc susceptus credatur: tenebris ipsum cum Manichæis in plura sæcula adjudicamus, donec stationis horror a Redemptoris adventu vinceretur. Quum autem Augustinus tenebras oppugnet in facie Ecclesiæ, easque splendore diei Domini destruat quosdam Doctores nostros ex tunc redarguit; qui opinionem aliquantis per similem inconsultò exsuscitaverunt. Demonstrat siquidem, nunquam sui ævi catholicis eam insedisse mentem, ut crederent, Abrahamum tunc primùm gloriæ lumine perfusum, quum Christus in inferna descendit: nec Fidei Magistros diem Domini unquam ita usurpasse, ut significaret diem descensus Redemptoris in inferiores partes terræ.

8. Captivitate itaque illarum animarum ante Christi descensum a S. Augustino denegata quia incommodum statum a captivitatis nomine importatum, ubicumque fuerint, habere non poterant: quid unquam reposuisset Manichæis, si, concedentibus ipsis, eas animas tunc saltem lumine gloriæ donatas, atque beatas effectas; adhuc captivas dicere ausi fuissent, donec cum Redemptore in Cœlum ascenderent? Nonne usque eò progredi hoc temerarium hæreticorum consilium ostendisset, ut ipsa met anima Christi libera inter ipsas non fuisse credatur? Nam si captivitatis idea Patriarchis tunc saltem justificatis convenire amplius non poterat, nec quoad corpus, quod jamdudum deposuerant, nec quoad animam quam omnino mundam ex recenti justificatione gerebant: superest, quòd captivitas serio ipsis tribueretur ex loco, in quo, quamvis illuminati, adhuc detinebantur. Qui profecto locus, quum Redemptoris etiam animæ in triduo mortis ejus communis fuerit: hujus quoque libertati hinc parantur insidiæ. Sed, dictante Scriptura rationem, propter quam liber inter mortuos descendit Christus; quia nimirum præpositus mortis nihil invenit in eo, quod supplicio deberetur: inde etiam libertas adstruitur animarum

quas Dominus visitavit; in quibus scilicet tunc per gratiam justificationis nihil quod supplicio deberetur reliquit, juxta concessionem Manichæorum.

9. Proinde confirmo, vocabulum captivitatis minime convenire animabus Sinus Abrahæ, postquam a Christo illuminatæ creduntur; quamvis demonstrari posset, eas in inferis fuisse ante Christum passum, nec ab iis erutas, nisi Christo in cœlum ascendente. Multæ tamen obsunt, tum Scripturæ auctoritates, tum rationes, quominus ibi vel ante Christi descensum fuisse intelligantur; & satis ex Evangelio apparet, Christo ascendente illinc minimè fuisse eductas, quoniam nulla mentio de iis fit.

10. Sed quia verum est, ascendentem Christum in altum, captivam duxisse captivitatem, & pariter verum est, animas Sanctorum, saltem post Christi descensum in inferos, captivas dici nullo modo posse: inde denuò admonemur, quòd de substantia carnis humanæ in melius commutata, & ad peregrina ducta, convenientissimè *captivata captivitas* intelligatur. Caro enim humana post Adæ peccatum, animæ hominis loco carceris est, mortique subjecta; quæ pœna, nonnisi cum animæ molestia & dolore, ex toto humano genere certissimè sumitur. Caro insuper a spiritu destituta, verè mortua est, atque sub ea lege mansit & manet, in qua captivata est per peccatum: A qua lege per solam Salvatoris gratiam poterat liberari, carne scilicet nostra Divinitati ejus copulata, & per eum in cœlum evecta; ut quod mortuum erat propter peccatum, resurgeret propter misericordiam; & denique postremum illud beneficium adderetur animæ, quæ in ordine ad corpus creata est, ut hac societate naturaliter optata, in æternum non defraudaretur. Sicuti enim, ut diximus natura humana ex anima simul & corpore coalescit: ita nunquam dici verè posset homo beatus, nisi anima proprio conjuncta corpori tanto bono frueretur. Cujus quidem boni consequendi spem, jam Fide sola tot antecedentibus sæculis nutritam & prædicatam, exemplo suæ resurrectionis, & in Cœlum ascensionis Christus fecit evidentissimam. Captivam ergo duxit captivitatem ascendens Christus cum tota natura humana. Hujus tamen pars nobilior, in Sanctis tum viventibus, tum defunctis hominibus jam ante resurrexerat ob merita Christi venturi, ab eodem uno & vero Deo ipsi applicata. Altera verò, caro nimirum, quamvis nondum ad tantum bonum evecta, & nonnisi in fine mundi elevanda: tamen adhuc requiescit in spe, quam certissimam reddidit Christi Redemptoris in Cœlum ascensio cum carne glorificata. Et quia per peccatum mors venit in mundum, idest mors corporis, qua nempe corporis species & compago omninò destruitur, donec in melius resurgat: optimè sub peccati captivitate corpus adhuc manere intelligitur. Nam quamvis caro Adæ Cœli habitatrix per Christum & in Christo evaserit: attamen donec hoc bonum ceteris corporibus imper-

pertiatur Dominus, caro omnium hominum pœna peccati adhuc portat, & ſub captivitate manet, a qua demùm in finali carnis reſurrectione liberabitur. (*a*)

11. Aliter quippe animæ reſurrectio, aliter reſurrectio corporis inſpicienda eſt. Nam ſicuti animæ natura mori non poteſt, quia immortalitatis privilegio a Deo donata eſt: ita tnnc mortua dicitur, quum a Deo ſuo propter quem creata eſt, ſeparatur. „ Habet quippe „ & anima mortem ſuam, ait Auguſtinus, quum vita beata caret, „ quæ vera animæ vita dicenda eſt. (8. Tom. De Trinit. l. 14. cap. 4.) Nunquam autem & nuſquam a Deo ſuo ſejungitur, niſi peccato. Tunc enim ab ea juſtitia abhorret, in qua primùm creata eſt, & in qua imaginem portat Creatoris ſui, ſicut dicit Iſaias, *Peccata veſtra ſeparant inter vos & Deum*. Quo tamen miſerante, ſi vel ab originali ſanatur, vel eo præſtante, ſi peccata deteſtatur &

 gemit

(*a*) Quæ dixi, atque dicturus ſum circa hunc textum, nolo ita accipiantur, quaſi ac Aſcenſio Chriſti nihil contulerit animabus hominum, ideoque non ſit cauſa noſtræ ſalutis. Omnes quippe actiones humanitatem ejuſdem Domini noſtri cumprobantes ad id etiam ordinatæ fuerunt, ut toti naturæ noſtræ gloriam promererentur. Sed ſicuti ſingulæ modo ad iſtud, modò ad illud myſterium oſtendendum atque inſinuandum factæ ſunt: ita unum potius quàm aliud quandoque indicatur a ſeparatis textibus Sanctæ Scripturæ, aliquod factum Redemptoris referentibus. Idcircò Sanctus Thomas dicit, „ quòd paſſio Chriſti eſt cauſa noſtræ aſcenſionis in Cœlum, pro„ priè loquendo, per remotionem peccati prohibentis, & per modum me„ riti: aſcenſio autem Chriſti eſt directe cauſa aſcenſionis noſtræ, quaſi in„ choando ipſam in capite noſtro, cui oportet membra conjungi (p. 3. q. 57. ar. 6. ad 2.). Pariter S. Doctor examinans auctoritatem Divi Auguſtini circa reſurrectionem animæ, & corporis noſtri, quæ proximè ſequitur in meo textu, hanc præmittit doctrinam: „ Dicendum quòd reſurrectio „ Chriſti agit in virtute divinitatis, quæ quidem ſe extendit, non ſolum „ ad reſurrectionem corporum ſed etiam animarum: a Deo enim eſt, & „ quòd anima vivat per gratiam, & quòd corpus vivat per animam. Et „ ideo reſurrectio Chriſti habet inſtrumentaliter virtutem effectivam, non „ ſolum reſpectu reſurrectionis corporum, ſed etiam reſpectu reſurrectionis ani„ marum: ſimiliter etiam habet rationem exemplaritatis reſpectu reſurrectionis „ animarum: quia Chriſto reſurgenti debemus etiam ſecundùm animam „ conformari, ut ſicut ſecundùm Apoſtolum Rom. 6. Chriſtus ſurrexit a „ mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, & „ ſicut ipſe reſurgens ex mortuis jam non moritur, ita & nos exiſtimamus „ nos mortuos eſſe peccato, ut iterum vivamus in illo. (p. 3. q. 56. art. 2. in corp.) Quod itaque Angelicus docet de Reſurrectione Chriſti, ſatis demonſtrat quid ſentiendum ſit de ejuſdem aſcenſione. Nihilominus ego, qui hanc doctrinam amplector, puto textum, *Aſcendens Chriſtus in altum captivam duxit captivitatem*, peculiari quadam ratione prædicare ſanationem carnis noſtræ, ejuſdemque elevationem ad præmium cœleſtis manſionis, quin hæc explicatio ullo modo officiat donis conlatis animabus humanis per eamdem Redemptoris aſcenſionem.

gemit propria voluntate commissa: ab istis etiam pro sua pietate ita purgatur, ut pristinæ justitiæ reddita, denuò in Deo, & cum Deo suo vivat, etiam in hac valle lacrymarum; ubi corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & ne Deo fruatur, quantum par est, impedit. Horum quippe vinculorum solutionem cum Apostolo desiderat, ut eo revelato bono fruatur, quod nunc in se habitans tantò magis sentit, quantò ferventiore caritate illi conjungitur. Quamobrem animæ resurrectio, est illius ad pristinæ justitiæ stolam restitutio; eamque tunc effici quum a peccatorum maculis abstergitur, nemo sanus poterit dubitare. Hanc autem gratiam a Deo animæ impertiri in hoc mortali carcere de Fide est. Ab hoc enim separata, iis vel bonis vel malis stipata meritis, cum quibus hinc abscedet, ante æterni judicis tribunal sistet; & sic vel gloriam statim consequetur, si hac digna est, vel pœnas; quibus vel ad tempus vel in æternum erit obnoxia, pro meritorum qualitate malorum. Idcircò animæ resurrectionem, etiam ante Christi manifestatum in carne adventum, propter ejusdem merita futura, a Deo operatam, omnes cum D. Thoma concedunt Theologi, ut supra vidimus (cap. 9.). Adeoque si quis dixerit justificationis gratiam hominibus Deum esse largitum per Christi manifestam passionem, tunc scilicet tantum quum facta corporaliter est: Manichæorum erroribus subscribet quoad animas antiquorum justorum, qui tantò ante a mundo discesserant. Insuper negabit veritatem remissionis peccatorum, quam Paralitico, & Magdalenæ Christus Dominus idem æternus Deus largiri voluit adhuc in carne vivens; nam hæc misericordia passionem ejus dubio procul antecessit.

12. Proinde cum D. Augustino dico, aliter considerandam esse animæ resurrectionem, aliter resurrectionem corporis. Anima enim ab iniquitate, corpus verò ab infirmitate resurgunt. Attendite illius verba. „ Et tota prædicatio, dispensatioque per Christum hæc est, Fratres, & alia non est, ut resurgant animæ, resurgant & corpora. „ Utrumque quippe mortuum erat, corpus ex infirmitate, anima ex „ iniquitate. Quia utrumque mortuum erat, resurgat utrumque. Quid „ utrumque? anima & corpus. „ Quia autem videbat, sapienter objici posse ex Scripturis, quòd etiam ante Christum in carne manifestatum, animæ resurgebant, quoniam justificabantur: continuò addit. „ PER QUID ERGO ANIMA, NISI PER DEUM CHRISTUM? PER „ QUID CORPUS, NISI PER HOMINEM CHRISTUM? Erat enim & in „ Christo anima humana, tota anima, non irrationale tantùm animæ, sed etiam rationale, quod mens dicitur. Fuerunt enim quidam „ hæretici, & pulsi sunt ab Ecclesia, qui putarent non habere mentem rationalem corpus Christi, sed quasi animam belluinam: excepta „ quippe rationali mente, vita belluina est. Sed quia expulsi sunt, & veritate expulsi sunt: accipe totum Christum, Verbum, mentem rationalem, „ & carnem. Hoc totum Christus est. Resurgat anima tua ab iniquita-

„ te

„ te per id, quod Deus eſt; reſurgat corpus tuum a corruptione „ per id quod homo eſt. Proinde, Cariſſimi, audite magnam lectionis hujus, quantum mihi videtur profunditatem, & videte quemadmodum loquatur hic Chriſtus, nihil aliud quàm quare venerit „ Chriſtus, ut reſurgant animæ ab iniquitate, reſurgant corpora a „ corruptione. Jam dixi animæ per quid reſurgant, PER IPSAM SUBSTANTIAM DEI, corpora per quid reſurgant, PER DISPENSATIONEM „ HUMANAM Domini noſtri Jeſu Chriſti. (2. p. 3. Tom. Trac. 23: in Joh. n. 6.) Ita altiſſimè quidem, ſed etiam ſapientiſſimè exponit, firma Fide credendum, non per alium unquam, niſi per mediatorem Dei & hominum Hominem Chriſtum Jeſum, ſalutem ſive animæ ſive corporis in humano genere vel operatam, vel fuiſſe operandam. Per id enim quod Chriſtus eſt Verbum, & Verbum Deus, & Deus apud Deum in æternitate incommutabilis naturæ ſuæ, animarum ſalutem, eas a peccatis liberando, operatus eſt a conſtitutione mundi, & uſque nunc operatur. Per id autem quòd Chriſtus, eadem cum Verbo æterno perſona, naturæ ſuæ divinæ infirmitatem carnis noſtræ copulavit: tum auctorem ſalutis reddidit manifeſtum, tum ejuſdem carnis ſanitatem & gloriam clementiſſimè effecit, eam ſcilicet ab infirmitate ſanando, & in Cœlum elevando; atque ita ſpem, qua vivimus, in reſurrectione proprii corporis, poſt paſſionem, & mortem, & ſepulturam ſuam, confirmavit.

13. Hoc amplius patebit, ſi diverſitatem conſideremus, qua naturæ noſtræ duplicem ſubſtantiam Chriſtus aſſumpſit. Quamvis enim eamdem animæ ſubſtantiam induerit: non tamen mortem, cui hæc ſubſtantia ſubjacet unquam paſſus eſt; nunquam enim ſcivit peccatum vel naſcendo vel vivendo, quod vera mors animæ eſt. Infirmitates verò corporis humani adeò ſuſcepit, ut præter ea, quæ vitam noſtram ſepiunt incommoda (inobedientia carnis excepta, quæ animæ naturæ ex peccato vitiatæ, acceſſit), etiam mortem pati dignatus ſit. Ex qua quidem ejus vita & morte, quanta bona emanaverint, quis dicendo par eſt? Iſtud tamen evidentiſſimum beneficium fidelibus præſtitit a mortuis reſurgendo, ut cognoſcerent, ſe perfectè ſecundùm utramque naturam beatos futuros; indeque impiorum contereret ſuperbiam, qui mortuo corpore nihil ſupereſſe vel boni vel mali humanæ naturæ dictitabant. Nam ſicut bonis præmium etiam corporis, in gloria carnis ſuæ ſperandum oſtendit: ita malos utriuſque naturæ ſupplicium manere monſtravit. Scilicet per hæc teſtimonium reddidit Scripturis ſanctis, in quibus exempla jamdiù præceſſerant finis tum bonorum tum iniquorum. Etenim Enoch, tempore naturalis Legis translatus, ne videret mortem; atque Elias vivus in cœlum igneo curru ſublatus, ſcriptâ Lege durante, ſatis indicaverant glorioſam juſtorum reſurrectionem tum ſecundum animam tum ſecundum corpus. Exadverſo Dathan, & Abiron, quos viventes terra hians vivaciſſimis flammis involutos abſorbuit, probe oſtenderant, quid impios omnes maneat

maneat secundùm utramque substantiam. Has itaque veritates resurrectio Domini amplius confirmavit; bonorum præmium etiam in sua carne demonstrans, malorum confirmans supplicium, cum utrosque simul in judicio futuros prædixit, & *propria corporis* juxta merita recepturos.

14. Non tamen inficior, hunc textum, *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*, alio etiam pacto posse explicari. At nunquam trahi posse puto ad indicandam liberationem animarum sanctarum ab inferis, quod præcipuè contendebat Tournely. Revera Divus Augustinus perpendens Psalmum 69. 19., (ad quem intendisse videtur Apostolus), ubi Propheta scribit: *Ascendisti in altum cepisti captivitatem*: nihil de animabus Sinus Abrahæ dixit; sed illi textui alium sensum tribuit, sic ajens. „ Sed quid est captivasti captivitatem? Utrum quia vicit mortem, quæ captivos tenebat, in quibus regnabat: an ipsos homines appellavit captivitatem, qui captivi sub diabolo tenebantur? Cujus rei mysterium continet etiam titulus illius Psalmi (95.) Quando domus ædificabatur post captivitatem, idest Ecclesia post gentilitatem. Ipsos itaque homines, qui captivi tenebantur appellans captivitatem, sicuti militia quum dicitur, & intelliguntur qui militant, eamdem captivitatem a Christo captivatam dicit . . . . Captivati ergo, quia capti, & capti quia subjugati, sub lene illud jugum missi, liberati a peccato cujus servi erant: & justitiæ servi facti, cujus liberi erant, (4. Tom. Enar. in Ps. 67. n. 26.). Et alibi. „ Hæc est domus, quæ sicut Psalmus (126.) canit, ædificatur post captivitatem: quoniam qui sunt a diabolo eruti, a quo captivi tenebantur, de his ædificatur domus Christi, quæ domus appellatur Ecclesia. Hanc autem captivitatem ipse captivavit, qui diabolum vicit. Et ne illa, quæ futura erant sancti capitis membra, in æternum supplicium secum traheret, eam justitiæ prius, deinde potentiæ vinculis alligavit. Ipse itaque diabolus est appellata captivitas, quam captivavit, qui adscendit in altum (8. Tom. De Trinit. l. 15. c. 19. n. 34.). Et rursus: „ Quid est captivasti captivitatem? Vicit mortem. Quid est captivasti captivitatem? Mortem procuravit diabolus, & ipse diabolus de morte Christi est captivatus. (5. Tom. Serm. 128. alias 43. de Verb. Domini n. 4.)

15. Hunc ipsum locum explanans S. Maximus Episcopus, de carnis Filii Dei in Cœlum ascendentis substantia intelligendum docet, ibi: „ Ascendit inquit in altum, captivam duxit captivitatem. Quàm benè triumphum Domini Propheta describit! Solebat, sicut dicunt, Regum triumphantium currus; captivorum pompa præcedere. Ecce Dominum euntem ad Cœlos, non præcedit, sed comitatur gloriosa captivitas, non ante vehiculum ducitur, sed ipsa evehit Salvatorem. Quodam enim mysterio, dum Filius Dei filium hominis sustulit ad Cœlum, ipsa captivitas portatur & portat. „ (De solemnitate

tate Pentecostes Hom. 2.) Num, si animæ Sanctorum a captivitate liberatæ triumphum Domini tunc comitatæ fuissent, præteriisset Sanctus vir pompæ illius obsequium & augmentum, vel ipsæ præcederent, vel sequerentur?

16. D. Hilarius Pictaviensis Episcopus hanc pariter captivitatem de iis explicat, qui non credebant secundùm corpus se inhabitaturos cum Christo, & ait. „ Et quia ultra humanæ Spei Fidem sit, eum ter- „ renæ carnis corruptionem in cœlestem gloriam transtulisse, gen- „ tesque impias, & ante vitiorum ac superstitionum furore perversas „ ad cognitionem Dei consortiumque esse deductas: ob hoc in his „ dona hominibus accepit, qui se cum Deo habitaturos esse crede- „ rent. Atque ita hujus mediatoris ex lege consummata cognitio est, „ ut qui in lætantium millibus in Sina fuisset, hic idem in Sancto „ rursum in altum captiva captivitate conscendens, dona nos, qui „ secum cohabitaturos diffidebamus, acciperet. (Tract. in Ps. 67. n. 19.) Inter hos autem, qui cum Deo se futuros esse diffidebant, quis unquam enumeret fideles Sanctos Sinus Abrahæ? Quos insuper Hilarius, & Maximus & Augustinus nequidem nominant; quum tamen, si cum Christo tunc ascendissent in Regnum, atque hujus textus verba eos potissimè respicerent, non infimam certè hujus triumphi partem tam acuti Doctores silentio damnare noluissent.

17. At ad rem meam S. Gregorius Papa, captivatam captivitatem jubet intelligi de natura carnis glorificata. „ Pro hac ipsa namque „ carnis nostræ sublevatione, inquit, per figuram Beatus Job Domi- „ num avem vocat. Quia enim ascensionis ejus mysterium, Judæam „ non intelligere conspexit, de infidelitate ejus per figuram Beatus „ Job sententiam protulit, dicens: *Semitam ignoravit avis*. Avis enim „ rectè appellatus est Dominus, quia corpus carneum ad æthera li- „ bravit. Cujus avis semitam ignoravit quisquis eum ad Cœlum ascen- „ disse non credidit. De hac solemnitate per Psalmistam dicitur: „ *Elevata est magnificentia tua super Cœlos*. De hac rursus ait: *Ascen-* „ *dit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ*. De hac iterum „ dicit: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona* „ *hominibus*. Ascendens quippe in altum, captivam duxit captivitatem: „ quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit. „ Dedit verò dona hominibus, quia misso dessuper Spiritu, alii ser- „ monem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii gratiam virtutum, „ alii gratiam curationum, alii genera linguarum, alii interpretatio- „ nem tribuit sermonum. (Hom. 28. in Evangelia.) Quum igitur interpretationes antea relatæ homines adhuc in hac carne viventes atque victuros respiciant, quorum certè nemo ad gloriam cum Christo tunc adscendit; intactam relinquunt eam interpretationem, de qua supra ex mente Divi Maximi, & Sancti Gregorii locutus sum, verè scilicet, ascendente Christo captivam factam esse captivitatem,

car-

carnem nimirum humanam; quæ a captivitate liberata peccati, Cœlum in nostro capite conscendit.

18. His addamus, quòd, quandocumque in Scripturis de Christi resurrectione mentio fit; sui corporis resurrectio intelligitur; ea certissima regula, qua ex S. Augustino docemur, Christum, secundùm animam non indiguisse resurgere. Illud etenim verè dicitur resurgere, quod antea mortuum erat. „ Nam quod fuerit, inquit, anima mor- „ tificatus Jesus, hoc est eo spiritu, qui hominis est, quis audeat „ dicere? Quum mors animæ non sit nisi peccatum, a quo ille „ omnino immunis fuit, quum pro nobis carne mortificaretur. (2. „ Tom. Epist. ad Evod. 164. alias 99.) „ Proinde, quisquis demum ille sit, qui sermonem aliàs inter Augustinianos relatum conscripsit (5. Tom. De Verbis Apostoli 34. nunc in Appendice 109.) merito ajebat. „ Ideo enim Dominus noster Jesus Christus mori vo- „ luit, & resurgere, ne tu de resurrectione dubitares .... Et de- „ dit nobis piùs & misericors Dominus virtutis suæ pignus, & gran- „ di testimonio spem nobis resurrectionis ostendit, quia Unigenitum „ Filium suum pro nobis hominem factum, & mortuum, a mortuis „ suscitavit. Ideo enim Dominus noster Jesus Christus nasci ex ho- „ mine, idest ex Maria Virgine dignatus est, & a Judæis crucifigi, „ & die tertia resurgere, ut nos tali exemplo animati, resurrectio- „ nem ex mortuis certissimè crederemus, quam qui non credit futu- „ ram, nec hoc quidem credit, quòd Christus resurrexit a mor- „ tuis. „

19. Quamvis enim de immortalitate animæ aliqui etiam tunc fuissent incerti: doctioribus tamen ex Gentibus, revelante invisibiliter Deo, facilis reddebatur ab ipsa ratione intellectus, animam nimirum humanam immortalem esse; id cogitantes, quod S. Augustinus 1. Tom. libro de Immortalitate animæ demonstrat, animam scilicet immortalem esse, quia disciplinæ capax est; quumque disciplina immortalis sit, animam ab hoc adjacente immortali, immortalem evinci. Hinc Elisios Campos, in quibus immortaliter victuræ essent bonorum animæ, venerabantur quidam Gentium Philosophi, & Gentes cum ipsis.

20. Corporum verò resurrectio adeò humanis mentibus adversabatur, ut non solum Philosophi omnes in hac impugnanda persisterent, & Saducæi hanc resurrectionem irridentes inducantur ex Evangelio (Matth. 22. ℣. 23.) verum etiam Magdalena & Apostoli, licèt propriis oculis conspicerent Dominum, qui jam resurrexerat, de hac toties per eum inculcata, tunc verò jam manifestata veritate, dubitabant. (Vide D. Augustinum 5. Tom. Serm. 244.) Huic igitur resurrectioni persuadendæ, nulla ratio sufficiebat, quin misericors Dominus proprio exemplo suam jam antiquam confirmasset doctrinam; per quam mundi sapientum vincebatur superbia, qui Deo ipsi hanc adi-

adimebant potentiam. Non enim caro ex vi naturæ suæ resurrectura prædicabatur; sed ex virtute illius, qui eam de nihilo ad esse vocavit. Quòd si tot tantique hæretici inventi sunt, & adhuc fortasse inveniuntur, hanc resurrectionem impugnantes, quamvis exemplum in Christi corpore præcesserit: quis unquam excogitare poterit, qua pertinaci constantia spes hæc tum antiquorum tum recentium fidelium impeteretur, anteqnam tanto miraculo firma persisteret? ,, In nulla ,, enim re sic contradicitur Fidei Christianæ, ait S. Augustinus, ,, quam in resurrectione carnis. Denique ille qui natus est in signum, ,, cui contradicitur, & ipsam carnem suam resuscitavit, ut obviam ,, iret contradictori: & qui posset membra sua sic sanare, ut ea vul- ,, nerata fuisse non appareret, cicatrices servavit in corpore, ut vul- ,, nus dubitationis sanaret in corde. In nulla ergo re tam vehemen- ,, ter, tam pertinaciter, tam obnixè, tam contentiose contradicitur ,, Fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam de animi im- ,, mortalitate multi etiam Philosophi Gentium multa disputaverunt, ,, & immortalem esse animum humanum pluribus & multiplicibus ,, libris conscriptum memoriæ reliquerunt. Quum ventum fuerit ad ,, resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissimè contradicunt, ,, & contradictio eorum talis est, ut dicant, fieri non posse, ut caro ,, ista terrena possit in Cœlum ascendere. (4. Tom. Enar. in Ps. 88. n. 5.)

21. Ad hanc igitur etiam veritatem, stabiliendam, atque firmandam, quum mori & resurgere, & in Cœlum ascendere Christus voluerit: eamdem peculiari quodam modo prædicandam suscepit Apostolus, verba Prophetæ repetens: *Ascendes Christus in altum captivam duxit captivitatem*. Verè enim captivitatem triumphans devicerat; carnem humanam ab infirmitate sanatam, nunquam morituram, sed perpetuo cum anima victuram, atque beatitate fruituram, in Cœlum portando, & ad Patris dexteram, collocando. Hanc, inquam, prædicandam suscepit Apostolus, quam alibi mysterium esse dixerat *Fratres*, inquit, *ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (1. Cor. 15.): ita nimirum docens, quanta Fide id esset credendum, quod quum mysterium sit, jam omnes excedit humanæ vires intelligentiæ & rationes. Textus verò ille, de cujus intelligentia usque nunc disputavimus, nunquam sapienter trahi poterit ad indicandam liberationem sanctarum animarum ab inferis, quum eò Redemptor descendit; vel ad confirmandam earumdem ascensionem in Cœlum, quum Christus triumphans ascendit, quia nec Evangelium nec libri Canonici eas in inferno fuisse, aut in hoc triumpho commemorant; nec de iis ulla mentio fit a Sanctis antiquis Ecclesiæ Patribus hæc verba explicantibus.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Non obesse Beatitati antiquorum justorum ante Christum manifestatum, Textum Apostoli Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus &c. ut non sine nobis consummarentur, *quem pariter affert Tournely.*

1. ATtente legenti caput XI. Epistolæ Divi Pauli ad Hebræos, statim duo occurrent. Alterum quòd Apostolus declarat Abraham Isaac & Jacob occubuisse non acceptis repromissionibus: a Moyse autem incipiens usque ad Samuel, commemoratis etiam Prophetis, eos mortuos esse ait adeptis repromissionibus, ibi, *adepti sunt repromissiones*. (v. 33.) Alterum, quòd in fine illius capitis addit: *Et hi omnes testimonio Fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. In antecedentibus igitur *repromissiones* dicit plurali numero, quas illorum quosdam recepisse docet, quosdam verò non: postremò *repromissionem* nominat singulari numero, quam nec ipsos, nec nos adhuc adeptos esse confirmat, addens, *ut non sine nobis consummarentur*. Idcircò hæc omnia ita consideranda videntur ut inveniamus & quod illis peculiare erat, & quod nobis cum ipsis commune adhuc sit, singula perpendendo juxta temporum differentias, atque rerum significationes.

2. Hoc autem tum illis, quos Paulus narrat occubuisse non acceptis repromissionibus; tum istis, qui post repromissiones adeptas mortui sunt; & denique nobis quibus non repromissiones sed repromissionem expectandam cum ceteris enunciat: hoc, inquam, commune erat, & est, ut Fide hæredes instituamur justitiæ. Hæreditatem istam illos fuisse assecutos præclarissimè docet Apostolus, in singulis Fidem commendans, cujus nempè merito Deo placuerunt, & justi facti sunt, vel acceptis vel non acceptis repromissionibus. Unde initio ejusdem capitis scripserat: *In hac* (Fide) *testimonium consecuti sunt senes*. Quid autem vocabulum *testimonium* innuat, paullo infra explicat, de Abel ajens: *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur*. De translato verò Henoch dixit: *ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*. De Noe autem addit, *& justitiæ, quæ per Fidem est, haeres est institutus*. Hæreditas itaque, quæ ex Fide est, communis illis ac nobis est; testimonium perhibente B. Petro, qui Fidem nostram comparans cum Fide antiquorum justorum, ait: *Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi*. (Ac. 15. 11.) Igitur repromissiones, quas quidam assecuti dicuntur, quidam verò non, haud impediunt justitiæ hæreditatem bonis meritis a principio propositam,

sitam, quamque priores illos jam obtinuisse demonstrat Apostolus inquiens, *Et hi omnes testimonio Fidei probati*.

3. Posita itaque doctrina, quòd hæreditas justitiæ, quæ ex Fide est, non excludatur per repromissiones vel acceptas vel non acceptas, nec per repromissionem adhuc omnibus expectandam; quarum postrema consummata, tunc illi nobiscum consummabuntur: sensum inquiramus repromissionum, quas Apostolus enunciat, tum etiam illius adhuc omnibus expectandæ. Utque ordinatè progrediamur; consideremus primò quomodo Tournely (qui repromissiones dissimulat, quas quosdam illorum adeptos esse dixit Apostolus) textum illum sibi oppositum explicet. „ Respondeo, ait pag. 283. Repromissiones illas, „ quæ veteribus Patriarchis factæ sunt, spectare, vel temporalem possessionem terræ Chanaan, vèl æternam in Cœlis felicitatem. Quocumque intelligantur sensu, verè dixit Apostolus, Sanctos illos Patriarchas toto illo tempore, quod antecessit Christi adventum, adeptos non fuisse repromissiones: non terram Chanaan, quam non ipsi, sed eorum dumtaxat posteri obtinuerunt, non æternam in Cœlo felicitatem, quæ nemini concessa fuit, priusquam Christus in Cœlum ascendens, captivam secum duxerit captivitatem. Nondum enim reseratæ fuerant Paradisi fores, nondum propalata Sanctorum via. „

4. Jam præcedenti capite ostensum fortasse est, nullo fundamento a Doctore Sorbonico afferri textum Apostoli, *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*, ut felicitas æterna Sanctorum antiqui Testamenti protrahatur usque ad Christi descensum in infernum; vel ad eosdem ibi detinendos usque ad ascensionem Redemptoris in Cœlum. Nunc igitur ostendemus, felicitatem, quam ipsis ex eo textu perperam denegavit hic scriptor, non majori fundamento iisdem abripere per hoc Apostoli oraculum: diligentius perscrutando duplicem sensum, quem tribuit verbis Apostoli, *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus*. Placet igitur huic auctori, quòd sive adeptio & possessio terræ Chanaan, sive æterna in Cœlo felicitas intelligenda sit in recensitis hoc loco ab Apostolo repromissionibus: neutram antiqui Patriarchæ receperint. Consequens proinde erit, quòd utramque obtinuerint illi, quos paullo infra (v. 33.) Apostolus dixit, hinc emigrasse *acceptis repromissionibus*, Josue nimirum Jephte, Barac, Sampsonem, Rahab meretricem, Gedeonem, & ceteros. Hæc sola consideratio fallaciam evincit inrerpretationis Turnelianæ, quam tamen amplius patefacere opportunum est.

5. Quantum igitur attinet ad possessionem terræ Chanaan, certum est, nunquam contigisse antiquis Patriarchis; licèt plures ex istis defuncti sint in Fide etiam hujus promissiònis corporaliter adimplendæ in posteris suis. Unde Apostolus postquam dixerat: *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus*, subdit, *sed a longe eas aspicientes & salutantes & confitentes, quia peregrini & hospites sunt*

super terram. Hinc superius inquiebat. *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem; & exiit nesciens quò iret. Fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem*.

6. Plures dixi: non enim omnes Patriarchæ superiùs ab Apostolo nominati juxta hanc Fidem occumbere potuerunt. Abeli namque, Henocho, & Noe, factam haud constat repromissionem Terræ Chanaan: quos proinde eam de longe aspexisse & salutasse, aut in illa terra peregrinos fuisse veluti promissa, ostendere difficile est. Abrahæ, autem primò sponsionem factam, huncque, jubente Deo, in eam terram transisse, & tamquam peregrinum & hospitem eamdem perambulasse, ex sacratissimis Scripturis admonemur. Adeoque peregrinus in illa terra fuit, ut nonnisi pretio soluto, speluncam duplicem ab Ephron obtinuerit, in qua Saram uxorem suam sepeliret. Similia contigerunt Isaac & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem; quorum postremus Pharaoni respondens, *paucos & malos dies suos* dixit (Gen.47. 9.). Quoniam igitur in tribus istis non æque in tribus illis verum est, juxta Fidem esse defunctos, non acceptis repromissionibus, quia priores hanc non noscentes, neque expectabant: viderit Tournely præproperè dixisse, antiquos Patriarchas defunctos esse non acceptis repromissionibus; quatenus hoc vocabulo intelligit terram Chanaan, quam non ipsi, sed eorum posteri obtinuerunt; hoc scilicet Apostoli textu priores minimè amplectente quippe qui istam repromissionem nesciebant.

7. Mentem insuper Apostoli non fuisse, ut quod de Abraham Isaac & Jacob dixerat, nimirum juxta hanc Fidem eos objisse, pertingeret etiam tres alios insignes sanctosque viros, Abel, Henoch, Noe, quorum supra meminerat: denuò demonstrat vocabulum *omnes*, quo utitur in hac narratione. Nam quum Henoch mortuus non sit, eodem Apostolo dicente: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus*: sibi metipsi contrarius esset Paulus, si infra dicens, *juxta Fidem defuncti sunt omnes isti*: in hac universitate Henochum etiam comprehensum voluisset. Textus itaque, de quo nunc agimus, Abraham verè, & Isaac & Jacob respicit. Tum quia hi tres dubio procul mortui sunt, quod de Henoch asseri non posse videtur; tum quia Abrahæ primùm, inde filio & nepoti suo repromissiones dictæ sunt, non item tribus illis. Horum tamen Fidem justitiamque superiùs commendat Apostolus, ut significet qua Fide Spe, & Caritate hi etiam Deo conjuncti tantò ante in hac terra vixerint; indeque insinuet, invisibile præmium ab ipsis expectatum, a Deo autem utique redditum ipsis vel per mortem vel per translationem hinc discedentibus.

8. „ Multi autem quærunt, ait D. Johannes Chrysostomus (Hom. „ 22. in cap. XI. ad Hebræos) quò translatus sit Henoch, & quare „ tran-

„ translatus, & quare non fuerit mortuus, neque ipse neque Elias:
„ & si adhuc vivunt, quo modo vivunt, & in quali habitu. Sed
„ supervacaneum est ista requirere. Quia verò translatus est iste, &
„ quia assumptus est ille, scripturæ dixerunt; ubi autem sint, & quo
„ modo, non addiderunt. Nihil autem amplius quàm quæ necessaria
„ sunt dicunt. Hoc enim factum est quod de translatione dicitur,
„ ipsis initiis statim, ut anima humana spem acciperet, & quia sol-
„ veretur mors, & damnaretur diabolica tyrannis. Translatus est
„ enim non mortuus, immo ut ne videret mortem. Propterea addi-
„ dit, vivus translatus est, quia placuit Deo. „ Quamvis itaque Sanctus Doctor mysterium quidem assignet per translationem Henoch indicatum, infraque apertius dicat: „ sic & Deus, ut penè dicam
„ humano more non sustinuit, sed continuò ostendit, quia soluta
„ est mors; „ & licèt admoneat, modum quo tum Henoch tum Elias adhuc vivant, supervacaneè requiri: vult tamen fideliter credi, quòd istorum vel translatio vel assumptio ostendant remunerationem, quam a Deo expectabant, in eum credentes quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit. Paullo enim infrà sic concludit. „ In-
„ quirentibus namque eum per bona opera, & per sui cognitionem,
„ retributor efficitur. „ Quumque ex his constet, Henoch atque E-
„ liam Deum quæsiisse: consequens est, istos retributionem etiam consecutos esse a Deo, cui placuerant, per quam multò meliorem vitam viverent, ea qua ante translationem & assumptionem potiti fuerant; ideoque perperam omninò, & contra mentem Apostoli, quispiam eos vel in doloribus poneret vel in ignava quiete.

9. Nunc ad eos sermo descendat, quos præterivit Doctor Sorbonicus; quos tamen Apostolus repromissiones adeptos dixit. Ubi animadvertendum est, Moysem non intrasse terram Chanaan, quamvis hanc promissionem sæpius audierit, & primus inter illos recenseatur, de quibus infrà dicit Paulus: *Qui per Fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*. Unde colligamus oportet repromissiones Moysi donatas, minimè significare terram hanc, quam vidit quidem, sed nequaquam obtinuit.

10. Rursus de Rahab meretrice, quæ erat ex gentibus, asseri non potest., quòd cum filiis Israel ingressa sit terram Chanaan; in qua immo exploratores ipsa susceperat. Quibus rectis operibus, non Fide tantùm justificata, ut docet Jacobus Apostolus in epistola sua (2.25.) se, & domum Patris sui salvavit, & omnia quæ habebat cum tota cognatione sua, quam *fecit Josue vivere, & habitaverunt in medio Israel*. (Josu. 6.) Porrò Rahab hanc repromissionem non audierat a patribus suis, neque sub hac spe, ipsi ignota, exploratoribus benè usa fuerat; sed potius quia ex mirabilibus, quæ Dominus per Filios Israel operatus fuerat, ad confessionem ascendit & fiduciam ejusdem majestatis atque potentiæ. *Dominus enim vester* inquit, *ipse est Deus in Cælo sursum, & in terra deorsum*. In ejus nomine speravit salutem,

atque

atque ideo addidit: *Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum Domo patris mei.* (Josu. 2.) Hæc ipsi itaque Fides, isthæc opera profuerunt, ut partem non suam in hæreditate Domini obtineret; & tam de longe ostenderet, quæ Deus in plenitudine temporum Gentibus parabat, juxta promissiones toties Abrahæ repetitas.

11. Litteralem denique sensum promissionis hujus attentius perscrutantibus, novæ salebræ occurrunt. Dixit quippe Deus: *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis Abraham Isaac & Jacob: & dederit tibi civitates magnas & optimas, quas non ædificasti, Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas quas non fodisti, vineta & oliveta, quæ non plantasti. Et comederis & saturatus fueris: Cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de Domo servitutis.* (Deut. 6. 10.) *Custodi ergo præcepta & ceremonias, atque judicia, quæ ego mando tibi hodie. Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, & feceris, custodiet Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam, quam juravit patribus tuis: Et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo atque vindemiæ, oleo & armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis, ut daret eam tibi. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis. Auferet Dominus a te omnem languorem. & infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.* (Deut. 7. 11.) *Dominus enim tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque & fontium . . . . . terram frumenti, hordei & vinearum, in qua ficus & melogranata, & oliveta nascuntur, terram olei & mellis. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris.* (Deut. 8. 7.)

12. Talia & tanta spondet Deus diligentibus se, & custodientibus mandata sua in terra Chanaan. Quid autem bonorum horum obvenit iis, de quibus Apostolus, eodem capite dixit (totidem innuens antiqui testamenti historias, teste Nicolao de Lyra in hunc locum): *alii distenti sunt, non suscipientes redemptionem. Alii verò ludibria & verbera experti, insuper & verbera, & carceres: Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cavernis terræ?* De quibus tamen testimonium perhibet, quod INTENDERUNT IN MELIOREM RESURRECTIONEM; quod IIS DIGNUS NON ERAT MUNDUS; quod PER FIDEM VICERUNT REGNA, OPERATI SUNT JUSTITIAM, ADEPTI SUNT REPROMISSIONES; quod denique HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI SUNT. Profectò, quantum attinet ad terrena bona in hæreditate Chanaan pollicita, nihil recepisse fideles istos consultiùs dicemus. Aut si quid commodi adepti sunt, eis in tentationem fuisse; ut suo exemplo monstrarent,

non

non magis æstimanda transeuntia bona hæc quàm invisibilia atque æterna Domini promissa; ad quam spem confirmandam lætantes dura quæque, & denique martyrium ipsum subibant,

13. Agnoscat ergo Tournely, non omnes antiquos Patriarchas juxta fidem repromissionis terræ Chanaan, esse defunctos; Moysem verò in hac fide occubuisse, quamvis repromissiones adeptus dicatur; & demum omnes sanctos viros, qui eam obtinuerunt, repromissionesque assecuti leguntur, ad exercitationem magis fidei futurorum, quàm ad quietem præsentem, eam terram possedisse. Id quippe indicant illæ voces David in throno Israel sedentis: *Quis dabit mihi pennas, ut columbæ, & volabò & requiescam?* (Ps. 54.) *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* (Ps. 119.). Quomodo enim servi Dei terrenam quamcumque felicitatem, qua tamen, licet post longissimam senectutem, per mortem privari debebant, velut præmium fidei suæ aspicere poterant? Itaque terrena ista bona, veluti adjectionis & additamenti loco, vel aspiciebant futura in posteris suis, vel iisdem bonis ipsi fruebantur præsentibus, ut ait Chrysostomus (Hom. 23. in cap. XI. ad Hebr.); invisibilia interim & æterna firma fide exoptantes ac opperientes.

14. Quod autem Doctoris Sorbonici interpretationem omninò allidit, hoc est. Si ipse a non adepta possessione terræ Chanaan, metiri vult non adeptionem felicitatis perpetuæ in cœlis ante Christum: hanc felicitatem denegat Abrahæ, Isaac, Jacob, & Moysi, quam ex hoc capite dare cogitur Japhte, Gedeoni, Rahab, & Sampsoni, quod absonum certe est. Si vero perstringit omne antiquorum præmium usque ad Christum in sola possessione Terræ Chanaan: fateri pariter debet, quod absurdissimum est, nihil prorsus præmii antiquis Patriarchis, sanctis justisque viris contigisse, quod tamen postea obvenit licet inferioris meriti hominibus immò tot etiam indignis eorum posteris, quorum culpabiles mores in sacra historia post ingressum terræ Chanaan legimus, flagellaque ipsis immissa a Deo justo vindice scimus.

15. Inferioris autem meriti eos fuisse, si cum Abraham comparentur, pluribus patet, & præcipue quia, teste Divo Augustino, nullum peccatum ab Abraham perpetratum legitur in Scripturis, dum eadem memorant nonnulla aliorum crimina, eaque vel palam reprehendunt, vel damnanda dimittunt iis, qui de talibus factis, consulta justitia Dei, sibi pensandum æstimandumque proponunt. Ejusmodi est temerarium votum Jephte, quod in innocentis filiæ holocausto persolutum puto, juxta genuinum S. Augustini sensum in Quæstione 49. super Judices 1. p. 3. Tom. quamvis plerisque recentioribus, hoc veluti Patre auctorante, aliud videri non ignorem. Utque Rahab, Sampsonemque prætercam, Scripturæ sanctæ adeò corripiunt factum Gedeonis, quando operatus est Ephod ex aureis inauribus predæ, ut Augustinus, qui permittit, quempiam excusare audaciam Gedeonis in petendo a Deo signo victoriæ, quam ei iteratò promiserat: nullam

tamen

tamen excusationem fieri patiatur circa structuram Ephod. „ Dicat ; „ inquit (n. 12.) ut videtur; dummodo illud, quod de facto Ephud „ Scriptura ipse culpavit, quodlibet significet, non audeat excusare a „ peccato. " Nec tamen viros istos perperam laudatos ab Apostolo , „ quispiam debet asserere. Audiamus Augustinum. „ Cur autem „ & isti, inquit n. 9., inter illos commemorantur, qui per fidem vi- „ cerunt regna, operantes justitiam, nisi quia sancta Scriptura quo- „ rum fidem atque justitiam veraciter laudat, non hinc impeditur, „ eorum etiam peccata, si qua novit, & oportere judicat, notare ve- „ raciter ? Nec tamen frustra inter fideles, & operantes justitiam, „ propter bonam fidelemque vitam, in qua eum (Jephte, atque ita „ alii, de quibus hic loquimur) credendum est esse defunctum, tale „ in Epistola ad Hebræos meruit testimonium. " Quod ad præsentem rem pertinet, agnoscat Tournely, quamdiu videndus esset qui Abrahæ negaret gloriam, & præmia post vitam, eaque interim assereret Jephte, sicuti ex suis scriptis necessariò consequi supra memoravi. Ideo conjicere opus est, aliam fuisse in eo capite mentem Apostoli ab ea, quam, ex uno tantùm illius versu non satis benè perpenso, sibi suadet Doctor Sorbonicus; quam tamen eruere, Deo juvante, atque Sancto ejus Apostolo antecedente, ex diligenti dictorum comparatione conabor.

16. Primum itaque animadvertere necesse est, eos omnes, quos in hoc capite Apostolus vel palam nominat, vel ex factis innuit, omnes inquam in ea sententia perstringi : *hi omnes testimonio fidei probati* (v. 29.). Nam si hæc probatio eos solos respiceret, quos superiùs (v. 33.) dixit, *adeptos esse repromissiones*: jam ab hoc numero Abel, Henoch, Noè, Abraham, Isaac, & Jacob excluderentur; quorum tamen probatissimam fidem præcipuè ab Apostolo commendari continuò compertum sit legentibus hoc caput, *in qua (fide) testimonium*, ut ipse inquit, *consecuti sunt senes*. Sub vocabulo autem isto *senum* omnes comprehendi ab Apostolo sanctos, fidelesque viros usque ad Christi tempora, hinc noscimus, quia recentiorum etiam merita in eo versiculo commendantur, *Et hi omnes testimonio fidei probati*.

17. Secundò aliquid certi assignare opus est, in quod tenderet fides illorum, qui in principio temporum vixerunt, sicuti Abel, Henoch, Noe. Quum enim fides ex Apostolo sit *sperandarum substantia rerum*, *argumentum non apparentium*: res continet amplectendas ideoque notas, licèt supra humanam rationem esse inveniantur ; quod itidem patet ex eodem alibi dicente : *Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum non confundetur ...... Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? ...... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. (Rom. 10. 10.) Oportet igitur Deum a principio hominibus revelasse quia ipse est, &

quod

quòd inquirentibus se remunerator sit. Revelationem istam cognoscimus ad minus ex rerum creatione, quæ Dei præsentem potentiam, & hominum curam manifestat; multò magis ex iis, quæ Deus cum Adam gessit. Cui, quum terrestris paradisi felicitatem immortalitatemque donaverit; hancque nonnisi per mandati contumaciam deperditurum prædixerit: statim se remuneratorem inquirentibus, punitorem rebellibus esse monstravit. Hæc filios a patre didicisse, palam est; quorum fidei ideò plaudit Apostolus, eamdem sequentibus explicans, atque definiens: *Credere enim*, inquit, *oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*.

18. Divus Johannes Chrysostomus fidem Abel contemplans, ejusque profectum in esteriora etiam erga Deum religionis officia, hæc ait: „ Ad quem enim attendens imitatus est hic, ut sic honoraret „ Deum? Ad patrem & matrem? Sed illi magis contumelia affece- „ runt Deum. Num ad fratrem attendit? Etiam ipse Deum contu- „ melia affecit. Proinde ex se ipso hoc bonum invenit. Qui ergo „ tanto dignus erat honore, quid patitur? Interimitur. Qualiter au- „ tem? Etiam aliud testimonium consequutus est, quòd esset justus. „ Dicitur ignis descendisse, & assumpsisse hostias ejus. Pro eo siqui- „ dem, ad Abel adspexit Dominus, & ad sacrificia ejus intendit, di- „ xit. Quum & in verbis, & in operibus ejus testificatus sit DE JU- „ STITIA, & quum eum PROPTER SE EXTINCTUM VIDERET, necdum „ ei retribuit, sed adhuc sic dimisit...... Quæ enim miracula ille „ vidit ut crederet, quia erit a Deo aliqua retributio bonorum? Non- „ ne ex fide sola habuit hanc virtutem? Quid est, & propterea mor- „ tuus adhuc loquitur? Ne in multam eos (scilicet viventes homines) „ desperationem adduceret, ostendit eum ex parte perfrui tum retri- „ butione. Quo modo? Cura & ratio Deo super illo multa est, & „ adhuc loquitur: hoc est interemit quidem eum, sed non cum eo „ interemit ejus gloriam, atque memoriam. Non est ille mortuus. „ Quantò enim quis acerbiora passus fuerit, tanto magis GLORIA EX- „ CRESCET. Quomodo adhuc loquitur? Hoc enim INDITIUM EST QUOD „ VIVAT, quòd in ore omnium versatur, quòd omnes eum admiran- „ tur, & BEATIFICANT. Qui enim admonet alios ut justi sint, lo- „ quitur: non enim tantum proficit sermo, quantum passio illius.... „ Idem est ac si diceret, ista non fiunt impunè aut simpliciter, „ neque differetur eorum ultio. (Hom. 22. in cap. XI. ad „ Hebr.)

19. Dum autem Apostoli verba attentiùs perscrutor, præclarius aliquid expectasse Abel puto, quando nempe remuneratorem Deum credebat. De Abraham namque infra (v. 10.) dixit, quòd *Expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex Deus;* statimque demonstrans eadem fide, & Isaac, & Jacob vixisse, atque hujus civitatis gloriam amplius exornans, subdit (v. 16.): *Nunc autem meliorem appetunt*, IDEST COELESTEM, *quam illis Deus paravit*. Hos itaque Pa-

 triar-

triarchas, cœlestis civitatis notitiam a majoribus suis traditam, accepisse, inde constituo, quia quum fidei res sit, fidesque ex auditu propagetur, nonnisi per prædicationem ad eos usque pervenit; atque ideò patet eamdem civitatem præstolatos esse priores servos Dei: Propterea licèt Abel nesciret vel quando, vel qua morte hinc esset absumendus, dubio procul credebat, se per mortem deserere aliquando debere mundum, & quæ in eo sunt; Deum verò parasse colentibus se cœlestem civitatem, ideò fundamenta habentem, quia Deus ipse illius artifex, & opifex est. Hinc ad Deum conversus, perfecta caritate primogenita gregis sui, & de adipibus eorum, sed magis cordis sui sacrificia offerebat, ut sibi totius boni auctorem redderet propitium, atque in ejus hæreditate partem inveniret. In qua spe mirum in modum confortabatur, videns quia munera ejus Deo essent accepta, Cain autem fratris sui reprobata. Sciebat quippe, non frugum potius quam armentorum fumo Deum delectari; sed offerentis animum in infimo dono recipere atque amplecti; indeque exteriore admirabili signo ignis descendentis & oblata absumentis testimonium promeruit justitiæ suæ.

20. Quid de Henoch dixerimus, qui Henochiam civitatem ab hominibus conditam haud diligens, palam se expectare monstravit illam invisibilem, quam suspiciebant peregrini imitatores Abel, unde *Fide translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* „ Majorem iste fidem, subjicit Chrysostomus (loco citato) „ quàm Abel ostendit. Qua ratione? Quoniam etiamsi post illum „ fuit; illa tamen, quæ circa illum provenerunt; idonea erant ad „ revocandum eum, & dehortandum. Quo modo? providebat Deus, „ quoniam periturus erat, dixit enim ad Cain, peccasti, non adjicias „ adhuc. Honoratus quidem est ab Abelo, sed non est ultus eum. „ At neque hoc Henoch istum ad segnitiem adduxit; non dixit quid „ opus est laboribus, & periculis? Ecce Abel honoravit Deum, & „ non est ultus eum. Quid ei utilitatis accessit interfecto, ex supplicio fratris, quo condemnatus est? Quid illi ex hoc proderit? Ponamus quia frater acerbam recipiet ultionem, quid ad occisum? „ Nihil tale apud semetipsum dixit, neque cogitavit: sed hæc & „ hujusmodi cuncta pertransiens, intellexit, quoniam si est Deus, „ omnibus modis etiam retributio erit, cùm nihil adhuc de resurrectione scirent...... Illi enim neque de resurrectione aliquid „ sciebant, neque exempla quæ intenderent habebant. Et hoc ipsum „ magis eum placere fecit, quia nihil tributum illi erat. Sciebant „ enim, quoniam mercedis retributor est Deus. Unde hoc? Abel „ enim retribuit inquit. Proinde ratiocinatio alia suggerebat: Fides „ autem contraria his, quæ videbantur. „

21. Igitur Fides, quæ absque præviis exemplis Henochum confirmavit, & translationem ipsi promeruit: eadem multo facilius docuit Abraham in futura prospicere, præcedente translati Henochi exemplo. Sciens namque hunc, quia Deo placuerat ita translatum, ut ne vide-

videret quidem mortem: pro certo habebat, retributionem sane magnam apud Deum invenire eos, qui eidem placuerunt; atque hinc solidam illam spem confirmaverat, qua voluit Deus, ut supra ex Chrysostomo diximus, sub ipsis creatarum rerum initiis, humanas animas spem accipere, quia solveretur mors, & damnaretur diabolica tyrannis. Hinc quasi ab experto intellexerunt homines Dei, & Abraham ipse, retributionem etiam Abel, qui inultus videri Henocho poterat; unde Civitati fundamenta habenti, suos jamdiu cives assignarent, eorumdemque consortium promereri studerent, sanctè & piè vivendo, & futura aspiciendo.

22. Cognoverant enim, ut perpendit idem Sanctus Episcopus, loco citato, quòd „ Fide translatus est Henoch. Ut enim transferretur „ causa fuit, quia placuerat. Ut autem placeret Deo, causa erat „ Fides: nisi enim agnovisset, quia recepturus esset retributionem, „ quo modo placuisset Deo? Sine Fide enim impossibile est placere „ Deo. Quomodo hoc? Credebat enim, quia si quis crediderit esse „ Deum, etiam retributionem habebit . . . . . Translatus est enim „ Henoch, non mortuus, immò ut ne videret quidem mortem. Pro„ pterea addidit, vivus translatus est, quia placuit Deo. „ Ex translatione itaque Henoch potentiam Dei agnoscentes, præmia Abeli in abscondito conlata metiebantur; divinamque commendabant æconomiam tum in Abel non resuscitato, tum in Henoch translato; utraque providentia utentes ad propriam consolationem atque fiduciam. „ Et primùm, prosequitur Chrysostomus, permittit (Deus) fieri „ mortem, terrere volens per Filium patrem. Volens quippe osten„ dere quia revera permaneret firma sententia (qua scilicet Adæ di„ ctum est *morte morieris*) non malos statim, sed etiam eum qui „ placuerat subjecit supplicio, *beatum* illum Abel dico, & penè post „ illum confestim transtulit Henoch; & non resuscitavit illum, ne „ præsumerent, nec confidentes efficerentur, sed transtulit illum vi„ vum. Per Abel quidem perterrens, per istum autem excitans ad „ æmulationem placendi sibi . . . . Inquirentibus namque eum per „ opera bona, & per sui cognitionem, retributor efficitur. „

23. Licèt igitur nullam legamus apertam repromissionem in Scripturis factam Abeli atque Henocho, antequam viva Fide patrarent opera, quibus Deo placuerunt: proclive tamen est intelligere Deum mercedem firmam proposuisse inquirentibus se, quia dubio procul Fide vivebant etiam isti, qui ideò justi dicuntur & sunt. Recogitantibus autem nobis, quæ a veteribus quasi per manus accepta, scripsit Moyses primis temporibus accidisse: hujus fortasse Fidei fundamenta occurrunt. Adam filiis suis testatum fecisse Domini magnificentiam in rerum creatione, suamque & postea Evæ in Paradiso felicitatem, atque ab eo deliciarum loco exilium, continuamque in pejus mutationem, palam est: unde filii ab experiente audientes, tum Dei benignitatem in qualitate primævæ constitutionis, ediscerent, tum ejusdem

 justi-

justitiam in subsequentibus passionibus atque supplicio, trementes venerarentur. Itaque ex illius ore etiam verba didicerunt, quibus postquam conjuges punitionis indicia in se invenerant, subitò a miserente Domino in spem elati sunt futuræ redemptionis jam damnatæ naturæ, dum dixit ad serpentem: *Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum* (Gen. 3. 15.) Hæc quippe serpenti diabolo comminata, aliquando eventura crediderunt; tuncque ea reparanda cognoverunt, quæ modo deperdebant; indeque intellexerunt semen, licèt moriturorum hominum, a se suscitandum a quibus aliquando proditurum esset semen, in quo demum tanta jactura instaurarentur. Revera Patres, eodem Sancto revelante Spiritu, hæc verba interpretati sunt de Beatissima Virgine Maria, & de benedicto fructu ventris sui Jesu Christo, mediatore Dei, & hominum, humanique generis Redemptore. Talem Fidem in hac promissione primis hominibus propositam, & per ipsos in ceteros propagatam dignoscere debemus, dum auctore Augustino docemur, a principio generis humani redemptionem prædicatam, & ad æternam salutem creditam.

24. „ Itaque ab EXORDIO, inquit GENERIS HUMANI, quicumque „ in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & secundùm „ ejus præcepta piè & justè vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, „ per eum (Jesum Christum) PROCUL DUBIO SALVI FACTI SUNT. „ Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & „ qui in carne jam venerit: sic CREDEBANT IN EUM ANTIQUI, & „ apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro „ temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum „ prænuntiabatur, ideò FIDES IPSA VARIATA, vel SALUS IPSA DIVERSA EST. Nec quia una eademque res, aliis atque aliis sacris & Sa„ cramentis vel prædicatur aut prophetatur, ideò alias atque alias res; „ VEL ALIAS ATQUE ALIAS SALUTES OPORTET INTELLIGI. Quid au„ tem quando fiat quod ad unam eamdemque fidelium & piorum „ liberationem pertinet, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam „ teneamus. Proinde aliis tunc nominibus, & signis, aliis autem „ nunc, & prius occultius, postea manifestius, & prius a paucioribus, „ postea a pluribus, una tamen eademque religio vera significatur, „ & observatur . . . . . . Et tamen ab initio generis humani, aliàs „ occultiùs aliàs evidentiùs, sicut congruere temporibus divinitus vi„ sum est, NEC PROPHETARI DESTITIT, NEC QUI IN EUM CREDE„ RENT DEFUERUNT, ab Adam usque ad Moysen, & in ipso populo „ Israel, qui speciali quodam mysterio gens prophetica fuit, & in „ aliis gentibus antequam venisset in carne. Quum enim nonnulli „ commemorantur in sanctis Hebraicis libris jam ex tempore Abra„ hæ, nec de stirpe carnis ejus, nec ex populo Israel, nec ex ad„ ventitia societate in populo Israel, qui tamen hujus Sacramenti „ participes fuerunt; cur non credamus etiam in ceteris hac atque

„ illac

„ illac gentibus, aliàs alios fuisse, quamvis eos commemoratos in „ eisdem auctoritatibus non legamus? Ita salus religionis hujus, per „ quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli umquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et „ ab EXORDIO PROPAGATIONIS HUMANÆ USQUE IN FINEM, QUIBUSDAM AD PRÆMIUM, QUIBUSDAM AD JUDICIUM PRÆDICATUR. Ac „ per hoc & quibus omninò annuntiata non est, non credituri præsciebantur, & quibus non credituris, tamen annuntiata est, in illorum exemplo demonstrantur. Quibus autem credituris annuntiatur, hi regno Cœlorum, & sanctorum Angelorum societati præparantur. „ (D. Aug. 2. Tom. ad Deo gratias Epist. 102. aliàs 49. quæst. 2. n. 12. & 15.)

25. Sive igitur Adam per recitata verba, *Inimicitiam ponam &c.* sive per alia, sive alio quocumque modo, Fidei nostræ mysteriis initiatus fuerit: indubium est, ipsum in venturum Redemptorem credidisse, hancque Fidem filiis suis prædicasse; aliis credentibus & diligentibus sicut Abel, aliis non credentibus ut oportet, sicut Cain. Propterea constat etiam Abel æquè credidisse, salutem veram diligentibus Deum paratam; unde expectabat fundamenta habentem, idest de Deo & in Deo stabilem civitatem, atque istam ceteros concupiscere docebat. Ita enim usque ad Abraham hæc Fides propagata est, & ab hoc credentium patre in posteros suos.

26. Antidiluvianorum Patriarcharum, ceterorumque justorum usque ad Abraham, Fide, & Spe ita constituta: quis diceret, sine repromissionibus illos occubuisse? Dum salus perpetua, ab ipsis evidenter credita & appetita, adeò præcipua est repromissio, ut quæcumque aliæ repromissiones impostrerum factæ, istius potius umbræ fuerint atque significationes. In hanc intendisse Abraham, in hanc Isaac, & Jacob, dum interim terrenas repromissiones non consequebantur, præclarissimè insinuat Apostolus declarans, eos civitatem cœlestem a Deo paratam expectasse. Quando igitur dicit juxta Fidem eos esse defunctos, non adeptis repromissionibus; aliud intelligit multò dissimile ab hac jam firma expectatione, quæ prioribus etiam Patriarchis & justis communis erat, quas repromissiones audivisse non dicit. Rursus, si quando infra pronunciat Apostolus, multo plures adeptos repromissiones, intelligeret cœlestem hæreditatem istis primum conlatam: sanctissimis præcedentibus hominibus denegaret firmissimam spem in Abraham Isaac & Jacob antea a se prædicatam.

27. Ad quod sanè magnum vitandum absurdum, videtur, per has repromissiones vel acceptas vel non acceptas intelligendam esse solam possessionem terræ Chanaan, juxta quam Fidem Abraham Isaac & Jacob defunctos esse, facto insinuatur. Ita, dum ad reliquos considerandos convertimur, Rahab, Gedeon, Barac, Sampson &c., quos Apostolus adeptos repromissiones dicit: verè istos in hanc possessionem post plura sæcula inductos, rerum historia docemur.

-28. At-

28. Attamen, quum Moyses a Paulo inter eos recensetur, qui repromissiones adepti sunt: ipsummet dubium denuò tenuitati meæ occurrit. Nondum enim video, quomodo Moyses repromissiones assecutus dicatur, qui Jordanem transire, Deo jubente, non potuit, & in terram repromissionis ingredi? Audivit quippe a Deo: *Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel; Cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron*. (Num. 27. 12.) Nec contristatus est Moyses in hoc, qui immò de exclusione hac intrepidus loquebatur filiis Israel. (Deut. 3. 27.) Credebat enim, post mortem corporis se consecuturum præclaram illam mercedem, quam a Domino supplex petierat dicens: *Si inveni gratiam in conspectu tuo: ostende mihi temetipsum*; quam Dominus tunc illi redditurum spoponderat, inquiens: *Non videbit me homo & vivet*. (Exod. 33. 20.) Dum igitur Paulus dicit, Moysem repromissiones adeptum, aliud indicat a terra Chanaan.

29. Inquiramus nunc, num Apostolus hoc eodem capite Epistolæ ad Hebræos patefaciat, quo ipse sensu acciperet repromissiones a Moyse adeptas. *Fide*, inquit, *Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum* IMPROPERIUM CHRISTI: ASPICIEBAT ENIM IN REMUNERATIONEM. Itaque si remuneratio, in quam Moyses aspiciebat, definiretur in possessione terræ Chanaan: consequens esset, nullam eum remunerationem obtinuisse. In illam quippe terram veluti ex pœna intrare non potuit, dicente Deo, *Quia offendistis me in deserto sin ad aquas contradictionis;* per quod causa affertur, cur nec ipse nec Aaron frater ejus in promissam terram essent ingressuri. Quia vero Moyses in remunerationem aspiciebat, & Apostolus dicit, etiam eum adeptum esse repromissiones: porrò remuneratio certa esse debebat, & post ejus mortem minimè dilata. Etenim moriens populum Israel, quem tot annis duxerat in tantis mirabilibus, relicturus erat; & tamen ad alium populum, immò *populum suum* se congregandum Deo revelante, acceperat, sicuti Aaron frater suus. Remuneratio ergo ista per præcedentia Apostoli verba explicatur, quibus ostendit, homines Sanctos cœlestem civitatem expectavisse.

30. Eadem de Abraham dicantur. Hic enim in mystico illo somnio, quod Geneseos (15. 13.) narratur, sibi dictum audivit: *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis* . . . . . TU AUTEM IBIS AD PATRES TUOS IN PACE, SEPULTUS IN SENECTUTE BONA: *Generatione autem quarta revertentur huc*. Promissiones itaque toties huic servo suo repetitæ a Deo, hic etiam dicente: *Ego Dominus*,

nus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam, hac postrema revelatione cessabant. Quare juxta hanc Fidem, nec ipse Abraham, immò nec Isaac nec Jacob defuncti sunt, qui idcircò in repromissiones aspiciebant, de longe eas salutantes & confitentes. Fides ergo horum Patriarcharum, quantum adtinet ad terram Chanaan, non propriam felicitatem respiciebat in terra ista, sed felicitatem nepotum suorum, qui post plura sæcula in hanc introducendi, & per prodigia & signa & portenta in ejusdem corporali possessione erant stabiliendi. Qui verò credebant hæc omnia a Deo aliquando præstanda: juxta hanc Fidem rectè defuncti dicuntur; quam firmiter tenere ostendebant, etiam quando præsentes eventus apud minus fideles, complementum tantæ promissionis dubium effecissent. Hinc Jacob in Ægypto moriens, mandavit filiis de sepultura corporis sui in spelunca duplici, ut ibi Abrahæ & Sarai quiescebant ossa, ibi etiam sua tumularentur. (Gen. 49. 29.) Eadem præcepit Joseph; & adeo credidit, gentem suam in terra Chanaan constabiliendam, „ ut de exitu illorum loqueretur (ait Chrysostomus Hom. 26. in „ loc. cit.), & de ossibus suis mandatum daret. (Gen. 50.) Et non „ tantum ipse credidit, sed etiam alios ad Fidem introduxit, ut sem„ per memores essent, quia neque de suis ossibus præcepisset, nisi „ plena Fide sperasset reditum eorum. „

31. Proinde etiam hac Fide placuerunt Deo. Nam ut Deo placerent, hæc ipsa credebant tanta constantia, quorum nullum apparebat argumentum. Verumtamen pari firmitate confidebant, non sine mercede apud omnipotentem propriam fiduciam esse cessuram. Si attentè perpendamus, quæ prophetiam præcedunt, ab Abraham in somnis exceptam: noscemus, Fidem suam multo majori præmio nutritam. Initio enim illius capitis hæc legimus. *Factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Ista porrò Fides evacuari non poterat, per revelationem terræ Chanaan ab eo non possidendæ: immò in eadem Fide tanto magis confirmabatur, quia constabat, terrenam mercedem in hac Domini sponsione haud contineri. Proinde audiens, se tanto prius, quam descendentes sui eamdem terram ingrederentur, in pace iturum ad patres suos, sepultum in senectute bona: tunc eam mercedem se recepturum firmiter credidit; credenti autem reputatum est ad justitiam. *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & opifex Deus*. Idcircò Chrysostomus (Hom. 23. in loc. cit.) inquit. „ Dixit eis (Deus) quia dabo vobis præsentia; quo„ niam videbat eos: magis autem quia exhibuerunt seipsos majoribus „ dignos, non eos permisit hæc accipere, sed ILLA MAJORA eis tri„ buit: nobis volens ostendere quia majoribus digni sunt qui se no„ lunt alligari ad ista terrena . . . . . . Hoc enim est ostendentis, „ quòd cum tanto studio abduxerint animos suos a terra, ut neque „ quæ dabantur acceperint. Etenim propterea nepotes eorum acci-
piunt.

„ piunt. Illi quippe erant terra digni. Quid est civitatem fundamenta habentem? Ista enim non erant fundamenta, quæ ad comparationem ejus non sunt, cujus artifex & opifex Deus. O qualis laus illius civitatis! „

32. Hinc tum Abraham, tum Isaac & Jacob, se peregrinos dicebant, ac hospites super terram. *Qui enim hæc dicunt*, subdit Apostolus, *significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, idest cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.* Civitatem dico, in quam patres eorum juxta verbum Domini jam commeaverant, quæque jam populum continebat, quem ipsi Patriarchæ populum suum vocabant, unde Jacob tanta fiducia dixit moriens: *Ego congregor ad populum meum*. (Gen. 49. 29.)

33. Similiter Moyses, quamvis audierit, extra terram promissam se moriturum, *in remunerationem interim aspiciebat*. Quam remunerationem? Eam porrò, quam patres Fidei suæ jamdiu erant consecuti, atque Dominus ipsi promittebat dicens: *Ibis & tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron* (Num. 27. 12.). Itaque etiam ipse civitatis cœlestis manentem mansionem firmissima Fide expectabat, ideoque terrenas omnes despexit commoditates atque divitias. Propterea Chrysostomus de eo hæc scripsit. „ COELO quippe PROPOSITO, superfluum erat, inquit, aulam admirari Ægyptiaci regni. Et vide quàm mirabiliter illud posuit Paulus. Non dixit majores divitias æstimavit thesauris Ægypti COELUM, ET EA QUÆ IN COELIS SUNT. Sed quid dixit? IMPROPERIUM CHRISTI. Pro Christo enim improperium sustinere melius judicavit, quàm in deliciis esse. Sic etiam hoc ipsum per se solum MERCES erat. (Hom. 26. in loc. cit.)

34. Ne autem quòd Chrysostomus dixit COELUM PROPOSITUM, a quoquam tam perversè interpretaretur, ut idcircò hanc mercedem minimè conlatam Moysi putaret statim post mortem (quamvis sæpius Sanctus Doctor, adeo præclare se explicet in tot Homiliis super hoc caput XI. ad Hebræos, & nullum relinquat huic opinioni locum): quisquis, inquam, ita cogitaret, S. Augustinum iterum audiat hoc etiam dubium apertissimè diluentem. „ Quærimus, inquit, vindictam in Moyse, propè nullam habet, nisi quod ad extremum ait illi Deus. *Ascende in montem & morere*. Ait seni, *morere*. Jam pergerat ætates suas; numquid numquam erat moriturus? Qualis illa vindicta? Ostendit ibi vindictam suam ut diceret, *Non intrabis in terram promissionis*, quam intraturus erat populus? Quamdam figuram quorumdam gerebat Moyses. Nam qui in REGNUM COELORUM INTRAVIT, magna illi pœna erat ad terram illam non venire, quæ ad tempus erat promissa, ut umbram ostenderet & transiret? Nonne multi perfidi intraverunt in illam terram? Non-

„ ne

„ ne in illa terra viventes multa fecerunt, & Deum offenderunt? „ Nonne & idololatriam sequuti sunt in illa terra? Magnum erat non „ dedisse terram istam Moysi? Sed Mortes voluit gestare figuram eo- „ rum, qui sub Lege erant, quia per Moysem data est lex, & osten- „ dit est, qui sub Lege esse vellent, & sub gratia esse nollent, non „ intraturos in terram promissionis. „ (nimirum ut sensus indicat, & præmium Moysi conlatum, non intraturos in Cœlum) „ Ergo il- „ lud quod dictum est Moysi, figura erat, non pœna. Seni mors „ quæ pœna? Non intrare in illam terram quæ pœna, Quo intrave- „ runt indigni? (24. Tom. Enar. in Ps. 98. ad verba *Tu propitius fuisti illis &c.*)

35. Eamdem fidem de futura æterna mercede communem fuisse ceteris, quos repromissiones adeptos dicit Apostolus, patet. Si enim fides eorum in possessione terræ Chanaam circumscripta fuisset: profectò cum ejusdem terræ acquisitione cessasset. Fides enim est sperandarum substantia rerum. Sicuti igitur spes quæ videtur, jam non est spes; ita Fides in possessione evacnatur. Dum itaque Apostolus de illis adhuc repetit, *Et hi omnes testimonio Fidei probati sunt:* profectò in eis Fidem invenit etiam post temporales repromissiones adeptas. „ Parturiebant enim illi, ait Divus Johannes Chrysostomus, „ per singulos dies, LIBERARI VOLENTES DE HAC VITA, ET AD PA- „ TRIAM REMEARE . . . . . Tales erant Abraham, & alii: peregrini quippe erant in mundo universo, & PATRIAM quærebant . . . . . . Il- „ lam quærebant, quæ in COELIS EST, & sic festinabantut hinc disce- „ derent, & sic placuerunt Deo. . . . . Quod verò sic se peregrinos „ vocabant isti, manifestum est. Quid autem etiam David? nonne „ rex erat? . . . . . nonne in sua patria degebat(Quare ergo dixit. „ (1. Par. 29.) peregrinus & hospes sum? Dic, sancte David, quo „ modo es peregrinus? Sicut patres, inquit, mei, quia & illi pere- „ grini erant. HABEMUS, inquit, PATRIAM, revera PATRIAM. Quo- „ modo ergo tu peregrinus es? In terra, inquit. Proinde etiam illi „ in terra. Sicut illi, inquit, sic etiam ego. Sicut ergo iste, sic etiam „ illi. (Hom. 24. in loc. cit.) „

36. Quid de iis dicemus, quos Paulus enumerat dicens: *alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem?* Item de iis, quos dicit *ludibria & verbera expertos, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, egentes angustiati afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & cavernis terræ?* Porrò si istis dignus non erat mundus, ipsi digni Cœlo confirmantur; ad quod per omnium temporalium rerum abnegationem, immo per assiduas angustias & tribulationes, contendebant, in quo denique meliorem resurrectionem exspectabant. Hinc cum Beato Johanne Chrysostomo, adjectionis & additamenti loco terrenas repromissiones eos aspexisse dicamus, unam autem in Deo, & de Deo

mercedem exoptasse. Dum enim Elias & Elisæus illi sint, per quos *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*, " dic mihi, ait Chry-„ sostomus (Hom. 27. loc. cit.), cur in præsenti vita quum lice-„ ret, nolebant vivere? nonne quia MELIOREM expectabant? Et qui „ alios suscitabant, ipsi mori desiderabant, ut meliorem resurrectio-„ nem adipiscerentur: non talem qualem resurrectionem acceperant „ filii illarum mulierum . . . . Nam licebat illis videre solem, lice-„ bat non redarguere, & elegerunt magis mori; & quum ipsi alios „ suscitarent, ipsi abire eligebant, ut meliorem resurrectionem adi-„ piscerentur. „ Meliorem profectò; nam tantò ante æmulantes Apostolum, qui dicebat; *Cupio dissolvi & esse cum Christo* (Philip. 1. 23.), factis monstrabant quàm benè intelligerent mercedem servatam puræ caritati; illam nimirum de qua postea apertiùs dixit Apostolus, *nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se*. (1. Cor. 2. 9.)

37. Propterea, quoniam repromissiones acceptæ, possessionem terræ Chanaan non significaverunt in Moyse; quoniam insuper qui eam plenè possedit sicut David, adhuc se peregrinum dicebat super terram; quoniam denique tot sancti, qui in ea erant, tamen mori exoptabant: perspiquum est, repromissiones acceptas non unam terræ Chanaan possessionem indicasse; neque per verba *non acceptis repromissionibus*, retardatam esse meritorum bonorum statim a morte retributionem, in quam omnes justi ardenti voto intendebant.

38. Sed his repromissionibus futura mirabilia, quæ Deus operari volebat in terra super filios Israel, fuisse indicata, ipsemet Apostolus innuit. Quum enim superiùs de Abraham Isaac, & Jacob dixisset, *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus*, postea subdit (℣. 17.), *Fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones: Ad quem dictum quia in Isaac vocabitur tibi semen*. Dum igitur hic repromissiones susceptas ab Abraham dicit Apostolus, quem suprà non acceptis repromissionibus mortuum annunciaverat; rursus dum has repromissiones definit ad ea, quæ circa Isaac spoponderat illi Deus: manifestum est, repromissionis vocabulum hic indicasse ea, quæ de multiplicatione seminis, de potentia, de felicitate, deque illustribus populi Israel prærogativis, ac denique de benedictione omnium gentium, toties prædixerat Deus Abrahæ. Quarum promissionum quum nullam (excepta vita Isaac) in diebus suis completam vidisset Abraham; quumque Isaac, & Jacob, quibus easdem pollicitationes Deus repetivit, peregrini & hospites, & in tribulationibus fuerint super terram cum filiis suis: rectè dixit Apostolus, eos *non acceptis repromissionibus* occubuisse. Quia verò hæc omnia firmiter complenda credebant: ideò *juxta Fidem*, quæ nulla rerum apparentia fulciebatur, *defuncti* laudantur.

39. Exadverso quia Moyses multorum minister jam fuerat portentorum, per quæ Deus populum Israel a servitute Ægyptiaca ereptum,

usque ad terram Chanaan jam deduxerat; nec non stabilem possessionem Rubenitis & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse trans Jordanem assignaverat; ulteriùs, quia eamdem terram oculis propriis lustraverat, quamvis in ea gressum non figeret: rectè dicit Apostolus, eum, repromissionibus acceptis occubuisse. Multò autem magis Josue, Barac, Sampson, David, Samuel & Prophetæ, repromissiones adepti dicti sunt, non solùm quia in terra Chanaan habitaverunt, sed item quia tanta magnalia a Deo in populo Israel gesta jam sciebant, & multa in diebus suis completi videbant; unde cetera a prophetis prædicta pari fidelitate crederent adimplenda.

40. Istum esse repromissionum sensum ex eo præterea intelligimus, quod dixit Moyses filiis Israel proximè ingressuris terram promissam. *Interroga, inquit, de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit Deus hominem super terram a summo Cœlo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujusmodi res, aut umquam cognitum est. Ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vidisti: Si fecit Deus, ut ingrederetur & tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa atque portenta, per pugnam & robustam manum, extentumque brachium, & horribiles visiones, juxta omnia, quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis. Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum. De Cœlo te fecit audire vocem suam ut doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis. Quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, ut deleret nationes maximas & fortiores te in introitu tuo; & introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem sicut cernis præsenti die.* (Deut. 4. 32.)

41. Hæc & multo plura, quæ in eodem sancto libro identidem repetuntur, novisse Abraham & Isaac & Jacob credo: qui in eadem respicientes tamquam præsentia, filios de futuris benedicebant, sicut Isaac minorem majori cum mysterio præponens; sicut Jacob, futura in duodecim filiis suis prædicens, atque inter filios Joseph mysticè adjudicans; repromissiones tam magnificas a longe salutantes & confitentes, immo factis propriis confirmantes. Quare dum legimus, eos non acceptis repromissionibus occubuisse, absit ut istas etiam non novisse dicamus. Quumque ceteros justos repromissiones adeptos legimus, absit ut in temporalibus bonis Fidem suam eos circumscripsisse opinemur. Fides namque, quæ in omnibus ab Apostolo commendatur in fine illius capitis, majus & melius aliquid post mortem suam sperasse indicat, tum eos, qui non acceptis, tum eos, qui acceptis repromissionibus hinc abscesserunt. Ex hactenus dictis satis patere opinor, infirmitatem interpretationis Turnelianæ ad verba textus, *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus*, tum quoad promissionem terræ Chanaan, tum quoad dilationem felicitatis perpetuæ in Cœlis usque ad Christi ascensionem; quippe

quæ docet fores Paradisi nulli hominum, quantumvis Sanctorum, fuisse referatas.

42. Sed quia Apostolus hoc caput absolvens, dixit: *Et hi omnes testimonio Fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*: demùm inquiramus quid per hæc verba intelligendum sit, juxta proposita initio hujus capituli. Primò autem, quid hæc verba indicare non possint, consideremus. Equidem manifestum opinor, hanc non acceptam repromissionem haud indicare, Christi adventum in carne. Quamvis enim verum sit, antiquos justos ab Apostolo commemoratos, ante hunc licèt creditum adventum, occubuisse, unde rectissimè dicimus, hanc repromissionem eos non accepisse, sed juxta istam etiam Fidem esse defunctos: quia tamen repromissio, de qua hic loquitur Apostolus, expectanda proponitur etiam nobis, qui nonnisi cum perfidis Judæis hunc adventum adhuc opperiremur: ad tantum absurdum vitandum fideliter sentire opus est alium sensum inesse huic futuræ repromissioni. Rursus, neque de solius animæ beatitate in cœlesti mansione interpretanda est hæc non accepta a veteribus promissio. Prædicante quippe hæc verba Apostolo longè post Christi ascensionem in Cœlum: consequeretur, neque tunc eam mercedem adeptos esse antiquos fideles; dixit enim *non acceperunt repromissionem*. Quumque postea definiat, hanc ipsos sine nobis non esse consecuturos: beatitas etiam animarum sanctorum novi Testamenti ad indefinitum tempus traheretur; atque ita millenariorum error ex Pauli doctrina consisteret.

43. Hæ duæ animadversiones abunde ostendunt, Doctorem Sorbonicum Apostolica verba perpendentem *ut non sine nobis consummarentur*, nimis fidenter sequentia scripsisse. „ Vel intelligit, inquit (pag. 284) „ felicitatem completam & adæquatam tum corporis tum animæ, vel „ felicitatem animæ dumtaxat; utroque autem sensu vera est Apostoli „ propositio. Neque enim completa futura est beatitudo nostra, nisi „ post generalem corporum resurrectionem: quum omnes sancti sive „ veteris, sive novæ Legis simul resurgent ad vitam immortalem. „ Felicitate etiam animæ donati non fuere veteres Patriarchæ ante „ Christianos, quia usque ad Christi adventum, ac tempus Evangelicæ legis expectandum ipsis fuit, ut Deo apertè frui liceret: ne scilicet in mente Sancti Pauli sine nobis consummarentur. Finis „ quippe Legis est Christus. „

44. Plenam quidem corporis & animæ beatitudinem, Apostolum indicasse quum dixit, *ut non sine nobis consummarentur*: testem habemus glossam interlinearem. Nullus tamen ex Ecclesiæ Doctoribus, quod ego sciam, his verbis, usus est ad felicitatem animæ dumtaxat significandam: ne scilicet illi absurdo locum darent, quòd supra exposui, quodque magis confirmat Tournely per ea, quæ ex suis operibus

ribus

ribus transcripsi, nullatenus, ut opinor, suspicienda. Primò namque contra præclarissimas S. Augustini auctoritates superiùs relatas, antiquos Patriarchas negat fuisse Christianos; quum tamen Evangelica veritas prædicet, nos ideo filios Dei fieri, quia vestigia sequimur Fidei Abrahæ, qui idcircò omnium credentium pater tantò ante appellatus est. Hinc Apostolus, primorum Patriarcharum, reliquorumque justorum merita adornans nuncupat eos, ECCLESIAM PRIMITIVORUM, QUI CONSCRIPTI SUNT IN COELIS (Hebr. 12. 23.). Proinde quum etiam Abraham Christianus fuerit, quamvis hoc apertè nomen nondum hæreditaverit: perperam asseritur, expectandam illi fuisse Evangelicæ Legis promulgationem, atque Christi adventum, ne ante Christianos felicitatem animæ consequeretur. Plures enim Christianos ante illum obiisse certum est, in quorum cordibus diffusa erat caritas per Spiritum Sanctum; atque eos præsertim, quos hic recenset Apostolus, Abel & Noe, unde Abrahæ postea dictum est, *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace*; quos item Deo placuisse testatur Sanctus Paulus, & justitiæ hæredes fuisse constitutos. Doceat itaque Tournely, quid animæ a corpore sejunctæ desit, quæ Christi Redemptoris Fidem per diffusionem caritatis suscepit, quominus ad conspectum elevari possit essentiæ divinæ. Secundò; Doctor Sorbonicus illorum, quæ paullo ante dixerat, oblitus, nunc sub vocabulo consummationis, solius animæ felicitatem intelligit. Dixerat enim, haud completam futuram beatitudinem nostram, nisi post generalem corporum resurrectionem; & tunc omnes sanctos, sive veteris sive novæ Legis sint, resurrecturos. Ergo, juxta Apostolum antiqui nonnisi per corporum resurrectionem nobiscum consummabuntur. Qui idcirco, quocumque demum antecedenti tempore, felicitatem animæ consecuti fuissent, perperàm consummati dicerentur. Tournely tamen contra proprias doctrinas, & contra Apostoli mentem, hanc consummationem nunc perstringit ad solius animæ felicitatem. Dicens quippe, felicitate animæ donatos non fuisse veteres Patriarchas ante Christianos, quia usque ad adventum Christi, & tempus Evangelicæ Legis expectandum ipsis fuit, ut Deo apertè fruerentur, ne scilicet, ut ipse ait, in mente Sancti Pauli sine nobis consummarentur: jam eos tunc consummatos declarat, hoc uno, quia consortes in hac felicitate consequenda aliquos habuere Christianos; unde non ante Christianos, sed una cum Christianis, atque ita non sine nobis, juxta suam intelligentiam, consummati putentur.

45. Verùm hæc interpretatio offendit Apostolum, cui Doctor Sorbonicus pugnantes sensus de suo affingit. Dum enim Divus Paulus dante etiam Tournely, vocabulo consummationis intelligit plenam animæ & corporis beatitatem: nunquam eam mentem habere poterat, ut consummatas vocaret antiquorum animas, quia Dei visione donatæ fuissent. Atque ideò veram consummationem minimè definit ad consortium aliquarum animarum Christianorum ut autumat Tornely.

ly. Sed ne *fine nobis* consummarentur, dixit; scilicet ne ante ipsum, qui coronam expectabat in illa die a justo judice; scilicet ne ante ceteros, quibus ibidem scribit eamdem coronam esse servatam; *non solum autem mibi* inquiens, *sed & iis*, *qui diligunt adventum ejus*. Illud enim *fine nobis*, in carne ab Apostolo dictum est; proindeque in mente Sancti Pauli, fieri non poterat antiquorum justorum consummatio, nisi eo etiam consummato, qui hæc annunciabat, atque iis conjunctim consummatis, qui hæc audientes pari Fide vivebant. Aliis autem, qui eadem verba fideliter repetant, succedentibus: vel in Ecclesia Dei hæc verba cessabunt, quod absurdissimum est, vel nemo consummabitur ante judicii diem.

46. Præterea interrogo, cur Doctor Sorbonicus putaverit, quòd si antiqui Patriarchæ visione Dei primò donati fuere post descensum Christi Redemptoris in inferos; cur inquam, mercedem hanc ante Christianos non sint consecuti? Neque enim ipse ullum Christianum in suo sensu inveniet, qui ante bonum Latronem mundo occubuerit. Quumque iste, jam mortuo Domino, defunctus sit: ubicumque demum juxta Salvatoris sponsionem, se illo *Hodie* eidem conjungeret; jam eum locum erat inventurus in Paradisi veritatem immutatum per Domini revelatam præsentiam. Itaque si Dominus in Sinum Abrahæ descendens statim beatifica visione donaverat habitantes in eo; atque hæc visio juxta Tournely consummationem importat: jam Spiritus Sanctorum consummati fuissent antequam bonus Latro eodem descenderet, atque ita ante Christianos. At si Tournely ante Christianos dicens, eos significare præsumit, qui prædicatione Redemptoris durante, tamen ante ejus passionem, occubuerant, & proinde fuerant in Sinu Abrahæ recentiùs recepti: neque ita in sua opinione juvabitur. Isti enim, qui nondum Evangelicæ Legis Sacramentis erant participes, Christiani dici non poterant, ne contra suum sensum Christiani detegantur omnes justi antiqui, utpote eadem Fide viventes. Rursus etiam isti, si lubet, Christiani, in Limbis interim detenti absque visione Dei, simul quidem cum antiquis, non ante antiquos facti fuissent ipsiusmet visionis participes ex Redemptoris descensu. Quia igitur justi homines, qui durante Christi prædicatione hinc discesserant, opinionem Tournelianam non adjuvant: superest ut ad vivos in carne confugiat; quia scilicet tunc non pauci Christiani in mundo degebant, qui Christum Ecclesiæ caput crederent, & regnum Dei in Cœlis apertè prædicatum; atque salutis æternæ spem in tanto mediatore repositam haberent. Qua Fide in eorum cordibus viva, videri fortasse poterit Tournelio, quòd descendente tunc ad inferos Christo, atque animas Sinus Abrahæ beatificante: ipsæmet animæ non ante Christianos habendæ sint consummatæ, quia quod istæ experiebantur in Sinu Abrahæ, a tot Christianis credebatur in terris. Ut cetera prætercam, differentia palmaris occurrit, quatenus, ut dictum est, vocabulo consummationis nolimus abuti. Illæ enim animæ

re

re præsente consummatæ fuissent, Deum videntes sicuti est; ceteri verò fideles in mundo adhuc degentes, spe tantùm consummati possent haberi. Cumque nemo non videat, magnum interesse discrimen inter rem & spem: adhuc antiquorum spiritus, per Dei realem participationem consummati fuissent ante Christianos in corpore degentes.

47. Quocumque igitur adspectu verba Apostolica inspiciamus. *Ut non sine nobis consummarentur*: nunquam solius animæ felicitatem indicabunt, contra interpretationem Tournely; nisi sententiarum pugnas, atque absurda, quæ ex suis verbis manare perspeximus, Apostolo etiam Paulo tribuere audeamus. Dum autem illam, quam verè continent significationem, in hisce verbis agnoscimus, animæ nimirum perfectam etiam secundùm corpus beatitatem: tunc verè Apostoli altitudinem assequimur; & rectè percipimus, quomodo antiqui secundum animam tamdiu beati, nobiscum adhuc repromissionem expectent. Nunc verò patienter audiemus a Tournely, quando per ipsum inceperit antiquorum Patriarcharum felicitas secundùm animam; quoniam istius felicitatis principium, a textibus Scripturæ a se allatis, nondum eruitur; vel saltem iidem textus diligentiùs examinati, dilationem non continent tantæ mercedis ad Christi adventum in carne; nec ad ejus descensum in inferos; nec ad Redemptoris ascensionem in Cœlos; ut ipse apud se credere, & aliis suadere posse autumabat.

48. E contrario Fides, quam in singulis hoc capite commendat Apostolus; & justitia, qua Deo placuerunt; & hæreditas justitiæ, quam jam consecuti dicuntur; & expectatio, qua in remunerationem, idest in cœlestem civitatem intendebant: tanti apud sinceros rerum scrutatores valebunt, ut eorumdem sanctorum spiritus statim a separatione a corpore, Deo conjuncti intelligantur; quibus non solùm *dignus non erat mundus*, sed quorum *Non confunditur Deus vocari Deus eorum*. „ O quanta dignitas, exclamat Chrysostomus, (Hom. 24. „ in loc. cit.) ut dignaretur vocari Deus eorum! Quid dicis? Deus „ terræ vocatur, & Deus Cœli, & veluti magnum aliquid posuisti „ quod dicis: non confunditur Deus vocari Deus eorum? Magnum „ est hoc, & revera magnum, & MULTÆ BEATITUDINIS INDITIUM. „ Quo modo? Quia terræ quidem, & Cœli vocatur Deus, sicut „ vocatur & paganorum Deus, quia ipse condidit & construxit omnia. „ Sanctorum verò illorum non sic dicitur Deus, sed sicut AMICUS „ ALIQUIS GERMANUS ..... Sicut enim nunc Dominus Deus Christianorum dicitur, & tamen excedit hoc nomen dignitatem no„ stram: quantò magis si unius vocetur Deus? Intellige quanta est „ MAGNITUDO, qui mundi vocatur Deus, non erubescit trium vocari „ Deus, & meritò. Non solum mundo æquales, sed mille talibus „ æquiparantur meritorum momenta sanctorum. Melior quippe unus „ faciens voluntatem Domini, quam decem millia iniqui ......

Con-

„ Confusio quippe illi est, quando malignorum hominum vocatur „ Deus, & confundit illos etiam ipse. Sicut GLORIFICATUR, quando „ benignorum & OPTIMORUM hominum vocatur, & colentium virtu- „ tem . . . . . . Habitudo enim quædam est servo ad dominum, & „ transit ignominia ab illo ad illum. Sed illi ita erant CLARI, ita „ confidentia pleni, ut non solùm non confunderetur, cùm ab illis „ vocabatur Deus eorum, sed etiam ipse ultro dicebat: quia ego sum „ Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Jacob. „ Expectatio itaque repromissionis, in qua adhuc sunt Sanctorum antiquorum spiritus, *ut non sine nobis consummarentur*, non impedit beatitatem, quam iisdem conlatam declarat Deus, quum ultrò & toties in utroque testamento, se illorum Deum dicebat. Quam quidem beatitatem non solùm ante Christum passum, sed etiam post passionem ejus æquè antiquis Sanctis, ac justis Evangelicis denegaret Apostolus: si per verba, *ut non sine nobis consummarentur*, felicitatem æternam solius animæ intelligere potuisset; quippe pronunciaret, hac felicitate hominem ullum haud potuisse donari, ante consummationem nostram, qui hæc verba fideliter canimus.

49. Sed istorum verborum vim ab eodem Apostolo excipiamus. Qui enim dixit de illis antiquis. *Et hi omnes testimonio Fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*: jam quid importarent vocabula repromissionis adhuc expectandæ, & consummationis futuræ, explicaverat in epist. 2. ad Cor. cap. 3., ubi ait. *Unde Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem virtutis suæ, qua etiam possit subjicere sibi omnia*. Præclariùs autem in Epist. 1. ad Tessal. cap. 4. *Hoc enim vobis dicimus*, inquit, *in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Arcangeli, & in tuba Dei descendet de Cælo: & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*. Quod enim ibi dixerat, *non acceperunt repromissionem*, respicit desiderium animarum justarum expectantium Salvatorem advenientem, ut reformet corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Quod vero ibi ajebat, *ut non sine nobis consummarentur*: tum ex præcedentibus verbis ad Corinthios explicatur, tum ex illis ad Tessalonicenses *non præveniemus eos qui dormierunt*; unde illi & nos, & futuri fideles homines simul resurgemus, atque rapiemur obviam Christo in aera mansuri secum in æternum.

50. Sicuti igitur laudatus textus carnis universalem resurrectionem pertingit ad litteram, eamque sub nomine expectandæ omnibus repromissionis Apostolus indicat: ita ceteræ repromissiones nonnisi de temporalibus repromissionibus intelligendæ sunt, in quantum dicit, ab

ab antiquioribus ac dignioribus Patriarchis haud acceptas ante mortem, redditas verò inferioris meriti & temporis viris atque mulieribus. Sed quia sub justo Domino & omnipotente, nulla bona merita prompta mercede fraudantur: ne deterioris conditionis Abraham fingamus, quam Rahab: libenter fateamur, mercedem post mortem redditam animæ tanti viri, apertam Dei participationem fuisse. Quæ porrò merces longè major & perfectior est ea, qua mulier illa donata fuit in vita, ac donanda erat post obitum corporis; quia indubium est, Abraham plus meriti acquisivisse credendo iis, quæ non obtinuit in vita, quàm Rahab possidendo illa, quæ Abrahæ fuerant primitùs promissa. Hoc, ut potui, explicato, ad alia contendamus.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Respondetur ceteris, quæ Tournely adducit ad infirmandam beatitatem Sanctorum ante Christi adventum.

1. Difficilioribus locis satis me fecisse confido; quibus explosis, reliqua minoris facienda videntur. Quia verò nonnulla Tournely argumenta non a sua tantum interpretatione vim acquirunt, ut vidimus in recensitis Scripturæ textibus, sed facta præseferunt: factis etiam respondere opus est. Quinto igitur loco, inter rationum momenta, quibus novæ Legis Sanctis promptam beatitudinem asserit Doctor Sorbonicus, illamque veterum statim a morte negat, pag. 278. ait: „ Ecclesia, sanctorum mortem ante Christi adventum deflebat: „ nondum eos invocabat. Post Christum verò, diem mortis Sancto„ rum Natalem appellat, celebrat cum gaudio, eorumque apud Deum „ auctoritatem & patrocinium implorat. Unde istud? Quia, quum „ ante Christum Deo nondum fruerentur, viventium preces ad se „ directas, ordinaria aliqua ratione cognoscere non poterant, sicut „ nunc eas cognoscunt in Verbo. „ At vero si a me probabitur, nunquam Ecclesiam antiquos sanctos flevisse, tum etiam eos invocasse, Sanctos vero vita functos Deum pro populo orasse: ultro consequetur, quod Deo fruerentur, in eoque alienas necessitates viderent, sicuti propitium reddebant exorantibus. Facta igitur proferamus.

2. Difficile haud esset exponere, cur in morte præcipuorum ex Filiis Israel, populus quandoque ad fletum convocaretur, qui vario dierum numero ducebatur. De Aaron quippe scriptum est: *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.* (Num. 20. 30.) Item de Moyse: *Fleverunt eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus, & completi sunt dies planctus lugentium Moysen* (Deut. 34. 8.). Ante hos de Jacob Scriptura narrat, quod *flevit eum Ægyptus septuaginta diebus.* (Genes. 50. 3.) Et ℣. 10. *Veneruntque ad aream Arad, quæ sita est trans Jordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleverunt*

runt septem dies. Denique Ecclesiasticus, quamvis habeat, *Luctus mortui septem dies*. (22. 13.), tamen alibi (38. 18.) hunc numerum contrahit: *Et fac luctum*, inquit, *secundùm meritum ejus* (ideft mortui) *uno die vel duobus*. Tum etiam: *Modicum plora super mortuum, quoniam requiescit* (Ecclesiastici 22. 11.). Item ejusdem libri auctor lugentibus mortuos consulens, ait: *Noli oblivisci, neque enim est conversio, & huic* (mortuo) *nihil proderis, & te ipsum pessimabis. Memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri. & tibi hodie.* (38. 22.). Potissimam vero luctus causam fuisse, ne cito defunctorum memoriam deperiret, atque ut gesta eorum, qui de populo meriti erant, inter fletus commemorata magis magisque memoriæ mandarentur: indicat liber I. Machabæorum. Ibi enim (9. 20.) legimus; quod quum omnis populus fleret Judam, qui in bello ceciderat, planctu magno, & lugerent dies multos, illud repetebant: *Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel?*

3. Sed quia quandoque in Scripturis invenimus hunc populi fletum etiam iis præstitum, de quorum salute merito ambigitur; invenimus item, quod ab hujusmodi fletibus Sacerdotes Lege lata, quibusdam exceptis casibus, prohibebantur: id denique demonstrat, hos planctus neque ab Ecclesia factos dici posse, neque Sanctis solis exhibitos. Revera in libro 2. Regum (cap. 1.) habemus, David, & viros, qui secum erant, quando nuncium allatum est mortis Saul, scidisse vestimenta sua, & planxisse, & flevisse, & jejunasse usque ad vesperam *super Saul, & super Jonatham filium ejus, & super populum Domini, & super Domum Israel eo quod corruissent gladio*. Qui si fletus, quasi ab Ecclesia & pro Sanctis persolutus accipiatur: Ecclesiam fingeremus absque Sacerdotibus, qui ab hujusmodi prohibebantur; atque inter Sanctos veneratum a Davide crederemus Saulem, quem tamen ipse noverat ex nuncio necem sibi desperanter intulisse; cujus insuper transactam vitam optimè callebat. Quare flevisse David, & qui cum eo erant intelligo, mortem quidem Saul, sicuti flevit obitum Absalon, eo nimirum dolore tactum quo aliorum impœnitentia fidelem virum percutit: super ceteros autem plorasse tum ob hoc ipsum, tum ad placandam iram Dei, quæ manifesta apparebat in tanta cæde populi sui, atque inimicorum exaltatione. Id conjicio non solum ex relatis verbis, & ceteris illius capitis, sed etiam ex præcepto Moysis, quum Nadab & Abiu igne consumpti sunt ante tabernaculum Domini, quia imposito igne & incenso in thuribulis, obtulerunt Domino ignem alienum, *Fratres vestri*, inquit Moyse, *& omnis Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit* (Lev. 10. 6.), jubens interim ne Aaron, & filii ejus sub pœna mortis miscerentur illis.

4. Fletus autem publicos mortuis adhibitos conjicere vix possumus, excepto ipso Moyse; & Aaron fratre ejus, & Samuele, & fratribus Machabæis. Nam nihil hujusmodi narrant Scripturæ in morte Adam, &

& Noe, & Abrahæ, & Isaac. Quumque indubium sit, Ecclesiam etiam tunc in hominibus Deo fidelibus stetisse: hinc noscimus minus rectè a Tournely obtrudi, Ecclesiam flevisse antiquorum sanctorum mortem, dum hoc publicum lacrymarum officium viris verè sanctis, & amicis Dei Noe, Abrahæ, & Isaac, ceteris interea prætermissis, haud invenimus persolutum.

5. Primus immo, quem ploratibus honoratum post mortem lego, Jacob est, qui in Ægypto decessit, quem etiam aromatibus conditum reperio. At Joseph filium Jacob, qui tunc Ægyptiorum regnum moderabatur, moribus gentis servisse puto, quæ hoc onore insignium virorum cadavera prosequi solebat. Aliam rursus id faciendi causam ei fuisse, æquum est arbitrari. Volens quippe mortuum suum, juxta morientis patris præceptum, alio sepeliendum deferri: illius cadaver quasi necessario erat condiendum. Hinc, ut Scriptura sancta eodem capite ait, *præcepit servis suis medicis ut aromatibus condirent eum. Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies. Iste quippe mos erat cadaverum conditorum; flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus* (Gen. 50.). Hisce septuaginta dum primos quadraginta adimimus, qui fletui dati sunt juxta morem cadaverum conditorum: triginta supersunt, quos postea in flendo Aaron & Moyse, filii Israel persecuti sunt. Sicuti autem mos condiendi defunctorum corpora hac pompa solemni, in filiis Israel non obtinuit, nullibi enim servatum invenio: ita nondum mihi occurrit, luctus tam prolixus alicui alias præstitus licèt excellenti viro. Non immeritò itaque opinor, Joseph consuetudini potius Ægyptiorum. tum in condiendo cadavere, tum in diebus luctus se accommodasse: alia itidem conjectura adjuvante suspicionem meam. Ab eodem enim Geneseos capite discimus, Joseph cum comitatu suo, & cum fratribus suis, & parvulis, qui in primo planctu non commemorabantur, postquam ad aream Arad trans Jordanem pervenerunt (in terram nimirum olim filiis Abrahæ promissam, & ab Israelitis possidendam), dies luctus ad septenarium numerum contraxisse; tanto ante demonstrans, quod postea in Ecclesiastico scriptum est *Luctus mortui septem dies*; atque prophetico spiritu mysterium indicans in hoc numero absconditum, & mortui continens requiem.

6 Quam tamen non veluti Legem ab omnibus implendam inspicio, sed veniam potius humanitati nostræ concessam, nimiosque fletus cohibentem; tum ex contractione dierum a septem ad unum vel duos, ex libro eodem Ecclesiastici supra commemorata; tum maximè ex Lege lata in Levitici capite XXI. 1. per quam præcipua Ecclesiæ pars, sacerdotes nimirum, a luctibus mortuorum prohibebatur sub pœna contaminationis; quibusdam tantum exceptis eorum consanguineis, atque propinquis. *Dixit quoque Dominus ad Moysen. Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos. Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum. Nisi tantum in consanguineis ac propinquis*, idest

 super

super patre & matre, & filio & filia, fratre quoque & sorore virgine, quæ non est nupta viro. Sed nec in Principe populi sui contaminabitur. Hæc verba nos docent, luctum a filiis Israel eidem Moysi persolutum, haud communem Sacerdotibus fuisse; unde apparet, perperam a Tournely dictum, Ecclesiam sanctos flevisse, nisi Ecclesiam absque Sacerdotibus fingamus.

7. Sacerdotes verò in publicis tantùm fletibus contaminationem contraxisse videtur, dum scilicet populo seu multitudini ploranti commiscerentur. Tum quia eadem Scriptura testatur, Abraham ipsum, virum sanctissimum, Saram conjugem suam flevisse; tum quia privatos etiam luctus prohibitos hominibus non arbitror in suorum morte charorum; dum eumdem Dominum nostrum Jesum Christum legimus in Lazari morte esse lacrymatum. Quare quum Lege superius recitata, Sacerdotes plorare caveatur in uxorum morte, atque nepotum, & in sorore nupta (nomina a permissione excepta): rectius de publico luctu Lex intelligenda videtur; dum amor conjugibus, & suis debitus, vix a lacrymis temperare virum probum sinat, eis e conspectu nostro sublatis. Istud humanitatis modestum privatumque officium, a Deo, qui novit infirmitatem nostram, prohibitum fuisse sacerdotibus hominibus, nihil est quo adducar ut credam. Legi igitur non obviassent Sacerdotes, si defunctis suis in eadem non nominatis privatum lacrymarum officium persolvissent, naturæ fluctibus devicti; nec fortasse eamdem fregissent, si officia sepulturæ iis publicè reddentes quibus poterant, a fletu nihilominus abstinerent, siccisque oculis mortuos suos tumularent. Illud enim natura infirma deposcit, istud illorum Fidem de mortuorum requie, deque futura resurrectione commendat. Hujus constantiæ exemplum in Moyse & Eleazaro legimus, quum reliquerunt Aaron in montis supercilio mortuum, quem flere, & Lege non vetabantur, nimirum quia Moysis frater erat, Eleazari pater. Attamen Scriptura Sancta testis invictus accedit fidei istorum de requie, quæ sanctis continuò post mortem datur, quum ait: *Illo mortuo in montis supercilio, descendit* (Moyses) *cum Eleazaro* (Num. 20. 29.), quin illorum lacrymas recenseat.

8. Loco itaque Legis ab omnibus implendæ fuisse non puto textum Ecclesiastici, *Luctus mortui septem dies*, aut horum dierum contractio ad minorem numerum. Alioquin filius Tobiæ cum ceteris propinquis ejus, & ipsemet David veluti rei fractæ Legis essent habendi. Nam si Lege cautum erat, ut mortuus ploraretur: Scriptura hanc fidelium omissionem nequaquam absque censura præteriisset, licet non lex, sed consuetudo laudabilis infringeretur. Sed neque antiquissima consuetudine receptum mortuorum planctum jam præmonui; quum nec Abrahæ, nec Isaac viris sanctis, lacrymas persolutas a filiis sanctis legamus. Hunc insuper morem haud firmiter viguisse in populo Dei, & in illis ipsis, quorum memoriam pietate recolendam in Scripturis in-
veni-

venimus, demonstrat, quod de Tobia seniore legimus: *completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorificè in Ninive*, (14. 2.) ubi nulla lacrymarum fit mentio. Sed nec eas interfuisse (nisi ex iis fortè fuerint, quæ magnum gaudium quandoque comitantur) patet ex eo, quòd postea de juniore Tobia Scriptura narrat. *Et completis*, inquit, *annis nonaginta novem in timore Domini*, CUM GAUDIO *sepelierunt eum* (ibid. 16.) Ab hoc textu rursus corripiuntur verba Tournely dicentis, post Christum dumtaxat, ab Ecclesia cum gaudio celebrari diem mortis Sanctorum. Evidenter enim hic cum gaudio sepultum Tobiam juniorem Sanctæ Scripturæ testantur. Istud autem fidelium gaudium, Ecclesiæ gaudium dicere nec ipse rennuet, ex qualitate defuncti, de quo hic agitur. Attamen maturius rem cogitanti patebit, quod supra demonstratum est, suppositum ab eo Ecclesiæ planctum non inveniri nisi in populi congregatione absque sacerdotibus etiam in iis defunctis, quibus lacrymarum officium persolutum fuisse Sacra narrat historia; unde gaudium quidem Ecclesiæ in sanctorum morte, luctum verò nequaquam ostendere valebit ex libris Canonicis.

9. Quomodo verò sancti fletibus uterentur, quum tamen mortuòs itidem sanctos plorare permissum esset, ostendit Davidis exemplum (2. Reg. 12.) quando percussit Dominus parvulum, quem ipsi pepererat uxor Uriæ. *Deprecatusque est David Dominum pro parvulo, & jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram. Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum ut surgeret de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum. Accidit autem die septima ut moreretur infans, timueruntque servi David nunciare ei, quod mortuus esset parvulus: dixerunt enim: Ecce cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram: quanto magis si dixerimus, mortuus est puer, se affliget? Cùm ergo vidisset David servos suos mussitantes, intellexit quòd mortuus esset infantulus: dixitque ad servos suos. Num mortuus est. puer? Qui responderunt ei: Mortuus est. Surrexit ergo David de terra, & lotus unctusque est; cùmque mutasset vestem, ingressus est Domum Domini, & adoravit, & venit in Domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, & comedit. Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo quem fecisti? Propter infantem cum adhuc viveret jejunasti & flebas, mortuo autem puero surrexisti & comedisti panem. Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi & flevi: dicebam enim: quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus, & vivat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Numquid potero revocare eum amplius?* EGO VADAM MAGIS AD EUM: *Ille verò non revertetur ad me*. Hinc patet cur lacrymas adhiberent Servi Dei; atque intelligitur, cur aliquando eas mortuis persolverent. Hunc certè filium (quem sanctum habebat pater, juxta verba, *Ego magis vadam ad eum*, requiem quippe sanctorum etiam pro se sperabat David post vitam hanc) filium inquam istum non flevit mortuum, sicuti non dico ab Ecclesia, sed neque a servis Domus regiæ cum ploratum inveni-

venimus. Audiatur Divus Ambrosius hoc factum exornans: „ Dein„ de David moriturum filium flabat, mortuum non dolebat: flebat „ ne sibi eriperetur, sed flere desiit ereptum, QUEM SCIEBAT ESSE „ CUM CHRISTO. Sed ut scias verum esse quod assero: incestum Am„ mon filium flevit occisum: parricidam Absalon doluit interemptum, „ dicens: Filius meus Absalon, filius meus Absalon. INNOCENTEM „ FILIUM NON PUTAVIT ESSE LUGENDUM: quia illos sibi periisse pro scelere, HUNC PRO INNOCENTIA CREDIDIT ESSE VICTURUM (De „ obitu Valentiniani.) Quod profectò confirmat, antiquos Judæos, nec semper mortuos suos flevisse, nec semper sanctos. Quamvis enim sanctos ploraverint Moysen & Samuelem; hunc tamen sanctum regis filium non ploraverunt, sicuti nec duos Tobias, nec alios Prophetas & Reges justos & sanctos.

10. Fletus autem ac jejunium, quod servatum legimus in morte Saul, Jonathæ, & Sacerdotum, filiorumque Israel; item quæ narrantur in morte Abner prodito a Joab (2. Reg. 3.): sapienter accipiuntur non solum veluti indicia doloris viventium pro eorum obitu, sed veluti pœnitentiæ signa ad placandam iram divinam & super ipsis mortuis, ut Deus propitius fieret iniquitatibus illorum. Satis igitur demonstrasse credo, nunquam Ecclesiam cum Sacerdotibus, ante Christi adventum flevisse mortem justorum, quod adstruebat Tournely, ut ab hoc, apud illum constanti officio, insinuaret justorum antiquorum dilatam beatitatem. At si hujusce luctus ceremoniam tamquam debitam assumeret ex verbis Ecclesiastici, *Luctus mortui septem dies*: hoc, si ad vitandam multam disputationem illi darem; non inde tamen efficeret, quod proposuit. Divus enim Augustinus hunc ipsum numerum dierum luctus perpendens non hinc tristia animabus ominatur, sed felicia accidisse confirmat. „ Septenarius numerus, in„ quit, propter Sabbathi Sacramentum præcipuæ quietis inditium est: „ unde merito mortuis tamquam requiescentibus exhibetur. (1. p. 3. Tom. Quæst. 172. in Exod. l. 1.)

11. Nunc ad invocationem progrediamur, quam pariter negat Tournely, nimis properè ut ego puto. In libro quippe Genesis lego (48. 15.) *Benedixitque Jacob filiis Joseph, & ait Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham & Isaac. Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, &* INVOCETUR *super eos* NOMEN MEUM, NOMINA QUOQUE PATRUM MEORUM ABRAHAM ET ISAAC. Si adversans fateri vellet, Jacob super filios Joseph nomina patrum suorum tunc invocasse: confecta res esset. Sed quia inofficiosum alicui videri fortasse poterit, Jacob tunc super eos nomen etiam suum invocavisse: superest, ut sui etiam nominis invocationem super illis faciendam prophetico spiritu prædixerit. Quum autem dixit, nomen suum super ipsi invocandum, profectò de adhuc victuris intellexit, nempe addens, *& crescant in multitudinem super terram*. In comperto proinde

proinde est, Sanctos illos Patriarchas invocari potuisse in populo Dei, ut per eorum merita, quæsita bona populus obtineret. Quæ si super viventibus, & indigentibus invocatio facta non est: cuique prudenti difficile erit assignare, quomodo verba Jacob in veritate persistant. Et ne hujus propheticæ vocis veritas ad tempora novæ Legis trahatur, sub qua revelata non vixerunt filii Joseph; in qua tamen hæc nomina reverà invocantur, dicendo toties, *Deus Abraham*, *Deus Isaac*, *Deus Jacob*: extra rem non erit ostendere, hujusmodi invocationibus Sanctos etiam antiqui instrumenti fuisse assuetos. Ne loca omnia repetamus; sufficiat quod Danielis capite (3.) invenio. Tres pueri ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. Stans autem Azarias tertius illorum, piissima oratione peccata sua & populi confitens, hæc etiam addit: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis* PROPTER ABRAHAM DILECTUM TUUM, ET ISAAC SERVUM TUUM, ET ISRAEL SANCTUM TUUM. Utrum hæc dicenda sit invocatio nec ne, videat Tournely, qui invocationem inficiatur antiquorum sanctorum. Mihi quidem tam præclara videtur, quantum aperta est in his ipsis verbis ab Ecclesia Catholica toties repetitis. Quæ si verba minimè continerent veram antiquorum Sanctorum invocationem prophetia Jacob nullo unquam tempore in rem deducta foret, neque enim nunc invocarentur. Invocantur autem iisdem verbis, etiam ipso dante Doctore Sorbonico; invocabantur igitur etiam tunc ab iis, qui eadem verba adhibebant.

12. Ab hujus quoque invocationis veritate tertium illud confirmatur, quod hic auctor impugnat, nimirum Sanctos ante Christum in carne manifestatum Deo fuisse gavisos, & viventium preces ad se directas ordinaria ratione potuisse cognoscere, eas scilicet cognoscentes in Verbo. Oportebat enim invocantes credere, Sanctos, quos invocabant, eorum preces audire; ut nimirum, ipsis intercedentibus, facilius Deus petitis annuaret; alioquin nunquam illos invocassent. Cur autem dubitabimus preces audivisse eos qui necessitates populi videbant, atque ut easdem Deus averteret deprecabantur? Historia id illustrare, sicuti proposui, jam pergo. Blasphemo Nicanore populo Dei imminente, Judas Machabæus suos hortabatur, *ne formidarent adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de Cœlo. & nunc sperarent ab omnipotente sibi affuturam victoriam ..... Singulos autem illorum armavit non clipei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus, exposito Fide digno somnio, per quod universos lætificavit. Erat autem hujusmodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui a puero in virtutibus exercitatus sit*, MANUS PROTENDENTEM, ORARE PRO OMNI POPULO JUDÆORUM. *Post hæc apparuisse & alium virum ætate &* GLORIA *mirabilem, &* MAGNI DECORIS HABITUDINE *circa illum. Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel*; HIC EST QUI MULTUM ORAT PRO POPULO,

&

& universa sancta civitate , Jeremias Propheta Dei . Extendisse autem Jeremiam dexteram , & dedisse Judæ gladium aureum dicentem . Accipe sanctum gladium munus a Deo , in quo dejicies adversarios POPULI MEI ISRAEL (2. Machab. 15.) . Præclara hæc prorsus sunt , quibusque nihil, ut arbitror, reponendum inveniet Tournely. Patet enim, sanctos illos jamdiu vita functos, necessitates præsentes populi vidisse; quas quomodo videre possent nisi in Deo , explicet fortasse qui potest. Illos autem non orasse tantùm , verum etiam opportuna auxilia a Deo impetrasse, ex factis constat. Quæ omnia , nisi vera crederet universus populus, immo si illorum temporum Fides sanctos defunctos posuisset in privatione visionis Dei , vel in doloribus vel in quadam, quæ minimè percipi potest , quiete eos apud inferos credidisset : nondum intelligo , quomodo ex hujusce somnii narratione (quod non ab inferis ascendisse Oniam & Jeremiam , sed potius è Cœlis descendisse insinuat) consolari populus, & lætificari potuisset, illudque somnium Fide dignum habere. Fide tamen præstita dignissimum apparuit, ex victoria ceteris præclarissima , qua universum hostium exercitum, atque ipsum blasphemum Regem , numero adeò impares obtinuerunt Hebræi fortissimè dimicantes.

13. Adde, quod ex ejusdem textus verbis, non quietis solùm , sed gloriosæ quietis status spiritui illius prophetæ tribuitur; isque precibus pro populo fundendis , atque impetrandis auxiliis , Deique nomine promittendis atque ferendis , aptissimus . Quæ nisi juxta litteralem sensum intelligimus : novis semper absurdis viam aperimus . Non enim quietem tantùm absque visione Dei , daremus antiquorum animabus ; sed insuper eas ornatas opinaremur gloria mirabili , & magni decoris habitudine, absque interna Dei præsentia; quod porro a veritate exorbitat, canente David*: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*. (Ps. 44.) . Hanc quippe gloriam mirabilem , hunc itidem magnum habitudinis decorem, si privationi visionis Dei componimus: inter illa bona censebimus, quæ juxta S. Augustinum animæ infelicissimum statum non minuunt, ait enim , ut aliàs repetivi : „ Illa „ namque visio Dei tantæ pulcritudinis visio est , tantoque amore „ dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atque abun- „ dantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere . „ Ita satisfecisse confido tribus argumentis citato loco a Tournely ex Scripturis adductis, ejusdem sanctæ Scripturæ indubiis testimoniis . Ex quibus confirmatur, quod ipse oppugnare præcipuè statuerat , Sanctorum nimirum animas, etiam ante Christi in carne adventum, Deum vidisse; ideoque vera beatitudine compotes fuisse : tum quia ab Ecclesia non plorabantur ; tum quia invocabantur ; tum demum quia invocantium preces & necessitates nonnisi in Deo videre poterant , quas certè videbant, & suis precibus adjuvabant.

14. Quia verò pag. 285. alium locum ex Scripturis affert , illumque ad proteiandam mercedem æternam sanctis antiquis , violenter usur-

usurpat: huic quoque respondere par est. Ait igitur. „ Instabis 5. „ Ecclesiastes cap. 11. v. 1. ait. *Mitte panem tuum super transeuntes* „ *aquas, quia post tempora multa invenies illum*. Ergo non statim post „ mortem invenitur fructus eleemosynæ, & merces boni operis, sed „ post tempora multa, hoc est in fine sæculi. Respondeo 1. Ea ver- „ ba scripta esse multo ante Christi adventum, quando justi, dilata „ mercede beatitudinis, ad inferos descendebant. Respondeo 2. Sim- „ plicem & apertum videri sensum hujus loci, nempè abundè lar- „ giendum esse egentibus, quia quod dederis, si non statim, saltem „ post multum tempus pro certo recipies. Nam alii aliis citius evo- „ cantur ex hac vita, & rursum alii aliis citiùs a Purgatorio libe- „ rantur. „ Quamvis nullo labore concedam hæc scripta fuisse multo ante Christi adventum: nec ipse tamen Tournely inficiatur, eadem novi Testamenti fidelibus esse communia; tum ut ad eleemosynas faciendas inflammentur, tum ut earum mercedem a Domino certissimam sperent. Si ergo illud *post tempora multa*, diversum quidpiam indicat a tempore vitæ hujus: doceat ipse si potest, quomodo idem textus dilationi non faveat visionis Dei, sanctis, etiam post Christi adventum hinc decedentibus? Hæc quippe dilatio a textu, juxta sententiam suam, indicata, eos etiam maneret, qui Purgatorii igne non essent expiandi, scilicet quia eleemosynis hoc supplicium redemissent. Quod si Purgatorio dignos citiùs inde certissimè eripit eleemosyna: dicat Tournely, cur ob hanc divinam promissionem expectare non deberent etiam antiqui, ut in sinum Abrahæ citiùs a Purgatorio perducerentur? Qualem autem mercedem suarum eleemosynarum statim a morte invenirent illi, qui in hunc sinum ab Angelis portabantur ipse non docet, immo nullam invenit. Ait enim, ea verba scripta fuisse multo ante Christi adventum, quando justi, dilata mercede beatitudinis, ad inferos descendebant; atque ita ab ea statione ob suas eleemosynas non eripiebantur. At si eadem verba nunc minime indicant mercedem gloriæ dilatam iis, qui huic etiam præcepto diligenter parentes, ea digni facti sunt: difficillimè poterit explicare Doctor Sorbonicus, cur hanc dilationem tunc continerent.

Ideo illud *post tempora multa*, convenientissime ad hujus vitæ mortalis terminos circumscribo, quod in antiquis verum erat, sicuti in justis Evangelicis verum est. Vitam enim diuturnam in hoc mundo iis concessam, qui eleemosynis levabant pauperum inopiam, tum ex pluribus notissimisque antiquorum librorum pollicitationibus evincitur, tum præclarius apparet Tabithæ exemplo, quod Actum 9. 36. legimus. „ *In Joppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat. Factum est autem in diebus illis ut infirmata moreretur. Quam, cum lavissent, posuerunt eam cœnaculo. Cùm autem propè esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes, quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum rogantes, ne pigriteris venire usque ad nos. Exurgens*

 autem

autem Petrus venit cum illis, & cùm advenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, oravit; & conversus ad corpus, dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam, & cùm vocasset sanctos & viduas, assignavit eam vivam. Hic enim ratio peculiaris assignatur, ob quam a morte Tabitha evocaretur, nimirum ut consuetis eleemosynis illas juvare pergeret, quæ suum levamen in ipsa plorabant amissum.

16. Nec vitæ hujus longanimitas pauci æstimanda est; in qua id boni cum Dei adjutorio meremur, quod post vitam nos manet: Hac enim expleta, iis ante conspectum Domini meritis stipati statuimur, quæ quisque aquisivit in mundo; ac proinde eleemosynæ eum, qui in iisdem spem suam ponebat, nudum etiam spiritum comitantur, ac pro eo orant ante tribunal Dei; qui de iisdem rationem habet in ferenda sententia privati judicii. Quæ idcircò eleemosynæ, nisi illum continuò ducunt ad vitam; tamen ad contrahendas Purgatorii pœnas proficient. Quum autem de sanctis vita functis sermo est; de iis loqui intelligimur, qui eleemosynarum erogatione, non solum deleverunt quod luendum superesse post vitam poterat, sed respondentem eleemosynis mercedem meriti sunt, vitam nempe æternam toties a Domino promissam. Quales si Tournely antiquos fideles concipiat: jam in assignanda mercede deficiet. Nam si hæc merces ad passionem Christi erat definita: nec votis nec eleemosynis poterat accelerari. Ideoque talem statum ii obtinebant, qui absque eleemosynarum merito, sed tamen absque peccatis, moriebantur; qualem illi, qui bonis operibus, atque insuper multis eleemosynis septi ante judicem constituebantur, in quorum numero Tobiam fuisse certum est. Majora enim & minora merita in loco, ubi Sanctorum animas collocat Doctor Sorbonicus, mercedem habere condignam non poterant: dum omnes vel passione acerbissima illustres ut Abel & Machabæi; vel quieta morte peremptos, eadem regio, & in eadem visionis Dei privatione manebant. In qua sententia sua explicet ille si potest, quomodo Dei justitia intacta perseveret; qua illis sicuti & nobis, immo sibimetipsi imperabat Dominus, *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane* (Levit. 19. 13.); quod tot parabolis, torque præclarissimis oraculis confirmavit in novo Testamento. Nunquam enim antiquorum justorum animas per commentitiam quietem a pœna damni liberabit Doctor Sorbonicus. Hac verò pœna unaquæque tantò fortiùs angi debebat, quantò ferventiore caritate ad suum finem consequendum anhelabat: tantò autem anxius hunc finem concupiscebat corpore soluta, quantò amplius illum eleemosynis & bonis operibus quæsivit in vita. Etenim quum juxta verba sua dicuntur antiqui in pace viventes post mortalem vitam hanc, quæ nunquam pace integra fruitur: certè hæc pax, vel Dei est; vel eam ipsi

veluti

veluti in se ipsis inveniunt, Dei dulcedine seclusa. Si primum: pax illa erit, quæ exuperat omnem sensum, ut ait S. Augustinus (de Civit. Dei l. 22. c. 29.): Si vero anima seipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur; & ideo adhuc superba est, quia se pro summo bono habet, quum superior sit Deus; atque idcircò in pace non erit. Nam si seipsa contenta est, stultè contenta est, & ægrotat, atque ita a pace alienatur. Si autem aliquid extra se desiderat, jam in pace non est. „ Vera namque pax, ut S. Augustinus docet (c. „ 30. ejusdem libri) in eo est, ut nihil adversi nec a se ipso, nec „ ab alio quisquam patiatur „ Semper autem patietur, donec in Deo, & de Deo requiescat: in eo enim solo veram, certam, æternamque invenit pacem.

17. Quoniam vero fortuitus quidam eventus me adegit, ut circa fletus mortuis antiquis præstitos plura examinarem; eadem sequens complectetur.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Verba Sermonis de Consolatione mortuorum *hucusque stabilitæ sententiæ non nocent; quia ex Maurinorum censura hic sermo Augustinianus non est; sed ulterius, quia S. Johanni Chrysostomo, non recto fortasse fundamento ab iisdem Maurinis tribuitur. Vera hujusce Sancti Patris doctrina circa planctum Christianorum in funeribus.*

1. OPeræ pretium fortasse erit, antequam ab ea materie discedamus, quam superius continet caput, illa addere, quæ viri ornatissimi involuntarius error in causa fuit, ut amplius invenire curaverim. Ejusdem eruditio, solidumque judicium & diligentia in quodam opusculo patens, italico idiomate composito, & typis edito, mihi scrupulum injecerat, fore ut in genuinis Augustini operibus ea verba ipse invenerit, quæ protulit in rem suam. Quæ quum doctrinam Turnelianam confirment de fletu Ecclesiæ circa sanctos antiquos defunctos: haud inutile erit relata referre; ne fortasse negotium alicui facesserent, qui ea vidisset, & Augustiniana credidisset. Vel si sermonem illum S. Augustini non esse intelligeret ex censura clarissimorum Maurinorum: nihilominus ejusdem sermonis sententiam amplectendam arbitraretur, veluti dictatam a S. Johanne Chrysostomo cujus quoque auctoritas in Ecclesiasticis rebus magna est.

2. Verba igitur Sermonis de Consolatione Mortuorum ab erudito viro laudata, hæc erant. „ Et meritò flebant (antiqui) quia non„ dum de Cœlis advenerat Christus, qui fontem illum lacrymarum „ sua resurrectione siccavit. Meritò flebant, quia adhuc mortis sen„ tentia permanebat. Meritò lamentabantur, quia nondum resurre„ ctio prædicabatur. „ Addere etiam poterat sequentia. „ Sperabant „ quidem sancti quique adventum Domini; sed mortuos interim fle-

 bant,

„ bant, quia nondum viderant quem sperabant. „ Quicumque recordari voluerit eorum, quæ hactenus a D. Augustino latissimè retuli: momenta cognoscet, quibus hæc verba veram S. Patris constantemque doctrinam oppugnant; adeoque doctissimorum Monachorum laudabit judicium in hoc Opere eidem abjudicando, quod sententiis scatet tamdiu suæ menti contrariis. Etenim etiam antiqui illi ut toties Augustinus dixit, credebant futurum quod nos credimus factum. Quod si illis non profuit incarnatio Christi quia nondum facta erat, nec nobis prodest judicium Christi de vivis & mortuis, quia nondum factum est. In eadem igitur dormitione tum illorum cadavera quiescebant, tum nostra requiescent; a qua & sua & nostra evigilatura credebant in carnis resurrectione.

3. Verum quia amplissimi Monachi, hujusce & sequentis Sermonis doctrinam cum Augustiniana conferendam non susceperunt; sed uti indicant admonitio in eosdem, & nota in fine secundi (in Append. Oper. S. Aug. T. *6.* p. m. 739.), sub Fide Codicis Corbejensis ante mille annos, ut ajunt, descripti, & Remigiani annorum fermè octocentum, S. Johanni Chrysostomo ambos adjudicaverunt; eo præcipuè adducti, quia primus codex S. Johannis nomen, secundus Constantinopolitani adjunctum præseferebant: maturius istorum examen institui ad amoliendam vim argumenti, quod inde contra me elicere quispiam posset. Vidi enim ex admonitione, Fidem Codicibus adhibitam, non ex sola eorumdem antiquitatis prærogativa, sed quia illustratores putaverunt doctrinam S. Johannis Chrysostomi respondere sententiis hujus sermonis. „ Confer, inquiunt, ipsius homiliam 41. „ in 1. Cor. 15., & homiliam 1. in 2. Cor., & homiliam 61. in „ Johan; homiliam denique 70. ad populum Antiochenum &c. „ In istis tamen homiliis, quas diligentissimè examinavi. nihil invenire valui (tantorum virorum pace dicam) quo sensus relatorum verborum confirmetur.

4. Scopus namque Chrysostomi in laudatis homiliis non est, ut prohibeat fideles, qui post Christum natum ejusdem sanctam Legem profitentur, a planctu suorum mortuorum, ne imitari videantur antiquos; qui, ut volunt, multis quasi de causis mortuos suos flebant; quia scilicet nondum venerat Christus, quia adhuc mortis sententia perdurabat, quia nondum resurrectio prædicabatur, quia demum nondum viderant quod sperabant: sed ut auditores hortetur ad parcè, & rectè tale persolvendum officium. Ait enim laudata homilia 61. in caput 11. Joh. „ Numquid ego prohibeo? Minimè lugere, sed imprudenter lugere veto. Non sum immanis, non sum crudelis. Video naturam dolere, & quotidianam requirere consuetudinem. Non „ licet nullo affectu moveri; quod & Christus ostendit: lacrymatus „ est super Lazaro; ejus sequere exemplum: lacrymare, sed leniter „ & prudenter, & cum Dei timore. „

5. Tantum verò abest, ut in antiquis Patriarchis & justis, S. Doctor

ctor commendet planctus mortuorum, quemadmodum opposita verba sapiunt; ut immò, vel non omnino plorandi, vel prudenter & parcè plorandi, ex antiquorum illorum actibus exempla proponat auditoribus suis. Ita in homilia 41. in cap. 15. epist. 1. ad Cor. „ Cogita, „ inquit, quòd Abraham filium suum mactavit (animo scilicet quia „ promptus erat), & neque flevit, nec verbum acerbum ullum emi- „ sit . . . . . Job verò flevit ille quidem, sed quod satis erat patrem „ liberorum amantem, & mortuos curantem . „ Hinc præmia, eorum constantiæ conlata, illis promittit, qui eorumdem vestigia sequantur, hom. 1. in cap. 1. epist. 2. ad Cor. „ Is, si poterit, inquit, „ sedatis naturæ fluctibus, siccis oculis dicere illud beati Job *Domi- „ minus dedit Dominus abstulit* : ex eo solo verbo eum ipso Abraham „ collocabitur, cum ipso Job CORONABITUR . „ Ex quibus, præclarissimè apparet, Chrysostomum, constantiam quidem Abrahæ fidelibus suadere in morte suorum ; sed eorum fletus non culpare, dummodo ad imitationem Job, brevi ploratui illa succedat Christiano animo digna subjectio, qua Deo gratias agant, ex eo etiam quòd earos suos abstulerit a conspectu.

6. Quòd si ab ipsomet Abraham modesti fletus exemplum elicere voluisset : numquid deerat ? De constantia Abrahæ agit S. Pater in immolando Isaac, & ait: „ Cave putes, illum, quoniam facilè pa- „ ruit Deo, omnia illa sine doloris sensu pertulisse. Etiamsi DECIES „ MILLIES JUSTUS FUISSET, SICUT REVERA ERAT, homo tamen erat, „ obnoxius naturæ affectionibus. (Hom. 1. in cap. 1. epist. 2. ad Cor.) Ex libro de Providentia secundo de morte Sarai loquens inquit . „ Id justo illi maximo moerori fuit. Etsi enim longo tempore simul „ vixerant, nihil tamen persuadere poterat, ut eum casum levius fer- „ ret ; immò verò hoc ipsum ampliore illum dolore conficiebat . „ Namque consuevimus eos, qui plurimo nobiscum tempore vixerunt, „ summaque virtutis suæ, & amicitiæ nobis documenta dederunt, „ maximè omnium, ac summo desiderio requirere. Quodque illa ita „ se habeant ipse Patriarcha nobis indicat, qui fletu & lamentatione „ solemni illi debitas persolvit inferias . „ Nimirum liber Geneseos (23. 2.) narrat, venisse Abraham ut Saram uxorem suam mortuam *plangeret, & fleret eam*. Sed ne tanto Patriarchæ, qui ex fortissima constantia laudatur in filio mactando, aliquid detractum hine quispiam putaret: sequentia indicant, eum naturæ tantum fluctibus in hoc paruisse. Ait enim Scriptura: *Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth;* quæ porrò ostendunt fletum nec longum fuisse nec immodicum, cui adeò proximè succedebat cura juris sepulcri acquirendi a filiis Heth, ut sepeliret mortuum suum. Quis autem dicere audebit, Abraham (qui certè de antiquis illis est), ideo Saram flevisse, quia resurrectionem ignoraret : dum Apostolus Paulus docet quod ille constanti animo filii holocaustum parasset, scilicet

arbi-

arbitrans quod, & a mortuis suscitare poterat Deus? (ad Hebr. 11. 19.)

7. Audiamus Chrysostomum iterum; qui in hoc Pauli textu hæc perpendit. „ Contraria quidem, inquit, humanis ratiocinationibus „ videbantur: consona verò erant fidei. Et quomodo inquis? Ipse „ nos docuit Apostolus. Quum enim dixisset, æstimans quòd & a „ mortuis resuscitare potens est Deus, ut ostenderet ex eadem ipsa „ Fide, ex qua crediderat, quoniam eadem potentia, qua non exi- „ stentem dederat, hac etiam & mortuum resuscitare posset, adjecit, „ quia eadem ipsa Fide etiam occisum resuscitari credidit. „ Et post pauca. „ Si enim Abraham credidit primus ante tot annos, quia ex „ mortuis resuscitare potens est Deus: multo amplius nos credere de- „ bemus. „ Et iterum. „ Deinde, ne quis putet, quod desperans „ hoc fecerit, & per hoc præceptum Fidem illius promissionis ami- „ serit; sed cognoscat, quòd revera & hoc fidei fuerit, atque etiam „ illam habuerit Fidem, licèt videretur huic repugnare, quum tamen „ non repugnavit. Non enim humanis ratiocinationibus virtutem Dei „ pensabat, sed Fide cuncta gerebat. Propterea non veretur dicere: „ quia & ex mortuis potens est Deus suscitare. „ (Hom. 25. in cap. 11. ep. Paul. ad Hebræos.)

8. Quum igitur adducta verba sermonis de Consolatione mortuorum, a doctrina Chrysostomi corripiantur in ipsismet locis, ubi consona inveniri promittebatur: tutò statuamus, Sermonem hunc minus attente Sancto Constantinopolitano Episcopo tributum. Qui adeò credebat, nihil prodesse ad instructionem fidelium, commemorationem planctuum, quibus funera quorumdam Patriarcharum, & Sanctorum, vel insignium virorum hactenus prosecuti fuerant Hebræi: ut nusquam has historias memoret. Si verò easdem memorare expediens putasset; nunquam dixisset, laudandos vel excusandos antiquorum fletus super mortuos suos ob rationes in sermone adductas; scilicet ne Fides resurrectionis defuisse videretur Abrahæ aut Job, quos interim solos nominat. Nam Chrysostomus toties juxta præclarissimas Scripturas demonstraverat, eos hoc etiam fidei nostræ mysterium credidisse, ut de hoc nonnisi propriæ doctrinæ oblitus amplius, dubitare non posset.

9. Totus igitur S. Pater in laudatis homiliis est, ut fideles doceret, atque hortaretur ad parcè deflendos mortuos suos; ne Gentibus fictitia appareat Fides resurrectionis, quam ore profitebantur. Homilia verò 70. ad populum Antiochenum, quam ultimo loco videndam Maurini admonent, abusus insectatur in reliquis pariter citatis homiliis indicatos, quos sequentia ejus verba abundè patefaciunt. „ Quan- „ do verò mulier, inquit, vel vir, se cum Christo crucifixum esse di- „ cens; hic quidem capillos laniat, illa verò nimium plorat, quid „ hoc deformius esse possit? Mihi credite dicenti, si fieret ut opor-

„ tet,

„ tet, multum temporis ab Ecclesiæ limitibus tales essent arcendi. „ Mox in eos conversus, qui mulieres quasdam (præficas appellabant) in luctum pretio advocabant, addit: „ Quicumque voluerit irascatur; „ eos ab Ecclesia multum temporis arcebo, tamquam idolorum cul- „ tores ..... Si verò, quod absit, contempti fuerimus, minas ad „ rem deducere demùm cogemur, vos quidem ecclesiasticis castigantes „ legibus, illas verò (præficas) sicuti eis convenit. „ Sumptuosos igitur & Christi fidelibus indignos, immò & ridiculos luctus prohibet S. Episcopus; non autem flere fideles vetat mortuos suos, ne antiquos illos imitentur, quos Sermo de Consolatione mortuorum indoctè ad minus commemorat, ob labantes rationes ibidem adductas.

10. Ideò alibi hæc habet S. Episcopus (& nimius essem si omnia vellem colligere unicuique facilè invenienda). „ Potest enim, inquit, „ etiam sine ista pompa plorari, & non ita dumtaxat ludi. Nihil „ enim a ludis differunt quæ a quibusdam fiunt. Quoniam enim illi „ planctus, qui in foro fiunt, non ex compassione, sed ostentatione, „ & ambitione, vanæque gloriæ studio sunt, multæ mulieres ex arti- „ ficio & composito faciunt. „ Hæc quidem Christi affeclis indigna videri possunt; adeoque celeberrimus Lyricus Poeta Franciscus Petrarcha ab hoc usu abhorruit, (qui suo etiam tempore post tot sæcula in agro Patavino, ubi postremum diem clausit, adhuc durabat; cujus item vestigia quædam in hanc diem in iis partibus vigent): ut his verbis Testamenti sui, præclaræ mentis æquitatem patefecerit, verò Chrysostomi hortationibus argumentisque conformem. „ Hoc addito, „ inquit, quod nemo me fleat, nemo mihi lacrymas, sed pro me „ Christo præces, & qui potest Christi pauperibus caritatem pro me „ orare monitis, porrigat. Hoc mihi prodesse poterit, fletus autem, „ & dufunctis inutilis, & flentibus est damnosus. „

11. „ Permittantur itaque (docet appositè Sanctus Augustinus), „ pia corda carorum, de suorum mortibus contristari dolore sana- „ bili, & consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas „ citò reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando mo- „ riuntur, paululum a nobis abire, & ad meliora transire. (5. Tom. Serm. 172.) Atque hæc satis sint ad amoliendum (si cui unquam fortè insedisset) causæ, quam hactenus egi, præjudicium, veluti ex auctoritate S. Augustini, vel saltem ex S. Joh. Chrysostomi Doctrinis.

C A.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Doctoris Angelici Doctrina de orationibus animarum sanctarum antiqui Testamenti, eas in actuali visione Dei constituit, adversus interpretationem ejusdem Doctrinæ a celeberrimo Cardinali Cajetano excogitatam.

1. MEmini me spopondisse ostensurum, Doctorem Angelicum sua met doctrina favere sententiæ de beatitate Sanctorum ante Christi Domini descensum in inferos. Id usque nunc distuli, arbitrans opportunum locum tunc futurum, quando proponenda esset opinio Tournely docentis ut vidimus, antiquos sanctos preces populorum ad se directas ante Christum passum non cognovisse, scilicet quia tunc eas non poterant, sicut nunc, in Verbo cognoscere. Aliter autem sine ulla ambiguitate credendum jubet relatus textus libri 2. cap. ult. Machabæorum, cujus verba denuò transcribo. *Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate Jeremias Propheta Dei. Extendisse autem Jeremiam dexteram, & dedisse Judæ gladium aureum dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.*

2. Præter ea, quæ capite XXV. n. 11. in hanc rem disputata sunt: diligentissimam contemplationem mereri admoneo postrema Jeremiæ verba, qui non ex persona propria, sed ex Dei ore loquebatur. Non enim dixit: Accipe Sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi *sui* Israel, sed dixit *populi mei;* verba nimirum referens ab ipsomet Deo primùm pronuntiata, qui solus *meum* dicere poterat populum Israel. Nam quamvis Propheta dicens gladium munus a Deo esse, apprimè ostendat, se constitutum in conspectu Dei ab eodem Deo accepisse ensem Judæ dandum cum promissione victoriæ, quæ itidem soli Deo nota esse poterat evidentiùs tamen adjunctum illud *populi mei* denotat quamdam, ut ita dicam, spiritualem confabulationem, Deum inter & Jeremiam qui jam pro instante necessitate oraverat. Hanc si confabulationem ad regulam revocemus a S. Ambrosio datam, de qua in capite XVIII. Vindiciarum Augustinianarum ab imputatione Regni Millenarii actum est: considerantes nimirum narrationem Unigeniti *qui est in sinu Patris*, per quam animæ Sanctorum beatificantur Verbo intus præsente, easque replente; & ab eodem de sua voluntate illustrantur: patet, Jeremiam in Deo primùm vidisse imminentem populo calamitatem; & ut diverteretur peculiariter orasse; indeque Deum misericordia motum (cujus pariter misericordiæ effectus fuit calamitatis revelatio), eam spem sancto Prophetæ dedisse, quam verba, & facta præseferunt; unde agnoscimus, animam Jeremiæ contemplatione veritatis, & beatifica visione verè fuisse donatam.

3. Idem

3. Idem sensisse etiam D. Thomam mihi videtur. 2. 2. q. 83. art. 11. Ibi enim inquirens, *Utrum Sancti qui sunt in patria orent pro nobis*: non aliunde quàm a recitato textu auctoritatem assumit inquiens. „ Sed contra est, quod dicitur 2. Mach. cap. ult. *Hic est qui multum* „ *orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei*. „ Frustra enim hac auctoritate usus esset ad ostendendum, Sanctos novi Testamenti jam esse in patria, & orare pro nobis; nisi intellexisset, fundamenta orandi, & impetranda noscendi competere Jeremiæ, esse nimirum in patria, & Deo illuminante frui.

4. Hanc tamen præclarissimam, veram, & necessariam Magistri sui mentem invertere studet Eminentissimus Cajetanus. Qui rectè prospiciens, definitione ista obviam iri iis, quæ idem S. Thomas alibi docuerat de statu Sanctorum in Limbo, eos scilicet in doloribus constituens ob privationem visionis Dei usque ad Christi descensum in inferos: ista inquam tam certa auctoritate Scripturarum; totus est in destruendo quæstionis titulo, omnem movens lapidem, ut Jeremiam extra patriam tunc fuisse ostendat, & tamen orationis suæ veritatem confirmet, de impetratione nihil perpendens. Ait igitur: „ In „ articulo XI. dubium occurrit simpliciter & ad hominem, quo pa- „ cto Jeremias, qui tempore Machabæorum non erat in patria, sed „ in Limbo Patrum, orabat pro Jerusalem. Et quare de oratione „ Sanctorum in patria auctor tractans, miscuit orationes Patrum in „ Limbo, nec definivit quid de eis, cùm non sit eadem ratio de „ ipsis, & beatis. „ Ad hæc respondere possem, nullum textum invenisse S. Thomam in Scripturis novi Testamenti, qui hoc dogma rectius stabiliret. Alium certè Cajetanus ipse non affert, nec paratum invenit in S. Thomæ scriptis, ex quibus additiones in ejusdem tertiam partem erutæ & compilatæ sunt (Supplementum appellant); quamvis quæstione 72. ejusdem Supplementi denuò proponatur, *Utrum Sancti in patria orationes nostras cognoscant; & Utrum orationes eorum pro nobis fusæ semper exaudiantur*; ubi idem Machabæorum textus latius examinatur. Quamobrem, quum hujusce dogmatis fundamentum petatur ex antiquo Testamento, & præcipuè ex istius Prophetæ oratione: nisi textus adductus probet, Jeremiam tunc exorasse Deum sicuti Sancti novi Testamenti orant, & in patria fuisse, non secus ac isti: nihil proficeret ad ostendendum, Sanctos novi Testamenti esse in patria, ac orare pro nobis: sed immo veluti de mente Divi Thomæ, horum etiam orationes incertas, efficeret, & dubiam in patria mansionem. Igitur disparitatem inter utrosque de suo excogitat Cajetanus, quam insuper sequentibus verbis minimè roborat.

5. Sequitur enim: „ Ad hæc dicitur, quod si fundamentum ac ra- „ dix, unde Sanctorum in patria oratio pro nobis prodit considere- „ tur diligenter, invenitur locum habere non solùm in ipsis compræ-

„ benforibus, sed & in Sanctis, qui erant in Limbo: quoniam ca-
„ ritas eorumdem in statu superiori simpliciter, ponitur ratio orandi
„ pro nobis. Propter hoc enim secundum excluduntur in responsione
„ ad tertium existentes in purgatorio ab orando pro nobis, quia non
„ sunt totaliter nobis superiores, sed ratione pœnarum inferiores, &
„ egentes nostris orationibus. Constat autem, quod Sancti olim in
„ Limbo patrum erant in caritate confirmati, & impeccabiles, &
„ nulli propriæ seu novæ pœnæ subjecti. Nam pœna damni commu-
„ nis est eis & viatoribus; extra omnem autem sensus pœnam erant;
„ eorum igitur erat orare pro nobis. Sed advertenda est differentia
„ inter eos & sanctos in patria, quia licèt utrisque commune sit ora-
„ re pro viatoribus, proprium tamen sanctorum in patria est videre
„ orationes viatorum sibi directas. Unde Jeremias tunc orare dicitur,
„ non orationes aut preces eorum audisse. Miscuit ergo auctor Lim-
„ bum Patrum cum Patria quo ad orationes pro nobis, quia eadem
„ est ratio, & argumentum a minori assumpsit. Nec oportuit aliter
„ in speciali de eis determinare, ex quo allata in littera ratio in eis
„ locum habet, & a purgatorio sunt divisi. „

6. Sed pace tanti viri dicam. S. Thomam non orandi solùm, verum eitam impetrandi fundamenta posuisse. Primum quidem in caritate erga nos, secundum in conjunctione Dei; nempè addit, *Et quanto sunt Deo conjunctiores, tantò eorum orationes sunt magis efficaces*, Efficacia autem ab impetrando dignoscitur, quam S. Doctor ex historia noverat fuisse in Jeremia.

7. Caritas verò orandi pro nobis, quam veluti unicum fundamentum ipse contemplatur in animabus antiquorum Sanctorum, quomodo denegari possit animabus purgantibus, nondum assequor; dum illæ etiam in caritate confirmatæ & peccandi incapaces dubio procul sunt; &, post solutam temporalem pœnam, de futura gloria certissimæ; dilationemque visionis Dei in perfecta caritatis uniformitate tolerantes. Eas igitur ab orando pro nobis excludere non auderem; quia non minus soliciiæ de nostra salute in communi, & peculiarius carorum suorum, ibi evadere possunt, quàm erant erga proximum, & conjunctos, amicosque dum viverent: nec minùs gratæ erga eos, quorum orationibus & suffragiis citius eripi sperant a præsentibus tormentis. Scimus enim hanc de viventibus solicitudinem, animum pupugisse etiam divitis illius in flamma cruciantis (Lucæ 16.); dum Abraham exoravit, ut mitteret Lazarum ad quinque fratres suos, *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. Sicuti igitur ab orando, ita nec ab impetrando animas purgantes excluderem illorum favore, qui propriis pœnitentiis, eleemosynis, orationibus & sacrificiis pro earum oneribus divinæ justitiæ satisfacere satagunt. Quamvis enim earum oratio non possit esse ipsis meritoria, potest tamen esse impetrativa pro aliis; saltem juxta regulam S. Thomæ, qui in eadem quæstione ar. 16.

ar. 16. ad 2. definit; peccatorum orationes impetratorias esse; quia meritum, ut ipse ait, innititur justitiæ, sed impetratio innititur gratiæ.

8. At verò si animæ purgantes ex ratione pœnarum, quibus inferiores nobis dicuntur, ab orando pro nobis excluderentur: quomodo pro populo orare potuisset Jeremias, qui in semper maxima animabus separatis damni pœna fuisset, ut probatum est Cap. VII.? Cujus pœnæ acerbitas minimè extenuatur, quia in eodem ut contenditur supplicio, viatores sint. Dispar namque adeò ratio est, quantò intensius & perfectiùs anima separata Deum dilectum noscit atque desiderat, cujus aperta fruitio vera vita animæ est; in comparatione alterius quantumlibet justæ, quæ tamen a corruptibili corpore impeditur atque distrahitur. Quamvis ergo in privatione visionis Dei tum anima separata sit, tum homo viator: quia tamen hic phantasmatibus corporis pressus minus sentit hanc privationem, quæ naturali ordini vitæ suæ in mundo non obstat: ex capite pœnarum homo viator superior animabus separatis esset, non inferior. Hic enim primatus a minori passione animæ metiendus, dubio procul in viatoribus amplior est, quam in animabus separatis; quæ tota intentione indesinenter in Deum solum feruntur, ejus revelatam faciem unice videre cupientes.

9. Igitur fundamentum orandi a Cajetano positum, minimè sufficit ut differentiam instituat inter Sanctos antiqui Testamenti, & animas in Purgatorio existentes; quippe vidimus, orationem immo etiam impetrationem utrisque absque absurdo posse competere. At si a pœnis, quibus erant obnoxiæ, hæc orandi incapacitas esset desumenda: vidimus rursus, unam damni pœnam, tum Sanctis in Limbo, tum animabus in Purgatorio fuisse communem; quum pœna sensus ab externa causa procedens, adhuc integra Fide in purgantibus possit disputari. Tamdiu igitur differrent a Sanctis, qui sunt in patria, animæ Sanctorum Patrum, queis statio Limbi assignatur, quamdiu spiritus existentium in purgatorio; dum illarum capacitas orandi pro nobis, a pœnis, quas patiebantur, esset desumenda; quod neque D. Thomæ, neque ejus Scoliastæ placet. Ideò adhuc perseverat dubium ad hominem supra memoratum: Quo per Cajetanum non soluto, attentus lector intelliget, D. Thomam absque ulla ambage, in hoc articulo, Jeremiam orantem tempore Machabæorum æquè in Patria collocasse, quam reliquos sanctos post Christum passum.

10. Differentiam idcircò inter utrosque inventurus Cajetanus, eam rursus a visione orationum ad se directarum adstruit; quas videre quidem Sanctos novi Testamenti dicit, nequaquam verò illus fœderis, ut ajunt, antiqui. Id autem quomodo ostendere possit in conspectu præclarissimi textus a S. Thoma laudati: nondum intelligo. Nec ipse verbis suis tarditatem meam adjuvavit, nullo nimirum ad hoc adducto argumento. Verùm quamvis darem, Sanctos antiquos

minimè vidisse orationes viventium: nihil inde proficiet illustrissimus scriptor; quum satis sit quòd populi necessitates viderint, atque pro iisdem divertendis oraverint. Nihil enim influit ad probandam præsentem beatitatem Sanctorum hæc visio nostrarum precum ad se directarum, quæ deesse posset etiam Sanctis Apostolis. Nam si ponamus, nullum hominem ad aliquem Sanctum singillatim confugere: hic viventium orationes ad se directas non videt, nec videre potest, quum eidem nullæ dirigantur. Ab orando interea pro Ecclesia militante minime ipse cessabit. Nec quia viventium orationes ad se directas non videt, caritas illius erga nos frigescet, aut ejus beatitas retardabitur, sive in dubium ab homine poterit revocari. A pari igitur de Jeremia argumentantes: non ideò eum a patria rectè excludimus, quia orationes non videret viventium, si ad ejus intercessionem neminem confugisse velimus.

11. Ex sacratissima historia certo quidem scimus, Jeremiam Profetam pro populo multum orantem, videre meruisse præsentem populi necessitatem: unde admonemur iisdem oculis, quibus hanc vidit, etiam orationes populi fuisse visurum. Tacente tamen Scriptura orationem ad S. Prophetam eo tempore directam: preces eidem tunc factas non sustineo; dum autem factæ fuissent, quomodo eas videre potuisset, intelligo. Non aliter quidem quàm in Deo; quia non ab alio quàm a Deo sanctum gladium accepit, & verba ebibit quibus certam nunciaret victoriam. Quæ omnia, dum juxta præclaram litteræ sacræ vim explicamus: S. Jeremiæ animam in conspectu Domini constitutam fuisse evidens fit; quo narrante necessitatem populi intellexit; a quo misericordiam impetravit; & auxilium tam alacre tamque magnificum paratum prædixit in Fide digno somnio. Debemus insuper credere illum ea revera gloria atque decoris habitudine fulgentem, quas Judas conspexit, & Scriptura describit. Nullus enim sobrius asserere audebit, Scripturam vel falso vel perperam hæc commemorasse; nullusque prudens cum pœna damni tam honesta privilegia componet.

12. Quare quum constet, intentionem S. Thomæ litteræ viribus optimè congruere; litteralis autem textus sanctos antiquos etiam tempore Machabæorum in gloriosa patria constituat: satius fuisse videtur, doctrina illius articuli in Scripturis sanctis fundata, doctrinam repudiare contrariam, ubicumque occurrat in operibus D. Thomæ, quam ex illa, hanc tam firmam nullis rationibus velle corrigere.

13. Libenter itaque fateamur, Sanctos ex quo superna Jerusalem eorum animas suscepit, assiduè pro salute populi Dei orare; & supplicantium preces ad se directas revelante Deo audire; & nostras peculiares necessitates in eodem speculo videre, dum nobis ex Dei miseratione præsentem opem tam sæpè afferre dignantur. Revera D. Johannes Chrysostomus, conceptis verbis hoc patrocinium tribuit ani-

ma

mæ Sancti Regis David. „ Hic enim S. David, inquit, non solùm „ cum in corpore esset placuit Deo: SED ET POST MORTEM SUAM „ VIVIS INVENITUR PRÆSTITISSE GRANDE SOLATIUM. Contigit namque Ezechiæ regi, inimicas in tempore Judæorum gentes circumvallasse Hierosolimam. Et cùm esset Ezechias justus vir, rogavit „ Deum: & prostratus lacrymis deprecabatur, ultionem de adversariis „ postulans. Venit ad eum Isaias Propheta & dicit: Ne putaret ille, „ quia sua justitia exauditus est; & certè jam DEFECERAT DAVID, „ ET HABEBAT MULTOS ANNOS REQUIESCENS. Quid ergo dicit ei? „ Protegam hanc civitatem propter me, & PROPTER DAVID SERVUM MEUM. DAVID MORTUUS EST, ET MERITA EJUS VIGENT. O „ rem admirandam, o ineffabilis clementia Dei; HOMO MORTUUS „ VIVO PATROCINATUR. (Hom. 2. in Ps. 50.) Dicens enim Deus *propter me*, misericordiam suam demonstrat, qua ad populi sui calamitatem ante omnem precem movetur; addens *propter David*, ejusdem merita & orationes indicat, ob quas Deus clementiam suam super eumdem populum effundat in afflictione præsente.

14. Hinc assequi mihi videor reconditum sensum verborum Jeremiæ (15. 1.) Indignatus Dominus contra populum suum, pœnas ibi prædicit, quibus eum erat puniturus. Utque iram suam immutabilem futuram ostenderet, addit: *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Tum commemoratis calamitatibus populo imminentibus, subdit Deus. (v. 5.) *Quis enim miserebitur tui Jerusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Duplicem sensum hæc verba suscipiunt. Vel nimirum quasi dicerent, etiamsi steterit Moyses & Samuel coram me. Tunc scilicet orationem illorum Prophetarum demostrarent, & simul etiam non exauditionem, *quia anima mea non est ad populum istum*. Vel non orationem indicant ex iis, quæ sequntur, *quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Non enim deerat qui orare posset, etiam iis exceptis, fidelis nempe Abraham, & Deo acceptissimus David. Quare sensus comminationis hujus in aure Judæorum esse debebat, nullum ex Sanctis in tam manifesta ira Dei misereri nolentis, pro Jerusalem intercessurum.

15. Ex his quasi manu ducimur ad intelligendum, Sanctos, qui nonnisi Deo revelante, casus nostros cognoscere possunt, in eadem revelatione videre, utrum Divinæ majestati suæ placeat exorari, ut afflictiones nostras sua pietate divertat, an secus. Si secundum, quoniam uniformes necessariò esse debent Dei voluntati, nec orant, noscentes quia non vult exaudire. Si primum, orant impetraturi. Hinc fortasse non perperam opinaremur, Deum tunc tantum afflictiones nostras, & tristes casus, nostrasque ad eos preces Sanctis aperire, quum expedire invenit suam nobis impertiri misericordiam; secus, eosdem casus & orationes celare sanctos. Si enim has & illos ita manifestat, ut nullus ad rogandum accedat: justitiam quidem ipsi

suam

suam in nostra punitione laudabunt; non autem preces effundent ut divertantur, noscentes Deum redditorem justum, iram suam continere, aut misericordiæ suæ thesauros nolle reis hominibus impertiri. Etenim etiam in Sanctis fit quod de Angelis S. Augustinus docet, scilicet eos in Deo incommutabilem veritatem videre, & secundum eam suas dirigere voluntates. (1. p. 3. Tom. de Gen. ad litt. lib. 8. cap. 24. n. 45.) Aliter igitur intelligendus textus est, dum ad viatorum aures intonuit; aliter dum eum de comprehensoribus explicamus. Viatoribus quidem nullam intercessionem futuram, comminabatur; quandoquidem etiam stantibus Moyse & Samuele coram Deo, (a quo tanta impetraverant viventes in carne), non exaudientur. Dum autem quod in Cœlo fieret humana conjectura pensamus: illud *Si steterit* a non stando feliciùs interpretamur; nolente nimirum Deo ut tribulationem populi cognoscant Sancti; vel si cognoscunt nolente ut pro ea divertenda preces effundant. In quo quidem rem aliquatenus suspiciendam me dixisse minimè præsumo. Satis mihi est, si ex hoc etiam textu confirmentur orationes Sanctorum antiquorum pro nobis, quod probare propositum erat. Frustra enim Deus hæc Judæis fuisset comminatus; nisi eorum Fides comminationis vim adjuvasset, futurum scilicet, ut laudati Prophetæ, qui tamdiu obierant, in cassum starent coram Domino deprecaturi, quia eorum orationes nollet exaudire. Animadvertimus supra, David orantem utiliter stetisse coram Deo; quippe qui suis etiam precibus avertere meruit tribulationem, propter quam Sanctus Rex Ezechias deprecabatur: orare enim & stare in conspectu Dei juxta sacratissimas Scripturas idem esse vidimus, quum de separatis Sanctorum animabus sermo est.

16. At si opinamur, purgantes animas ex caritate, qua Deo ex nobis conjunctæ decesserunt, pro benefacientibus deprecari: non inconsultè sentimus. Non quidem preces devotorum suorum ad se directas, aut necessitates nostras, cognoscentes; quia nondum a narrante Unigenito, qui est in sinu Patris illuminantur: sed quia sperantes a nobis orationes, pœnitentias, ac sacrificia, quibus citiùs a suis tormentis eripiantur, gratæ facientibus esse desiderant. Quum autem Deus alicui opem fert, qui in earum protectione confidit: hanc misericordiam nesciunt, sicuti supplicum preces ignorant.

17. Prædicemus autem, efficaciores esse Sanctorum intercessiones, qui actu conjuncti Deo sunt; ut devotionis justum modum curemus; nec plus, aut tantundem præsidii a purgantibus animabus, quam a beatis spiritibus vulgus sperare patiamur. Has enim certò nescire orationes nostras, ab omnibus nosci opportunum esset: non ut cessarent suffragia, aut remissiùs pro iis oraretur, (nam nostris precibus a cruciatibus purgatorii ereptæ, semel in patriam admissæ, de liberatore bene merebuntur); sed ut in hac etiam re, spes Christianorum limites non excederet, & rectæ se conformaret rationi. Paucis ab hinc annis vir Clarissimus Ludovicus Antonius Muratorius, cujus memoria

per-

pergrata mihi semper erit dum vivam, librum edidit *De la regolata divozion de' Cristiani;* multa corrigens, quæ in plebis fidelium animum irrepserunt, eam propterea ad Deum recta dirigens, a quo omne bonum, & in quem solum spem nostram locare debemus. Utinam adeò rectis admonitionibus ista etiam accedere mereretur; ut tandem minus hiperbolice quidam Concionatores de Purgatorio loquerentur; nec in falsas, ut mihi videtur, spes auditores erigerent. Aliud siquidem est, Christifideles ad eleemosynas & suffragia & sacrificia pro purgantibus animabus inflammare, (quæ omnia certa Fide ipsis prosunt, & a nobis ex humanitate, & caritate & justitia debentur, quæque nonnisi grata Deo esse possunt, qui bonorum remunerator factorum est): aliud purgantium animarum precibus tantam, ut solent, efficaciam; & intercessionibus miracula; & eas deprecantibus præsentem assistentiam tribuere: quæ quum ab iis discedant, quorum supra meminimus, non rectam & solidam, sed exorbitantem ingerunt devotionem. Quamvis enim veluti magis rationi consentaneum mihi suadeam, eas pro nobis orare; Deum verò misericordem eisdem benefacientes, pro qualitate meritorum, donis diversis cumulare; unde purgantibus animabus non perperam impetrationem tribuo (quæ privilegia a S. Thoma ipsis denegantur, dum eas in incapacitate orandi pro nobis esse definit): modus tamen in vulgari spe, & in Concionatorum adhortationibus desiderandus mihi videtur.

18. Satis itaque promissis meis me fecisse confido, in præsidium beatitatis Sanctorum antiquorum ante Christum passum, ipsummet venerabilem Doctorem S. Thomam Aquinatem adsciscendo. Hinc evidentiùs lectores percipient, in quas angustias incidant Scolastici, qui veram animabus Sanctorum beatitatem ante Redemptoris descensum in inferos denegant; dum tam præclarum Machabæorum textum consequenter infirmant. Volente siquidem D. Thoma, quòd textus ad litteram explicetur, ad confirmandas Sanctorum novi Testamenti orationes pro nobis: in eadem Dei visione constituit justos etiam antiqui Testamenti, qui soli in eo textu commemorantur. Quod quum non placuerit Cajetano, quamvis necessario consequi vidisset: non valde inter se coherentia propinavit.

19. Doctor autem Sorbonicus divinæ hujus auctoritatis oblitus, nescio quo fundamento scripserit, antiquos Sanctos, quum ante Christum Deo nondum fruerentur, viventium preces ad se directas, ordinaria aliqua ratione non potuisse cognoscere. Hæc enim verba, præter ea quæ superiùs in hac re animadvertimus, apertam inter se pugnam præseferunt. Nam quum dixisset, Ecclesiam ante Christi mortem nondum Sanctos invocasse; patet, quòd preces a viventibus non dirigebantur ad Sanctos; atque ita, quamvis revera in conspectu Dei fuissent, has preces, quæ non fiebant, videre non poterant. Vel igitur non exorabantur, & tunc supervacaneum est dicere, eos non cognovisse preces ad se directas: vel exorabantur; & tunc falsum est, Eccle-

Ecclesiam eos non invocasse. Quæ quidem repugnantiæ, dum a diligentioribus deteguntur, satis aperiunt, quorumdam scriptorum meditationes non ad normam unicæ constantisque veritatis excudi. Sed quia jam ad auctoritatem Scripturarum sermo descendit: alia denique addere opportunum est, ut laudatorum textuum intelligentia, quam usque nunc prosecuti sumus, aliis item præclarissimis testimoniis roboretur. Sit igitur

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Proponuntur Textus Scripturæ Canonicæ, quibus Sanctorum veteris Testamenti beatitas ante Christi adventum evincitur.

1. POstquam multiplicibus argumentis demonstravi, sententiam eorum, qui in doloribus constituunt animas Sinus Abrahæ usque ad Christum descendentem; non secus ac illam, quæ in quiete & requie easdem apud inferos ponit licèt visione intuitiva Dei privatas: nec Scripturis congruere, nec rectæ rationi; & plurium insuper antiquorum Ecclesiæ Patrum, immò & ejusdem Divi Thomæ auctoritati adversari: nonnulla denique Scripturarum testimonia subjicere præstat, ex quibus hæc beatitas elucescat antiquis justis concessa. Complura equidem hactenùs retuli; nec enim aliter vincere poteram diversa opinantes, unde manu altera destruere, altera ædificare assiduè cogebar. Veruntamen, quamvis sperem, fore ut lectores reminisci velint, quæ dicta sunt: aliqua hoc peculiari loco adjiciam; ut si quis ulterioribus probationibus egeat, diligentiam meam non desideret: cui verò jam tractata satis sunt, mox addenda fastidium haud ingerant, quoniam nova erunt, & præ ceteris clara.

2. Superiora itaque colligendo, duo præcipuè usque nunc præstiti. Nimirum ostendi, sanctis antiqui instrumenti originale & actualia peccata ita a Deo fuisse dimissa, ut in nihilo a nostris differrent: secundò, quòd requies ipsis promissa, requies æterna intelligenda sit, Dei scilicet visio intuitiva.

3. Ad confirmandam priorem sententiam addamus, quod S. Augustinus suppeditat, ostendens, justificationis gratiam, quam antiqui a Deo consequebantur, paris fuisse virtutis ac illa, qua fideles mundantur in præsens; quippe quæ ab eadem viva Fide in mediatorem Christum Jesum a Deo omnipotente gratis donata, procedit.

„ L. Nemo itaque glorietur, inquit, ex eo quod videtur habere, „ tamquam non acceperit; aut ideò se putet accepisse, quia littera „ extrinsecùs, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur intonuit. „ *Nam si per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* (Gal. 2. „ 21.) Porrò autem si non gratis mortuus est, adscendit in altum, „ captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus: INDE HA- „ BET QUICUMQUE HABET. Quisquis autem inde se habere negat, aut

„ aut non habet, aut quod habet auferetur ab eo. *Unus enim Deus,*
„ *qui justificat circumcisionem ex Fide, & præputium per Fidem.* (Rom.
„ 3. 30.) Quod non ad aliquam differentiam dictum est, tamquam
„ aliud sit *ex Fide*, & aliud *per Fidem*, sed ad varietatem locutio-
„ nis. Alio quippe loco cum de gentibus diceret, hoc est de præpu-
„ tio: *Prævidens* inquit *Scriptura*, *quia ex Fide justificat gentes Deus.*
„ (Gal. 3. 8.) Itemque cùm de circumcisione loqueretur, unde erat
„ ipse: *Nos*, inquit, *natura Judæi, & non ex gentibus peccatores, scien-*
„ *tes quia non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per Fidem Jesu*
„ *Christi, & nos in Christum Jesum credimus*, (Gal. 2. 15.) Ecce &
„ præputium dixit justificari ex Fide, & circumcisionem per Fidem,
„ si tamen circumcisio justitiam Fidei teneat. Sic enim *gentes, quæ*
„ *non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem,*
„ *quæ ex Fide est*; (Rom. 9. 30.) impetrando eam ex Deo, non
„ ex semetipsis præsumendo. *Israel verò persequens Legem justitiæ, in*
„ *Legem justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex Fide, sed tamquam*
„ *ex operibus:* (ibidem) idest tamquam eam per semetipsos operan-
„ tes, non in se credentes operari Deum. *Deus est enim, qui opera-*
„ *tur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* (Philip. 2. 13.)
„ Ac per hoc *offenderunt in lapidem offensionis*. (Rom. 9. 32.) Nam
„ quid dixerit, *quia non ex Fide sed tamquam ex operibus:* apertissimè
„ exposuit dicens: *Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes*
„ *constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim Legis Christus ad*
„ *justitiam omni credenti*. (Rom. 10. 3.) Et adhuc dubitamus quæ
„ sint opera Legis, quibus homo non justificatur, si ea tamquam
„ sua crediderit sine adjutorio & dono Dei, quod est ex Fide Jesu
„ Christi? Et circumcisionem, ceteraque talia suspicamur, quia etiam
„ de iis Sacramentis aliis in locis talia quædam leguntur? Sed hic
„ utique non circumcisionem tamquam suam justitiam volebant con-
„ stituere, quia & ipsam Deus præcipiendo constituit. Nec de illis
„ operibus hoc intelligi potest, de quibus Dominus eis dicit: *Rejici-*
„ *tis mandatum Dei ut traditiones vestras statuatis: Quia persequens*, in-
„ quit *Legem justitiæ, in Legem justitiæ non pervenit Israel* (Rom. 9.
„ 31.) Non dixit persequens traditiones suas, idest consectans. Hæc
„ ergo sola distantia est, quia ipsum *Non concupisces*, & cetera man-
„ data ejus sancta & bona sibi tribuebant: quæ ut possit homo face-
„ re, Deus operatur in homine per Fidem Jesu Christi, qui finis
„ est ad justitiam omni credenti; idest cui per spiritum incorpora-
„ tus, factumque membrum ejus, potest quisque, illo incrementum
„ intrinsecùs dante, operari justitiam: de cujus operibus etiam ipse
„ dixit, quia *sine me nihil potestis facere*. (Joh. 15. 5.)

„ LI. Ideo quippe proponitur justitia Legis, quòd qui fecerit eam,
„ vivet in illa, ut cùm quisque infirmitatem suam cognoverit, non
„ per suas vires, neque per litteram ipsius Legis, quod fieri non po-
„ test; sed per Fidem concilians justificatorem, perveniat, & faciat,

„ & vivat in ea. Opus enim, quod qui fecerit, vivet in eo, non „ fit nisi a justificato. Justificatio autem ex Fide impetratur: de qua „ scriptum est: *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in Cœlum? hoc „ est Christum deducere: aut quis descendit in abyssum? hoc est Christum „ a mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te est verbum in ore tuo, & „ in corde tuo:* hoc est, inquit, *verbum Fidei, quod prædicamus:* quia si „ *confiteaRis in ore tuo quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo „ quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* (Rom. 10. 6.) „ IN TANTUM JUSTUS IN QUANTUM SALVUS. Per hanc enim Fidem „ credimus, quòd etiam nos Deus a mortuis excitet: interim spiritu, „ ut in novitate ejus gratiæ temperanter & justè & piè vivamus in „ hoc sæculo; post etiam carne nostra ad immortalitatem resurrectu- „ ra, quod est meritum spiritus, qui eam in resurrectione sibi con- „ grua, hoc est, in justificatione præcedit. *Consepulti enim sumus Christo „ per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit a mor- „ tuis per gloriam Patris, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* (Rom. „ 6. 4.) Fide igitur Jesu Christi impetramus salutem, & quantum „ nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe. „ *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* (Rom. 10. „ 13.) *Quam multa multitudo*, ait Psalmista, *dulcedinis tuæ, Domine, „ quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem sperantibus in te?* (Ps. „ 30. 20.) Ex Lege timemus Deum, ex Fide speramus in Deum: „ sed timentibus pœnam absconditur gratia. Sub quo timore anima „ laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor „ ille quasi custos severus abscesserit; per Fidem confugiat ad miseri- „ cordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate „ per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quàm „ delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc „ est Lex Fidei, caritas ejus conscripta in cordibus atque diffusa, „ perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, „ sed amore justitiæ operetur bonum. (D. Aug. 10. Tom. De spi- ritu, & littera cap. 29.)

4. Hac igitur sanctificante Fide ornatus Josias Rex Juda, atque hac animæ resurrectione, per justificantem gratiam operata, resurre- ctionem corporis præveniente, elogium promeruit, quod (4. Reg. 23. 25.) legimus: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa vir- tute sua juxta omnem Legem Moysi, nec post eum surrexit similis illi.* Hinc ab Holda Prophetide sequentia audivit: *Hæc dicit Dominus Deus Israel. Pro eo quod audivisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum & habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me, & ego audivi, ait Dominus: idcircò colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pa- ce, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super*

locum

locum istum. (ibid. 22. 18.) Sed numquid placida morte absumptus est Josias? Nequaquam. Immo, quamvis multa fideliter gesserit juxta Legem Domini, quæ citatis locis commendantur, & Domino adeò placuerit, ut mox relata demonstrant: attamen hæc de morte ejus habemus (4. Reg. 23. 29.) *In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti contra regem Assyriorum ad flumen Euphratem: & abiit Josias rex in occursum ejus: & occisus est in Mageddo cum vidisset eum. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Jerusalem, & sepelierunt eum in sepulcro suo*. Ergo non ad quietam mortem pertinet, quod dictum est *& colligeris ad sepulcrum tuum in pace*, quum inter belli strepitus reportato vulnere occubuerit: sed ad pacem & quietem animæ indicandam inservit, post qualemcumque corporis mortem; quæ insuper quies & pax in illa promissione continetur: *colligam te ad patres tuos*.

5. De hac phrasi, quæ sæpius in Scripturis occurrit, quum de mortem justorum sermo est, atque in obitu etiam David legitur: hæc animadvertit sanctus Ambrosius. „ Ex quo cognoscitur, inquit, „ nec illud otiosè scriptum esse, sed perpensè atque examinatè, quod „ legimus in regnorum libris *Et appositus est ad patres suos*. Intelligi enim da- „ tur, quòd patrum similis fuerit Fide. Unde claret non ad sepulturam „ corporis, sed ad consortium vitæ relatum. „ (De Cain & Abel. l. 1. c. 2.) Dum itaque exornare pergo hujus phrasis vim in aliis, quæ pariter frequentes & huic affines sunt, *appositus ad populum, & ad populos suos:* altera etiam pars confirmabitur supra proposita, nimirum requiem antiquis promissam, ab iisdemque expectatam, dessignare intuitivam Dei visionem statim a morte corporis.

6. Scriptura sancta mortem Abrahæ annuncians (Gen. 25. 7.) inquit: *Fuerunt itaque dies Abrahæ centum septuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis & plenus dierum, & appositus est ad populum suum*. Glossa interlinearis, quid per hæc postrema verba intelligendum sit indicens, addit, AD ANGELOS, QUORUM CONCIVIS ERAT. Nicolaus autem de Lyra in hunc locum subdit, „ quia anima ejus recepta est ad lymbum sanctorum patrum. „ Rursus mortem Isaac Scriptura commemorans, (Gen. 35. 28.) ait. *Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. Consumptusque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex, & plenus dierum*. Glossa addit. ANGELORUM, *vel sanctarum animarum*. Nicolaus, ad lymbum Sanctorum patrum. Mors itidem Jacob sequentibus exprimitur (Gen. 49. 32.) *collegit pedes suos super lectulum, & obiit, appositusque est ad populum suum;* Glossa addente FREQUENTIAM ANGELORUM; Nicolao verò subdente, ad justos extantes in lymbo. Rursus laudato Geneseos capite (25. 17.) de morte Ismaelis filii Abrahæ legimus: *deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum*, ubi Nicolaus subdit: „ *Deficiensque mortuus est*, ex quo videtur esse mortuum mor-

 „ te

„ te naturali. In Hebræo autem non dicitur *mortuus est*, sed *transiit*, quod non dicitur in scriptura de aliquo moriente nisi justo, „ ut dicunt Hebræi; & ideò dicunt, quòd decessit IN GRATIA, & „ etiam ex hoc quod subditur, *Et appositus est ad populum suum*. „ Ad textum verò Numerorum (20. 24.), ubi locutus est Dominus ad Moysen: *Pergat Aaron ad populos suos*, & iterum *Aaron colligetur, & morietur ibi*, hæc perpendit Nicolaus. „ Pergat Aaron ad populos „ suos, idest ad Lymbum Patrum. „ Et post pauca, refert quæ Rabbi Salomon de morte & sepultura Aaron scripsit. „ Cùm ascen- „ dissent in Montem (Moyses scilicet & Aaron, & Eleazarus filius „ ejus) viderunt ibi speluncam a Deo paratam; & in ea lectum „ stratum, & ante lectum lampadem ardentem; & revelatum fuit „ Moysi, quod erat locus sepulturæ Aaron: & tunc ad dictum Moysis „ ipse Aaron posuit se in lecto illo: & extendit manus & pedes: & „ clausit os & oculos: & sic Deus accepit ejus spiritum in pace: „ propter quod Moyses hoc videns desideravit talem modum mortis: „ & fuit sibi concessus a Domino secundùm quod dicitur Deutero- „ nomii cap. 32. *Jungeris populis tuis sicut mortuus est Aaron frater* „ *tuus*. „ In hoc Deuteronomii loco Glossa interlinearis ad verba *populis suis explicat*, *præcedentibus sanctis*; & Nicolaus, commemoratis Lymbis etiam hic, addit: „ sicut mortuus est Aaron frater tuus, „ idest ita suaviter & quietè; de cujus morte, ait, dictum fuit Nu- „ merorum cap. 20. „ quibus approbare videtur quæ Rabbi Salomon narravit de morte Aaron.

7. Aliis prætermissis locis, in quibus justorum mors per verba *appositus est populis suis*, sive *congregatus est ad populum suum*, exprimitur; Glossa interlineari addente, hinc significari *Angelorum & præcedentium Sanctorum frequentiam*: aliis inquam prætermissis, animadvertamus, quid evidenter significetur ab illis, quos nunc memoravimus. Quid autem aliud judicari censebimus, nisi participationem, & visionem, & fruitionem Dei, in quem Sancti isti credebant, & sperabant viventes, quemve toto corde & tota anima diligebant? Quis enim ignorat, Deo intimè conjunctas vivere justorum animas antequam a corpore separentur; ejusque præsentia & pietate, quantum licet in hac mortali vita, frui? Propterea, dum Sancti a carnis vinculis liberantur, & phantasmata cessant, atque pericula, quibus ex depravatæ naturæ lege homo subjicitur: rectè exitus illorum transitus appellatur, sicut de Ismaele legimus; transeunte scilicet anima de Fide & spe ad rem viva caritate concupitam, quæ justitiam coronat ac nutrit in sæcula. Dum enim anima Abrahæ *congregata ad Angelos* dicitur; *quorum concivis erat*; dumque *Jacob ad Angelorum frequentiam appositus*: profectò in eam civitatem ambo exaltati debent intelligi, in qua Angeli beate vivunt, in Deo, & de Deo gaudentes. Ibi namque Angelorum frequentia probè percipitur, ubi eorumdem stabilis habitatio; tuncque homi-

homines verè Angelorum concives fiunt, dum eamdem incolunt civitatem, a qua interim peregrinabantur in terris. Civitas enim Dei a S. Augustino intelligitur superna Jerusalem mater nostra; in qua sunt Angeli boni ab eorumdem creatione, quamque Deus filiis quoque hominum repromisit juxta sua præcepta viventibus.

8. Nec multum valet Nicolai de Lyra assidua adnotatio in prædicta loca, Lymbos indesinenter commemorantis, atque ad hanc intelligentiam glossas interlineares trahentis aperta violentia. Neque enim in Lymbis frequentiam Angelorum ipse sapienter inveniet; nec tantus est (pace sua dicam) qui de suo, antiquissimæ huic Glossarum, sibique notæ auctoritati, præscribat. Istis reverà præscribere tentat, dum eas veluti corripit in commemoratione Angelorum. In locum enim Geneseos cap. 49., ubi de mortuo Jacob legitur *appositus est ad populum suum*, hæc fidenter scribit Nicolaus. „ Appositus est, inquit, „ ad populum suum, idest ad limbum Sanctorum patrum, sicut su„ pra dictum est de Abraham & Isaac. Tamen magister historiæ „ scholasticæ exponit *ad populum suum*, idest ad *Angelos*: allegans pro „ ratione, quia Abraham & Isaac tam pauci erant, qui non possent „ dici populus. Sed hoc non videtur BENE' DICTUM, quia Angeli san„ cti sunt in beatitudine, & ideò nullus potest dici appositus ad eos, „ nisi quando transfertur ad gloriam, quod non fuit de Jacob, nec „ aliquo alio homine ante aperitionem januæ cœlestis per passionem „ Christi. Motivum etiam suum non valet, quia in lymbo ante „ mortem Jacob non solùm recepti erant Abraham & Isaac: sed „ omnes justi, qui mortui fuerant ab Adam, quem pœnituit, ut ha„ betur Sapientiæ cap. 10., usque ad Jacob: qui fuerunt multi, sci„ licet Abel Seth & multi alii de filiis ejus, qui fuerunt religiosi & „ justi: & Noe & Melchisedech, & multi de posteris eorum, & „ mulieres sanctæ: ita quod benè poterant dici populus, maximè „ quum secundùm Leges decem homines faciant populum; propter „ quod non valet dictum suum; & ideò exponendum est, ut prædi„ ctum est: *Ad populum suum*, idest ad JUSTOS EXISTENTES IN LYMBIS.

9. Verùm Nicolaus fortasse non cognovit, istis se verbis non interpretationi tantùm magistri historiæ scholasticæ, Petri scilicet Comestoris obviare, sed Doctoris Maximi, Divi Augustini, qui inquit. „ Videndum quomodo dicant Scripturæ, quod assiduè dicunt de mor„ tuis, *Et appositus est ad patres suos*; vel *appositus est ad populum* „ *suum*. Ecce enim de Jacob dicitur jam quidem mortuo, sed non„ dum sepulto: & ad quem populum apponatur, non in promptu „ est videre. Ex illo enim populus prior nascitur, qui dictus est po„ pulus Israel; qui vero eum præcesserunt tam pauci justi nominan„ tur, ut eos populum appellare cunctemur. Nam si dictum esset, „ *Appositus est ad patres suos*, nulla quæstio fieret. An fortè populus „ est, non solùm HOMINUM SANCTORUM, verùm & ANGELORUM, „ populus Civitatis illius, unde dicitur ad Hebræos, *Sed accessistis ad*

„ *mon-*

„ *montem Sion*, *& ad civitatem Dei Jerusalem*, *& ad millia Angelorum* „ *exultantium?* (12. 22.) HUIC POPULO APPONUNTUR, QUI HANC „ VITAM PLACENTES DEO FINIUNT. Tunc enim dicuntur apponi, „ quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum & periculum „ peccatorum. Quod intuens ait Scriptura, *Ante mortem ne laudes ho-* „ *minem quemquam*. „ (1. p. 3. Tom. Quæst. in Genes. l. 1. q. 168.) Par itaque S. Augustino causa fuit hæc verba consideranti, ac illi fuerat, cujus similes sensus Nicolaus improbare conatur, multa constantia respuens adnotationem Glossæ, quæ ad Angelos congregatum Abraham dixerat, nec non Jacob ad Angelorum frequentiam appositum. Quibus expositionibus, quum tanti Patris accedat auctoritas, eodem modo ac Comestor illa Scripturæ loca explicantis: nullus prudens ab hac intelligentia abstrahetur ob contrariam Nicolai opinionem, quæ ex hactenùs dictis satis infirma apparet.

10. Miratus porrò sum, quomodo insignis Scripturæ interpres, in relatum S. Augustini sensum, tam amicè Glossis concordem ductus non sit, etiam ex eo, quod de morituris Aaron & Moyse in Numeris atque Deuteronomio legitur. Sicuti enim de Abraham, Isaac & Jacob Scriptura dixerat, eos congregatos & appositos *ad populum suum* singulari numero: ita de istis plurali numero pronunciat: *Pergat Aaron ad* POPULOS suos; Moysi verò dictum a Deo refert: *Jungeris* POPULIS TUIS *sicut mortuus est Aaron frater tuus*. Hanc differentiam non animadvertisse S. Augustinum, vel mirum est, quia utrobique legebat *ad populum suum*; ut constat 1. p. 3. Tom. ex Quæstione 53. in Numeros. Ibi tamen confirmat his etiam Scripturæ verbis pacem sanctæ societatis æternæ statim a morte conlatam tum Aaroni tum Moysi, ajens: „ Quum verò ambobus fratribus, inquit, idest Aaron „ & Moysi dicitur, *& apponantur ad populum suum*, manifestum est, „ non esse in illos iram Dei, quæ SEPARAT A PACE SANCTÆ SOCIE- „ TATIS ÆTERNÆ. „ Dicens autem justos istos haud separatos ab hac sancta æternaque societate: consequens est, quòd in eamdem beatam societatem, qua Angeli fruebantur, eos receptos haberet. Nam ira Dei in illos fuisset, si Deus ipsis suam faciem absconderet, juxta quod David dicebat, *Ne avertas faciem tuam a me*. (Ps. 26. 9.) Dum enim Deus faciem suam ab anima avertit, hinc avertit, quia quasi eam videre nolit, seu potius vultu suo indignam demonstrat; quod utique cum separatarum animarum magna accidit pœna atque miseria.

11. Propterea illa verba *appositus ad populum*, quæ in tam parvo numero præcedentium Sanctorum, quos Scriptura commemorat, talem difficultatem Augustino pariebant, ut insinuaret multitudinem etiam Angelorum sub eodem censeri vocabulo, ne populi appellatio minus recta videretur: illa inquam verba, multò majorem hæsitationem creassent Sancto Patri, aliam lectionem perpendenti. *Pergat ad* POPULOS SUOS; *Jungeris* POPULIS TUIS. Quamvis enim daremus Nicolao, populum ex de-

decem hominibus constitui, quod Sanctum Augustinum ignorasse videtur: num major etiam numerus non *populum*, sed *populos* efficiet? Hæc itaque non inutilis neque otiosa Scripturæ Sanctæ vox, populos quasi duos verè commendat, alterum Angelorum, alterum hominum sanctorum, sed in una Dei civitate in æterna societate lætantium; unde qui per *populum* Angelos simul & homines sanctos designatos nondum intellexerat, utrosque capiat in verbis comprehensos *populis suis*, & *ad populos suos*. Qua quidem sancta Angelorum societate, quorum concives erant justi antiqui, eorumdem animabus concessa, ex recta & necessaria Scripturæ verborum intelligentia: perperam toties dixit Nicolaus, per eadem verba Lymbum designari sanctorum Patrum, nisi priùs Angelos dicat Lymbi habitatores. At istud illi adeò absonum visum est, sicut perpendimus supra, ut appositionem ad Angelos, per quam explicabatur vis dictionis *ad populum*, apertè reprehendat. Nihilo tamen minus, isthæc Lyrani improbatio, nec abradit a Glossis interlinearibus hanc interpretationem, legentibus obviam; nec Glossarum fidem auctoritatemque extenuat; paria docente etiam acutissimo Augustino; cui magis quàm ipsi, quisque prudens sapienter deferre putabit. Et sicuti nullus inficiabitur, beatitatem Angelorum stetisse atque stare in visione & participatione & fruitione Dei sui, etiam antequam Christus, ipsorum pariter Salvator, conspiciendus veniret in carne: ita in eadem beatitudine collocare necesse est separatas Sanctorum animas, quæ post obitum corporis ad illorum congregabantur consortium, sanctamque & æternam societatem. Hoc vidit Nicolaus ipse a verbis Glossæ necessariò emanare; sed alia opinione occupatus, simul putavit, licere sibi hanc respuere veritatem, quamvis lectio POPULOS habens, ipsi nota esset, eamque non sine mysterio positam & repetitam intelligere deberet; ideoque diligentiorem considerationem mereri non plenam dissimulationem.

12. Istam profectò fuisse antiquorum spem, hanc Fidem, multis ostendimus supra. *State super vias, & videte*, clamabat Jeremias (6. 16.) *& interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea; & invenietis* REFRIGERIUM *animabus vestris*. Et David in Psalmo (67.) *Parasti in* DULCEDINE TUA *pauperi Deus. Et justi epulentur & exultent in* CONSPECTU DEI, *& delectentur in* LÆTITIA. *In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est*. Tum in Psalmo (118.) *Suscipe me secundùm eloquium tuum & vivam, & ne confundas me ab expectatione mea*. Rursus in Psalmo (117.) *Vox* EXULTATIONIS ET SALUTIS *in tabernaculis justorum*. Sara autem Raguelis filia eadem Spe & Fide repleta ajebar: *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus si in probatione fuerit,* CORONABITUR: *si autem in tribulatione fuerit liberabitur: & si in corruptione fuerit ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum,* EXULTATIONEM *infundis*, (Tob. 3. 21.) Sed

super

super cetera oratio Tobiæ senioris, quæ in eodem capite habetur, maximum hujus sanctorum spei exhibet testimonium. *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis. Dicens: Justus es, Domine, & omnia judicia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ, misericordia, & veritas, & judicium. Et nunc, Domine, memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captivitatem & mortem, & in fabulam & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundùm præcepta tua, & non ambulavimus sinceriter coram te. Et nunc, Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, &* PRÆCIPE IN PACE RECIPI SPIRITUM MEUM: EXPEDIT ENIM MIHI MORI MAGIS QUAM VIVERE. Et rursus cap. 4. *Igitur cùm Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cumque* ACCEPERIT DEUS ANIMAM MEAM, *corpus meum sepeli. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te* AVERTATUR FACIES DOMINI. *Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas* IN DIE NECESSITATIS. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam* IRE IN TENEBRAS: *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam . . . . . Omni tempore benedic Deum; & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant . . . . . Noli timere fili, pauperem quidem vitam gerimus, sed* MULTA BONA HABEBIMUS, *si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene*. Et denique (cap. 13. 9.) *Ego autem*, inquit, *& anima mea in eo* LÆTABIMUR.

13. A singulorum consideratione abstineo, quæ ab hisce textibus in rem præsentem derivant, sperans fore ut lector dictorum memor, a se ipso cognoscat quid sperarent fideles servi Dei statim post mortem, in tam evidenti suarum orationum scopo, atque in tam præclaro desiderio hinc abeundi. Animadvertere tamen opportunum arbitror, infirmitatem opinionis illorum, qui in caliginoso aliquo loco sanctos antiquos concludunt usque ad descensum Christi in inferos, a verbis exhibitam, quibus Tobias eleemosynarum beneficium exornans, dixit: *ita enim fiet, ut nec a te* AVERTATUR FACIES DOMINI; & rursus *& non patietur animam* IRE IN TENEBRAS. Quomodo enim in caliginosa sede absque visione Dei ponere quispiam audebit Tobiam, qui adeò ab eleemosynis commendatur in Scripturis; & perseverantiam in ipsis, veluti hæreditarium præsidium, filio reliquit, sub

tanta

tanta ſpe futuræ mercedis? *Præmium enim bonum*, inquit, *tibi theſaurizas in die neceſſitatis;* & iterum *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna*. Quibus verbis Tobias non ſolum peculiare animarum judicium ſtatim a ſeparatione corporis evidentiſſimè prædicat; ſed inſuper oſtendit, in hac ſevera diſquiſitione judicii eleemoſynarum largitores veniam faciliùs conſecuturos illorum peccatorum quæ ad Purgatorium animas deducunt; ne faciem Domini a ſe averſam magno cum mœrore patiantur.

14. Quænam verò & pro ſe expeteret Tobias, & filio appettenda proponeret dicens, *cùm Deus acceperit animam meam;* & rurſus *Noli timere, fili, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum, & fecerimus benè*: ab Iſaia colligimus, qui juſtorum finem annuntians, ait: *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanctitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam juſtitia tua, &* GLORIA DOMINI COLLIGET TE. *Tunc delectaberis ſuper Domino*, ET SUSTOLLAM TE SUPER ALTITUDINES TERRAE, *& cibabo te hæreditate Jacob patris tui, os enim Domini locutum eſt*. (58. 8. & 14.) Os illud nimirum omnipotentis & fidelis Domini talia loquebatur, qui animas hominum ſuſcipiens gratia ſanctificationis hactenùs largita fulgentes, coronare poterat in ipſis, quod cum ipſis clementiſſimè geſſerat.

15. Domini autem voluntatem ab illis temporibus fuiſſe, ut gloria ſua ſanctos ſuos colligeret, ut ſuper Domino delectarentur, & ſuper altitudines terræ ſuſtollerentur, atque hæreditate Jacob cibarentur: David præciſe demonſtrat in Pſalmo 121. hæc canens. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi*, IN DOMUM DOMINI IBIMUS. *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem. Jeruſalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum. Illuc enim* ASCENDERUNT TRIBUS TRIBUS DOMINI, *teſtimonium Iſrael* AD CONFITENDUM NOMINI DOMINI. *Quia illic* SEDERUNT *ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David. Aſcenderunt* dixit, nec putandum eſt, Sanctum Regem iſtud præteritum tempus veluti de futuris pronunciaſſe; qui mos de cetero frequens eſt in Propheticis libris. Tum quia antecedentia in eodem pſalmo, hanc non patiuntur interpretationem; tum quia Divus Auguſtinus inter antiquos Eccleſiæ Patres, & Cardinalis Bellarminus inter recentiores Scripturæ interpretes, præterita hic innuiſſe David intelligunt & explicant. Hac fortaſſe ratione adducti; quia, ſicuti vivente David nondum templum fuerat ædificatum, quæ prima viſibilis & ſtabilis fuit domus Dei in terra: ita intelligi non poteſt juxta litteralem ſenſum ad materiale illud templum aſcendiſſe juſtos ex tribubus Iſrael jam prædefunctos. Quare juxta myſticam ſignificationem, de cœleſti Patria intelligenda ſunt quæ de terrena Jeruſalem vera eſſe non poterant, reſpectu ad jam defunctos fideles: illi quippe non ad montem Sion aſcenderant materialem, ſed ad myſticum montem, in quo Deus habitat juxta frequentiſſima Scripturæ documenta.

16. At si quispiam contra hæc sapere auderet: ut a multa disputatione abstineam, unum sed præclarissimum, & omni exceptione majorem testem advoco, Paulum Apostolum. Hic namque ad Hebræos scribens, non Prophetam gerebat sed Historicum; ut nimirum eos a patrum suorum, qui jam præcesserant fide, de præsenti perfidia convinceret. Et quia illorum infidelitas inde damnabilior erat, quia a Christi Domini morte turpissima, quam suæ gentis homines procuraverant, Messiam eum non esse nitebantur ostendere: ab eadem morte argumentationem suam desumit, ut juxta prophetarum oracula redemptionem advenisse demonstret: unamque ab initio mundi salutem hominibus paratam probet. Ait igitur. *Eum autem; qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Postea subdit quod diligentissimè perpendendum est: *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia*, QUI MULTOS FILIOS IN GLORIAM ADDUXERAT, AUCTOREM SALUTIS EORUM PER PASSIONEM CONSUMMARE. (ad Hebr. 2. 9.) In cassum quispiam, ni fallor, horum verborum vim trahere conaretur ad nunc vigentes de statu animarum sanctarum antiqui Testamenti scholarum opiniones. Palam enim, & præclarè dicit Apostolus, antiquos justos, filiorum Dei nomine fuisse insignitos, & ab auctore suo per meritum futuræ passionis salvatos. Ne autem de vi salutis eorum ambigeretur: hanc vocabulo *gloriæ* Paulus dessignat. Neve de tempore quæstio instrueretur, plusquam perfecto tempore utitur, ajens, *qui multos filios in gloriam adduxerat*. Et ne ad corporalem Domini passionem effectus salutis hujus circumscriberetur, eos jam salvos factos, jamque in cœlesti gloria cooptatos dicit, antequam hæc passio consummaretur. Ait quippe; *decebat auctorem salutis eorum*; qui nimirum jam auctor salutis eorum extiterat, quique *multos filios in gloriam adduxerat, per passionem conconsummare*; ut inde eorumdem salutis fundamentum pateret, in quod firma fide crediderant, consummata nempe Domini Jesu Christi passio.

17. Hinc non solum purissimum lumen acquirunt verba Prophetæ præterita insinuantis, dum dixit: *Illuc enim* ASCENDERUNT TRIBUS TRIBUS DOMINI AD CONFITENDUM NOMINI DOMINI; sed insuper genuinam alterius textus virtutem assequimur, quo in Apocalypsi (13. 8.) dixit Johannes Apostolus; *Et adoraverunt eam* (bestiam) *omnes qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni*, QUI OCCISUS EST AB ORIGINE MUNDI. Quomodo enim ab origine mundi occisus Agnus putabitur, si ad corporalem ejusdem passionem adtendimus, qui quadraginta saltem a mundi constitutione sæculis corporaliter mactatus est? At quoniam ex eo tempore, quo dixit Patri *Ecce ego mitte me* (Isai. 6. 8.), jam valere cœpit crucis mysterium ad hominum salutem non aliter obtinendam, sicuti evidentissimè valere cœpit, ad gratiam sanctificationis & finalis perseveran-

verantiæ promerendam tum Angelis sanctis tum hominibus prædestinatis: verum est, Agnum occisum fuisse ab origine mundi. Acceptante scilicet Deo, qui omnia præsentia videt, futura passionis Filii sui atque efficacissima merita; ut gloria fruitionis suæ tum Angelos donaret, tum processu temporis homines justos, hoc suspicientes salvationis & naufragii lignum; per quod Christus Jesus nomen hæreditavit, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur Cœlestium terrestrium & infernorum. *Nam per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.* (Sap. 9. 19.)

18. Qui ista sic capiunt, veram & plenam consecuntur intelligentiam vocabulorum sæpissimè in Scripturis occurrentium, quibus refrigerium, pax, lætitia, exultatio, saturitas & denique gloria & claritas æterna toties promittuntur justis sanctisque hominibus. Quæ quamvis obvia videri possint; multa tamen in Ecclesiastico conglobatim annunciata hic transcribere præstat; tum ut labor perquirendi minuatur, tum ut oblata legendi commoditas, fructum qui a lectione parari potest, non retardet. *Laudemus*, inquit *viros* GLORIOSOS, *& parentes nostros in generatione sua. Magnam gloriam fecit Dominus, magnificentia sua a sæculo. Dominantes in potestatibus suis*, HOMINES MAGNI VIRTUTE *& prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem prophetarum . . . . . . Omnes isti in generationibus gentis suæ* GLORIAM ADEPTI SUNT, *& in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Et sunt, quorum non est memoria, perierunt quasi qui non fuerint: & nati sunt quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis. Sed illi* VIRI MISERICORDIÆ SUNT, *quorum* PIETATES NON DEFUERUNT. *Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, & in Testamentis stetit semen eorum: Et filii eorum propter illos usque* IN AETERNUM *manent; semen eorum & gloria eorum non derelinquetur.* CORPORA IPSORUM IN PACE SEPULTA SUNT, ET NOMEN EORUM VIVIT IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM. *Sapientiam ipsorum narrent populi, &* LAUDEM *eorum nuntiet* ECCLESIA. HENOCH PLACUIT DEO, ET TRANSLATUS EST IN PARADISUM, *ut det gentibus pœnitentiam. Noe inventus est* PERFECTUS JUSTUS, *& in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ideò dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluvium. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro. Abraham magnus pater multitudinis gentium*, ET NON EST INVENTUS SIMILIS ILLI IN GLORIA, QUI CONSERVAVIT LEGEM EXCELSI, *& fuit in Testamento cum illo. In carne ejus stare fecit Testamentum, & in tentatione inventus est fidelis.* IDEO JUREJURANDO DEDIT ILLI GLORIAM *in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum. Et ut stellas exaltare semen ejus*, ET HAEREDITARE ILLOS A MARI USQUE AD MARE, *& a flumine usque ad terminos terræ. Et in Isaac eodem modo fecit* PROPTER ABRAHAM PATREM EJUS. BENEDICTIONEM OMNIUM GENTIUM DEDIT ILLI DOMINUS, *& Testa-*

mentum confirmavit super caput Jacob. AGNOVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS SUIS, *& dedit illi hæreditatem*, *& divisit illi partem in tribubus duodecim*. *Et conservavit illi homines misericordiæ*, *invenientes gratiam in oculis omnis carnis*. Cap. XLV. DILECTUS DEO ET HOMINIBUS MOYSES, CUJUS MEMORIA IN BENEDICTIONE EST. SIMILEM ILLUM FECIT IN GLORIA SANCTORUM, ET MAGNIFICAVIT EUM IN TIMORE INIMICORUM, ET IN VERBIS SUIS MONSTRA PLACAVIT. GLORIFICAVIT ILLUM IN CONSPECTU REGUM, ET JUSSIT ILLI CORAM POPULO SUO, ET OSTENDIT ILLI GLORIAM SUAM. IN FIDE ET LENITATE IPSIUS SANCTUM FECIT ILLUM, ET ELEGIT EUM EX OMNI CARNE. AUDIVIT ENIM EUM ET VOCEM IPSIUS, ET INDUXIT ILLUM IN NUBEM. ET DEDIT ILLI CORAM PRÆCEPTA ET LEGEM VITÆ ET DISCIPLINÆ, *docere Jacob Testamentum suum*, *& judicia sua Israel*. EXCELSUM FECIT AARON FRATREM EJUS, *& similem sibi de tribu Levi*. STATUIT EI TESTAMENTUM ÆTERNUM, ET DEDIT ILLI SACERDOTIUM GENTIS: ET BEATIFICAVIT ILLUM IN GLORIA. *Et circumcinxit eum zona gloriæ*, *& induit eum stola gloriæ*, ET CORONAVIT EUM IN VASIS VIRTUTIS. . . . . CORONA AUREA SUPER MITRAM EJUS EXPRESSA SIGNO SANCTITATIS ET GLORIA HONORIS: OPUS VIRTUTIS, *& desideria oculorum ornata*. *Sic pulcra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem*. *Non est indutus illa alienigena aliquis*, *sed tantùm filii ipsius soli*, *& nepotes ejus per omne tempus*. *Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidiè*. *Complevit Moyses manus ejus*, *& unxit illum oleo sancto*. *Factum est* ILLI IN TESTAMENTUM ÆTERNUM, *& semini ejus sicut dies Cœli*, FUNGI SACERDOCIO ET HABERE LAUDEM, ET GLORIFICARE POPULUM SUUM IN NOMINE EJUS. *Ipsum elegit ab omni vivente*, *offerre sacrificium Deo*, *incensum & odorem bonum*, *in memoriam placare pro populo suo*. *Et dedit illi in præceptis suis potestatem*, *in Testamentis judiciorum*, *docere Jacob testimonia*, *& in Lege sua lucem dare Israel*. *Quia contra illum steterunt alieni*, *& propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto*, *qui erant cum Dathan & Abiron*, *& congregatio Core in iracundia*. *Vidit Dominus Deus*, *& non placuit illi*, *& consumpti sunt in impetu iracundiæ*. *Fecit illis monstra*, *& consumpsit illos in flamma ignis*. ET ADDIDIT AARON GLORIAM, *& dedit illi hæreditatem*, *& primitias frugum terræ divisit illi*. *Panem ipsis in primis paravit in satietatem*: *nam & sacrificia Domini edent*, *quæ dedit illi*, *& semini ejus*. CETERUM IN TERRA GENTES NON HÆREDITABIT, ET PARS NON EST ILLI IN GENTE: IPSE EST ENIM PARS EJUS ET HÆREDITAS. *Phinees filius Eleazari tertius* IN GLORIA EST, *imitando eum in timore Domini*: *Et stare in reverentia gentis*: *in bonitate & alacritate animæ suæ* PLACUIT DEO PRO ISRAEL. *Ideo statuit illi* TESTAMENTUM PACIS PRINCIPEM SANCTORUM, *& gentis suæ*, *ut sit illi & semini ejus* SACERDOTII DIGNITAS IN ÆTERNUM. *Et Testamentum David regi filio Jesse de tribu Juda*, *hæreditàs ipsi & semini ejus*, *ut daret sapientiam in cor nostrum*, *judicare gentem suam in justitia*, NE ABOLERENTUR BONA IPSORUM, *&*

glo-

gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit. Cap. XLVI. *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in Prophetis, qui fuit* MAGNUS SECUNDUM NOMEN SUUM. *Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequerentur hæreditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & jactando contra civitates romphæas? Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit? An non in iracundia ejus impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique,* ET AUDIVIT ILLUM MAGNUS ET SANCTUS DEUS *in saxis grandinis virtutis valdè fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios. Ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potentis. Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse & Caleb filius Jephone, stare contra hostem,* ET PROIBERE GENTEM A PECCATIS *& perfringere murmur malitiæ. Et ipsi duo constituti, a periculo liberati sunt a numero sexcentorum millium peditum, inducere illum in hæreditatem, in terram quæ manat lac & mel. Et dedit Dominus ipse Caleb fortitudinem, & usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, & semen ipsius obtinebit hæreditatem: Ut viderent omnes filii Israel,* QUIA BONUM EST OBSEQUI SANCTO DEO: *Et judices singuli suo nomine,* QUORUM NON EST CORRUPTUM COR, *qui non aversi sunt a Domino. Ut sit* MEMORIA ILLORUM IN BENEDICTIONE, ET OSSA EORUM PULLULENT DE LOCO SUO. *Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, Sanctorum virorum gloria:* DILECTUS A DOMINO DEO SUO SAMUEL *Propheta Domini, renovavit imperium, & unxit principes in gente sua. In Lege Domini congregationem judicavit,* ET VIDIT DEUM JACOB, *& in Fide sua probatus est propheta. Et cognitus est in verbis suis fidelis,* QUIA VIDIT DEUM LUCIS: *Et invocavit Dominum omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes undique in oblatione agni inviolati. Et intonuit de Cœlo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, Et contrivit principes Tyriorum, & omnes Duces Philistiim:* ET ANTE TEMPUS FINIS VITÆ SUÆ, ET SÆCULI, TESTIMONIUM PRÆBUIT IN CONSPECTU DOMINI ET CHRISTI: *pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit; & non accusavit illum homo. Et post hoc dormivit,* ET OSTENDIT ILLI FINEM VITÆ SUÆ, ET EXALTAVIT VOCEM SUAM DE TERRA IN PROPHETIA DELERE INIQUITATEM GENTIS. Cap. XLVII. *Post hæc surrexit Nathan propheta in diebus David.* ET QUASI ADEPS SEPARATUS A CARNE, SIC DAVID A FILIIS ISRAEL..... *Nam invocavit Dominum omnipotentem, & dedit illi in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus* GLORIFICAVIT EUM, ET LAUDAVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS DOMINI, IN OFFERENDO ILLI CORONAM GLORIÆ: *Contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philistiim contrarios usque in hodiernum diem: contrivit cornu ipso-*

ipsorum usque in æternum. IN OMNI OPERE DEDIT CONFESSIONEM SANCTO, ET EXCELSO IN VERBO GLORIÆ. *De omni corde suo laudavit Dominum*, ET DILEXIT DEUM QUI FECIT ILLUM: *& dedit illi contra inimicos potentiam. Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora* USQUE AD CONSUMMATIONEM VITÆ, *ut laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent manè Dei sanctitatem*. DOMINUS PURGAVIT PECCATA IPSIUS: *& exaltavit in æternum cornu ejus: & dedit illi Testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel ......* Cap. XLVIII. *Et surrexit* ELIAS *Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat ...... Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?* QUI SUSTULISTI MORTUUM AB INFERIS *de sorte mortis* IN VERBO DOMINI DEI ...... QUI RECEPTUS ES IN TURBINE IGNIS, *in curru equorum igneorum ...... Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Nam nos vita vivimus tantùm, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Elias quidem in turbine tectus est, & in* ELISEO *completus est spiritus ejus: in diebus suis non pertimuit principem; & potentia nemo vicit illum. Nec superavit illum verbum aliquod*, ET MORTUUM PROPHETAVIT CORPUS EJUS. *In vita sua fecit monstra*, ET IN MORTE MIRABILIA OPERATUS EST ..... *Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum ..... Nam fecit* EZECHIAS *quod* PLACUIT DEO, *& fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias Propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. In diebus suis retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam.* SPIRITU MAGNO VIDIT ULTIMA, *& consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum: Ostendit futura, & abscondita antequam evenirent*. Cap. XLIX. *Memoria* JOSIÆ *in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini. Ipse est* DIRECTUS DIVINITUS IN *pœnitentiam gentis, & tulit abominationem impietatis. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit* PIETATEM. *Præter David & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt. Nam reliquerunt Legem Altissimi reges Juda, & contempserunt timorem Dei .....* EZECHIEL, QUI VIDIT CONSPECTUM GLORIÆ, *quam ostendit illi in curru Cherubim ..... Et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo; nam corroboraverunt Jacob*, ET REDEMERUNT SE IN FIDE VIRTUTIS ..... *Nemo natus est in terra qualis* HENOCH: *nam & ipse receptus est a terra. Neque ut* JOSEPH: *qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi. Et ossa ipsius visitata sunt*, ET POST MORTEM PROPHETAVERUNT. SETH *&* SEM *apud homines* GLORIAM *adepti sunt; & super omnem animam in origine Adam*. Cap. L. SIMON ONIÆ *filius sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum ...... Qui curavit gentem suam,*

suam, & liberavit eam a perditione. Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est GLORIAM *in conversatione gentis: & ingressum domus, & atrii amplificavit.* QUASI STELLA MATUTINA IN MEDIO NEBULÆ, ET QUASI LUNA PLENA IN DIEBUS SUIS LUCET. *Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis, Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens,* IN ACCIPIENDO IPSUM STOLAM GLORIÆ, ET VESTIRI EUM IN CONSUMMATIONEM VIRTUTIS. *In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, & ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano. Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria sua. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israel: & consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis. Porrexit manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ. Effudit in fundamento altaris odorem divino excelso principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. Tunc omnis populus simul properaverunt, & ceciderunt in faciem super terram,* ADORARE DOMINUM DEUM SUUM, *& dare preces omnipotenti Deo excelso. Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus. Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt. Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israel dare gloriam Deo a labiis suis, & in nomine ipsius gloriari: Et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra,* QUI AUXIT DIES NOSTROS A VENTRE MATRIS NOSTRÆ, ET FECIT NOBISCUM SECUNDUM SUAM MISERICORDIAM. *Det nobis jucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel* PER DIES SEMPITERNOS. *Credere Israel nobiscum esse Dei misericordiam,* UT LIBERET NOS IN *diebus suis.*

19. Multis ex mox transcriptis elogiis Ecclesiam uti in laude Sanctorum Confessorum, sacram Liturgiam callentibus in comperto est. Quæ elogia quum nunc indicent beatitatem statim a morte illis collatam: diversam significationem apud sanctos antiquos habere non poterant. Eadem quippe verba legimus antiquitus applicata Moysi, Aaron, Ezechiæ, Isaiæ, Samueli Ezechieli &c., quæ nunc, Sanctorum Ambrosii, Augustini, Benedicti, Romualdi, Dominici, Thomæ de Aquino, & ceterorum merita adornant, & præmia ostendunt cœlestis mansionis eisdem largitæ. Ideoque quidquid per eadem verba prohetatum credimus favore Sanctorum Evangelicæ Legis: idipsum fatendum est fuisse adtributum justis illic singillatim nominatis; ne hæc

recta

recta intelligentia promissionum utrisque communium, in utrisque infirmetur dum contrariam omninò sortem pro diversitate temporum tribuere auderemus viris utrimque sanctissimis, & in eamdem retributionem respicientibus.

20. Antiquorum verò absoluta merita in fruitione visionis Dei his dessignari, non solùm laus cogit eorumdem sanctæ in corpore vitæ, & sanctissimæ mortis: verùm etiam miracula post mortem operata, quæ vigilantissimè commemorantur in Elisæo, & Samuele. Hæc siquidem eorumdem beatitatis postrema probatio est, ut Sanctissimus atque sapientissimus Papa BENEDICTUS XIV. libro 3. de Canoniz. Sanctorum (cap. 27. n. 8. & cap. 29. a nu. 6. ad ult.) docuit; & recentissimè confirmavit in sua sapientissima allocutione habita in Consistorio secreto die 24. Januarii 1752. de pretiosa morte quatuor Sacerdotum ex illustri mihique colendissima, sanæque Doctrinæ optimè merita, Dominicana familia, qui in Fakiensi Provincia Regni Sinarum martyrii palmam promeruerunt. Ibi *dessignatos* Martyres dum in carceribus pro Fide vivebant; *consummatos* autem dum in tormentis vitam dederunt, hosce interim prudenter dici pro temporis diversitate commonstrans: *vindicatos* quamprimùm pronunciandos prædicit. „ Postquam, inquit, probationum examen institutum, atque perfectum fuerit, & quæ de illorum gestis relata huc transmissa sunt, „ a veridicis licèt fontibus profecta, authenticis documentis fuerint „ comprobata; & postquam Dei Optimi Maximi benignitas signis ac „ miraculis manifestare dignata fuerit, quantoperè horum servorum „ suorum holocaustum Divinæ Majestati suæ fuerit acceptum: cùm „ Sanctæ huic Apostolicæ Sedi hoc in more positum, & constanti „ Lege firmatum sit, ut ad veri Martyrii approbationem minimè procedat, nisi supernaturalia signa atque prodigia pariter accesserint. „

21. Hujusmodi fuisse quæ de Elisæo, & Samuele narrantur, Scripturarum auctoritas luculentissimè ostendit. De Elisæo nempè hæc legimus (4. Reg. 13. 20.) *Mortuus est ergo Elisæus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulcro Elisæi.* QUOD CUM TETIGISSET OSSA ELISAEI, REVIXIT HOMO, ET STETIT SUPER PEDES SUOS. De Samuele verò, postquam narrata sunt quæ fecerit Saul circa mulierem, quæ pythonem habere credebatur in Endor; atque visio exposita, quæ pythonissæ contigit, interrogante rege *Quid vidisti?* ita Scriptura sequitur. *Et ait mulier ad Saul:* DEOS VIDI ASCENDENTES DE TERRA. *Dixitque ei: qualis est forma ejus? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra* ET ADORAVIT. *Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant adversum me, & Deus recessit a me, & exaudire me noluit, neque in*

ma-

manu prophetarum, neque per somnia: vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam? Et ait Samuel: Quid interrogas me cùm Dominus recesserit a te, & transierit ad æmulum tuum? FACIET ENIM TIBI DOMINUS SICUT LOCUTUS EST IN MANU MEA, *& scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David, Quia non obedisti voci Domini, nec fecisti iram furoris ejus in Amalec. Idcircò, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* (1. Reg. 28.)

22. Scio quæstionem hanc implexam esse atque difficilem. Quacumque autem ratione intelligatur: certum est, vel Samuel ipsum a Deo resuscitatum vera prædixisse, quæ Sauli postea obvenerunt, tuncque miraculo non vacat res; vel saltem Deum ejusmodi apparitione ostendisse, dignum eum esse, qui etiam post mortem prophetaret, & de sua mala voluntate regem impium argueret, quod denuò felicitatis ejusdem Samuelis certum inditium est. Id namque confirmat textus cap. 46. 23. Ecclesiastici, *Et post hoc*, inquit, *dormivit* (Samuel) *& notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere iniquitatem gentis.*

23. Verùm dum de hoc portento aliqua instrueretur dubitatio, quantum ad Samuelis personam: nulla profectò instrui valet in miraculo resurrectionis mortui ad contactum ossium Elisæi Prophetæ. Quod unum si in Scripturis legeretur, plusquam satis est ad statum ostendendum non animæ solum justi istius, sed illorum etiam omnium, qui eum præcesserunt, & subsecuti sunt; quorum merita in citato loco exornantur; ad quos ipse post mortem corporis congregatus & appositus est, juxta genuinam & superiùs indicatam istorum verborum virtutem. *Sapientia enim eos, qui se observant* A DOLORIBUS LIBERAVIT (Sap. 10. 9.). Sequentia indicant, liberationem istam intelligendam esse, non de vitæ hujus molestiis atque doloribus quos experti & passi sunt justi; sed ne post mortem ullo cruciatu aut timore tangerentur. *Hæc profugum iræ fratris justum* (Jacob) *deduxit per vias rectas*, ET OSTENDIT ILLI REGNUM DEI, ET DEDIT ILLI SCIENTIAM SANCTORUM; HONESTAVIT ILLUM IN LABORIBUS, ET COMPLEVIT LABORES ILLIUS. *In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum* (Joseph) *non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculaverunt illum*, ET DEDIT ILLI CLARITATEM AETERNAM . . . . . . ET REDDIDIT JUSTIS MERCEDEM LABORUM SUORUM, ET DEDUXIT ILLOS IN VIA MIRABILI, *& fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem . . . . . . Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* (ibid.)

24. His testimoniis ductus Apostolus præterita commemorans ad Hebræos dixit (12. 22.) . *Sed accessistis ad Sion montem , & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem*, ET MULTORUM MILLIUM ANGELORUM FREQUENTIAM. ET ECCLESIAM PRIMITIVORUM, QUI CONSCRIPTI SUNT IN COELIS. Et ne quispiam contra traditionem constantem putaret , tantam beatitatem justis conlatam post adventum Christi Domini in carne, ejusque descensum in inferos: *regnum immobile* suspiciendum hortatur Apostolus (v. 28.), ad quod juxta David jam ascenderant suo tempore, tribus tribus Domini . Id insuper confirmat, ut dictum est, ajens: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia* QUI MULTOS FILIOS IN GLORIAM ADDUXERAT, *auctorem salutis eorum per passionem consummari*. (ibid. 2. 10.). *Hæc & hæreditas servorum Domini*, inquit Isaias, ET JUSTITIA EORUM APUD ME DICIT DOMINUS . . . . . . *Audite audientes me, & comedite bonum: &* DELECTABITUR *in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram , & venite ad me: venite &* VIVET ANIMA VESTRA , *& faciam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles . . . . . . Quærite Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris , & cogitationes meæ a cogitationibus vestris . Et quomodo descendit imber , & nix de Cœlo , & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram & infundit eam , & germinare eam facit , & dat semen serenti , & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo:* Non *revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui*, ET PROSPERABITUR IN HIS, *ad quæ misi illud dicit Dominus omnipotens*. (cap. 54. 17. & 55. 2.) *Hic est Deus noster*, subdit Baruch, (3. 36.) *& non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ , & tradidit illam* JACOB PUERO SUO, ET ISRAEL DILECTO SUO. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Quibus instructa sancta mater Ecclesia, priorum Fidem cum nostra copulans, in precibus Sabbathi Sancti, hæc humiliter canit: „ Omnipotens sempiterne Deus, multiplica in honorem nominis tui, quod PATRUM FIDEI SPOPONDISTI, & promissionis filios sacra adoptione dilata: ut quod PRIORES SANCTI NON DUBITAVERUNT FUTURUM, Ecclesia tua magna jam ex parte cognoscat impletum.

25. Quibus ita constitutis, sine ulla ambiguitate explicamus sensum verborum Evangelii, ubi dictum a Domino est, quum adhuc esset in carne, nec passionem consummasset suam, *Ego sum Deus Abraham , Deus Isaac , Deus Jacob , non est Deus mortuorum, sed* VIVENTIUM. (Matth. 22. 32.) Et rursus, *Multi ab Oriente & ab Occidente venient , & recumbent cum Abraham, & Isaac , & Jacob* IN REGNO COELORUM. Abrahæ verò meritum justitiamque commendans Christus, Judæos, se tantum patrem habere gloriantes, increpabat dicens: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite* (Joh. 8. 39.) Intelligimus itidem Evangelicæ sententiæ altitudinem, qua pariter ante passionem de Lazaro pronuntiavit Dominus, & ABLATUS EST AB ANGELIS

GELIS IN SINUM ABRAHÆ. (Luc. 16.). Denique, ut multa alia prætercam, veritatem assequimur promissionis Domini in cruce pendentis, quum Latroni dixit, HODIE MECUM ERIS IN PARADISO. (Luc. 23. 43.) inde enim, ut S. Augustinus explicat, nunquam discesserat Dei filius, quamvis ab hominibus per susceptam carnem in civitate Judæorum tanta pateretur.

26. Hunc sensum sibi vindicant adeò vehementes tum Patriarcharum, tum Prophetarum aspirationes, quibus summo se Deo conjunctos ostendebant, in ejus veritate ad ejus veritatem ambulare; eamque unam plenamque, & apertam, viva fide, fideli spe, perfectaque appetere veritate. Hunc sensum requirunt ipsorum pia & sancta in terris conversatio; atque absoluta illa justitia, in qua inventi sunt a Deo, eorumdem animas hinc revocante, integra nimirum, tum originalis, tum actualium peccatorum (si quæ commiserant) remissione impetrata; ita ut verè justi, & Dei amici, & dilecti, & sancti, & se digni a Domino dicerentur. Hinc meritò Augustinus eos Cristianos, atque eadem, qua nos, salute salvos factos dixit, & probavit; unde profitebatur, nondum se invenisse quid ipsorum animabus, jam beatifica Dei præsentia fruentibus, conferre posset Dominus descendens ad inferos.

27. Demum hac veritate firmata; nescio qua fronte heterodoxi insultare audeant Catholico dogmati de actuali beatitate spirituum; cujus fundamentum ab Abel justo, per infinitos propè Testamenti veteris textus, firmissima repetuntur auctoritate. Nescio pariter qua fronte tum isti, tum schismatici, Purgatorii veritatem in dubium revocare conentur; dum nos, S. Augustino duce, in illo pœnarum lacu primum hominum patrem Adam a Domino descendente inventum, indeque ereptum, ex antiquissima Ecclesiastica traditione confirmamus, & pluribus antiqui pariter Testamenti testimoniis hoc dogma communimus. Hisce ego, nequaquam ut puto parvi faciendis momentis, catholicam fidem uberrime illustrantibus, adductus sum ut sententiam de Beatitate justorum antiqui Testamenti, ante Christi Domini descensum in inferos, libenter amplecterer; & Divi Augustini præclara doctrina renovarem: sperans futurum, ut hæc a sapientioribus probentur, dum viderint, nullum inde damnum, multa verò commoda Ecclesiasticæ doctrinæ accedere.

28. Utque omnia quæ hactenus in hanc sententiam a me dicta sunt, Sancti Augustini doctrinis iterum perstringam, earumdem quasi elenchum desumo a celebri doctissimoque ejusdem discipulo P. Fulgentio *Bellelli* in ejus aureo opere quod, *Mens Augustini* inscribitur. „ Rationalis creatura, inquit ipse, „ Imago Dei est viva & vera, quæ utique propter aliquam fe„ licitatem est condita; non enim misera, & propter miseriam

„ condi potuit, quin eo ipso Deus rectissimus perversitatis arguendus esset, omnisque, quod absit, Creaturæ perversitas & defectio in ipsum esset Creatorem revocanda. Si ergo imago Dei condi non potuit, nisi ut beata fieret, profectò aut in Creatura, aut in Deo ipso suam potuit requiem invenire; Et alterutrum contingere necesse fuit. Nulla autem creatura finis & requies ipsius esse potest; tum quòd perversitas sit manifesta Creaturam aliquam ut finem ultimum, nobilissimumque suspicere, quum sit illa solius Dei prærogativa, ut scilicet Principium & Finis sit omnium Creaturarum; tum etiam quia rationalis creatura solius Dei imago est; *Et eo quippe ipso imago ejus est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest* (D. Augustinus 8. Tom. de Trinit. lib. 14. cap. 8. & seqq.): proindeque in eo duntaxat imago est, quo potest Deum intelligere & amare. Sed imago, quæ viva est, nihil tamquam suam professionem & rectitudinem habere potest, nisi suum Exemplar, seu Archetypum unde expressa est; nihilque quit ardentiùs appetere, quàm illam rectitudinem, cui si conformis est, revera Imago est; sin autem difformis, tantum a veritate imaginis recedit, quantò difformior evadit. Tunc ergo Creatura rationalis *benè se novit, & benè se amat* (ibid. cap. 14.), quando se novit & amat esse imaginem Dei; & tunc benè se novit & amat esse imaginem Dei, quando appetit suam cum Deo exemplari suo conformitatem, & conjunctionem; non enim potest esse Imago, nisi Exemplari conformis sit, nec conformitas nisi in amore, & cognitione esse potest . . . . . .

29. „ Nec sufficit ad imaginis Dei quietem & beatitudinem, ut dumtaxat ipsi conjungantur cognitione quæ dicitur abstractiva. Illa siquidem, quum solummodo indicet Deum esse, nec ipsius faciem aperiat, aptior est inquietitudini augendæ, quàm requiei inducendæ; eo simili modo ac si quis aliquo signo certo dignoscat Amicum suum alicubi absconditum, quò tamen ipsum visurus & amplexurus penetrare non possit: tunc certè non fruitione lætatur, sed privatione & desiderio, & spe crescente affligitur, & inquietudo magis augetur. Imago igitur Dei, quæ rationalis creatura est, nec condi potest, nisi imago Dei sit, nunquam quieta, immò nec perfectè similis & conformis ei esse potest, nisi usque ad videndum exemplar suum pertingat. *Scimus autem* (Johannes inquit, 1. Joh. 3. 2.) *quòd cùm apparuerit similes* (perfectè) *ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Ut repetito proinde stylo dixerit Augustinus; *In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio . . . . . Et hinc apparet, tunc in ista imagine Dei fieri ejus plenam similitudinem,*

„ quan-

„ *quando ejus plenam perceperit visionem* . (lib. 4. de Trinit. cap.
„ 17.). Atque id semper ardenter expetit, non libero & eli-
„ cito, sed innato, appetitu. Nam etsi quis libera voluntate
„ Deum spernat, ipsumque aversetur, quia tamen *terrenorum*
„ *labe*, *& culparum percussione nunquam imago Dei ita detrita red-*
„ *ditur*, *ut in ea saltem extrema lineamenta remaneant* (D. Augu-
„ stinus 10. Tom. de Spir. & litt. cap. 28.); *Diximus enim*
„ Augustinus etiam inquit), *eam etsi amissa Dei participatione*,
„ *obsoletam atque deformem Dei tamen imaginem permanere* (8.
„ Tom. de Trinit. lib. 14. cap. 8.): perinde fit, ut semper
„ rationalis creatura extra Deum sit inquieta & misera, quo-
„ niam, quod ipsa ut imago appetit, conjunctionem scilicet
„ cum Exemplari suo, id consequi nequit . . . . . .

30. „ Quum ergo sit hominis ita constituta natura, ut na-
„ turaliter imago Dei sit, nec nisi in ipso Deo beata esse
„ possit; & si a conjuctione cum Exemplari suo impediatur,
„ sit misera: magna ipsius pœna, magnusque dolor est, si . . .
a Regno suo, suoque Patrimonio, Vita, Hæreditate, & Bea-
„ titudine, ut . . . . . inquieta & misera sit, arceatur. Qua-
„ propter insignem illam scripsit sententiam Augustinus (1. Tom.
„ lib. 1. Confess. cap. 1.): *Fecisti nos Domine ad Te*, *& inquie-*
tum est cor nostrum, *donec quiescat in Te*.

31. „ Nunquam igitur sub Deo justo Creatura rationalis mi-
„ sera esse potest, nisi peccet, & culpa sua miseriam tanquam
„ pœnam mereatur. Nam qua justitia fieri potest, ut tanta
„ pœna, & tanto dolore, tantaque depressione misera fiat, si
„ innocens sit & perseveret? Inverso quippe tunc Justitiæ &
„ Providentiæ ordine, culpa præcederetur a pœna . . . . . .

32. „ Sola igitur culpa est, quæ imaginem Dei ab ipso di-
„ vellere potest, estque ad instar divisorij muri inter creatu-
„ ram & Creatorem, ut oculatissimè Augustinus testatum reli-
„ quit. (App. 8. Tom. de Fide contra Manich. cap. 44.): *In-*
„ *ter creaturam rationalem & Deum*, *non separat nisi voluntas*
„ *prava*. Et quam ob causam, nisi quia Creatura rationalis a
„ Deo separata misera est, & misera nullatenus esse potest nisi
„ deliquerit? NEQUE ENIM (ut aurea omninò sententia
„ Augustinus expressit) SUB DEO JUSTO MISER ES-
„ SE QUISQUAM, NISI MEREATUR POTEST.
„ 10. Tom. lib. 1. oper. imperf. n. 39.) Quod & alibi etiam
„ luculentissimè notavit dicens: *Numquid ille priùs ultor*, *quàm*
„ *iste peccator? Absit?* NEQUE ENIM DEUS DANNAT
„ INNOCENTES. 1. p. 3. Tom. lib. XI. de Gen. ad lit.
„ cap. 17.) (Bellelli *Mens Augustini* lib. 3. cap. 8.)

33. Itaque Omnipotentem Deum supplex exoro, ut in tan-
tarum rerum pertractatione, ita me pusillum sua clementia di-
rige-

rigere dignatus sit, ne ulli offendiculum, multis verò consolationem profectumque paraverim: atque ut tam diuturnus labor, bono certè animo susceptus, ita Majestati suæ sit gratus, ut mihi impetret, ne ego malis meis meritis gloriam deperdam, quam tantò ante conlatam asserui Sanctis Patriarchis, Prophetis & justis; sed una cum illis, quamvis tanto post, misericordias Domini decantare valeam in æternum. Amen.

IN-

INDEX RERUM.

A

Di-

Q

R

S

SA-

INDEX PRÆCIPUORUM

Textuum Scripturæ, qui in hoc Opere citantur, & illustrantur.

Expo-

PROVERBIORUM.

Ecclesiastis.

Sapientiæ.

Ecclesiastici.

Isaiæ.

Jeremiæ.

Ezechielis.

Danielis.

Ne-

Vi-

Actuum.

Epistola ad Romanos.

Ad Corinthios I.

Ad Corinthios II.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Tessalonicenses I.

Ad Timotheum I.

Ad Timotheum II.

Ad Hebræos.

Petri I.

Johannis I.

Apocalypsis.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM

P. LIBERATI FASSONII

De piorum in sinu Abrahæ beatitudine ante Christi mortem.

1. INeunte mense Septembri anni proxime elapsi 1760. dum nondum a longa & molesta ægritudine convalueram, Roma missum accepi recenter excusum: *De piorum in sinu Abrahæ Beatitudine ante Christi mortem Opus Liberati Fassonii ex Ordine Scholarum piarum. Romæ* 1760. *ex Typographia Joannis Zempel. Vindicias* meas Augustinianas ab imputatione regni millenarii, *Dialogosque* tres ad earumdem defensionem jamdiu impressos, auctor impetit, de quibus satis superius locutus sum, criminationibus enumeratis atque amolitis, quas adversus libros illos meos a quibusdam circumferri compereram.

2. Numquam tamen divinassem, me culpandum iri, quia Sanctis antiqui Testamenti, duce Sancto Augustino, tribuerim beatitatem, ab homine iisdem Sanctis Beatitudinem impertiente. Quum enim ex omnium Theologorum consensu, beatitas animarum separatarum una sit, eaque nonnisi a participatione Dei oriri ac persistere possit: paradoxo simile videtur, duos scriptores idem bonum iisdem spiritibus asserentes, adversarios esse inter se. Attamen res ita se habet: quia verbis dumtaxat, non re convenimus.

3. Ego enim eos beatos prædicans, juxta Sancti Augustini doctrinam omni carere molestia intelligo, atque illa integerrima pace & requie frui, quæ beatitudinis essentiam firmitatemque efficiunt, quia ut Sanctus Doctor Deum alloquens definit, *Beata vita est gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est, & non altera.*

4. Hanc esse genuinam beatitudinis ideam, ipsemet P. Fassonius sæpissime confitetur. Scilicet num. 17. dicit, pulchritudine atque præsentia Dei, veram ac solidam beatitudinem contineri. Unde consequitur, quod si Sancti illi vera hac beatitudine non potiebantur (ut ipse contra me *geometrice demonstrasse* præsumit): falsa beatitudine a nostro scriptore donentur.

5. Manifestæ falsitati tituli libri sui, quam nulla industria apud doctos homines sanare poterit, liber integer respondet. Modo lætantes, gaudentes, felices, beatos describit antiquorum spiritus: modo,

inverso calamo, eos clamantes, esurientes, miseros, sub potestate diaboli & mortis ob culpam gementes inducit auctor noster. Sed quia suomet animo, atque intus exprobranti veritati, tales pœnæ adversabantur præ eorum certa justitia: non raro carceris custodiæque invisas voces satagit temperare, *quasi* carcerem appellans, *quasi* custodiam locum, in quo degebant justi illi usque ad descensum Christi. Immo ut lectores sui, si fieri potest, vocabulorum omnium subversioni assuescant, lucem tenebris; captivitatem libertati; pœnis, doloribusque beatitudinem; paradisum denique inferno sociare, multo & irrito labore pertentat.

6. Porro hæc, vel fatente, vel diffitente P. Fassonio, vera beatitudo esse non potest. Falsa autem beatitate donare justos veros, paucis hominibus probatum iri confido. Immo etiam spero, sapientes homines, auctoris hujus assiduis offensos antilogiis, ex suomet opere percepturos, articulum istum Ecclesiasticæ doctrinæ, cura exactiore tractandum; eosdemque pro sua pietate, & in Sanctum Augustinum reverentia non detrectaturos, tantum Magistrum de tanta quæstione disputantem audire in libro isto meo, quem libentissime eorum judicio, sed magis Ecclesiæ censuræ iterum submitto.

7. Hac sane reverentia erga maximum Orbis Magistrum Ecclesiæque splendidum lumen, haud multum teneri Patrem Fassonium, pluribus ostendere possem argumentis. Primo quum nomen meum copiosis identidem immeritisque laudibus prosequatur: nec verbum dixit circa scopum laborum meorum, quibus Sanctum Patrem ab inflicta Millenarii regni nota purgare tentavi. Immo quum textus Augustiniani ab hæreticis contorti, aliis, spissisque a me sanentur atque explicentur operum suorum locis, qui non dilatam edocent beatitatem spiritibus antiquorum justorum ante descensum Christi in inferos: ipse nihil relinquit intactum quominus Magister meus oppositam sententiam docuisse videatur; unde totus vigiliarum mearum fructus decidat, & consequenter nec Millenarii regni macula a S. Patris Operibus abradatur.

8. Duobus modis id consequi aggreditur, interpretatione scilicet, & præteritione. In ista quàm in illa multo felicior est: verum in utraque a semitis hominis pro veritate scribentis valde remotus. In Vindiciarum capite IV. sequentem Sancti Augustini textus offendit. *Unde illis justis, qui in sinu Abrahæ erant, cum ille* (Christus) *in inferna descenderet, nondum quid contulisset inveni, a quibus eum secundum* BEATIFICAM PRÆSENTIAM SUÆ DIVINITATIS *numquam video recessisse*: „ Ut „ candide ego & facere & loqui soleo, ait P. Fassonius, locum esse dif- „ ficilem fateor, & qui primo adspectu expediri nullo pacto posse „ videatur. Quæ res fecit, ut multo ante in medium a Joanne Ca- „ merone, extero, ut dixi, homine proferretur. " Hic ejus candoris perpetuus effectus est, ut me cum hæreticis sæpe commisceat, quasi illorum armis, invito Sancto Augustino, pugnaverim. „ Ve-

„ rum.

„ rumtamen tantum abest, prosequitur P. Fassonius, ut is me terreat, ut ne lumen quidem litterarum mearum desideret. Miraris? „ Atqui a B. Thoma Aquinate, a Suarezio, a Bellarmino expositus & tractatus uberrime, quod Cadonicus ignorare non potuit. " Nec certe ignoravi nec præterivi quod S. Thomas in eum locum scripsit, ut legentibus caput III. hujus libri patebit. „ Unum igitur „ brevissime dicam, inquit, quod video a superioribus prætermissum „ fuisse. " Modestia P. Fassonii nonnihil hic periclitabitur, qui in explicatione hujus loci aliquid invenit prætermissum a D. Thoma, Suarezio, & Bellarmino, quorum tamen sententiam sequi constituit, licet eorum verba, quod tamen operæ pretium erat, transcribere negligat. „ Unum, inquit, brevissime dicam, hæc Augustinum in eadem epistola paullo ante de Adamo scripsisse, quæ maxime ad „ explanationem testimonio illi adhibitam conducunt: *Et de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod eum inde solverit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inaniter credidisse, credendum est.* "

9. Vidimus omissionem tantis viris objectam: discamus modo quid ex his verbis diligentior P. Fassonius conficiat. „ Nam quod de Adamo, inquit, idipsum de Abele, de Noe, de Mose, ceterisque Sanctis hominibus dici debet. " Hoc quidem a Patris Fassonii ingenio consectarium effici poterat: verum longe aberat a Divo Thoma, Suarezio, ac Bellarmino, qui numquam istud desumere debebant, utpote alienum a mente Sancti scriptoris. Etenim post pauca, hæc etiam habet. *Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam Sanctis fuisse concessum, Abel, Seth, Noe, & domui ejus, Abraham, Isaac, & Jacob, aliisque Patriarchis, & Prophetis, ut cum Dominus in Infernum venisset, illis doloribus solverentur.* Istud quidem dicit P. Fassonius, istud putat a superioribus dici oportuisse. Sed illi non in sola objectatione, quam sibi facit S. Augustinus, quieverunt; sed lectis sequentibus, non se supra altissimum illum Magistrum elevare prudenter posse cognoverunt. Audiat itaque P. Fassonius quid magnus Augustinus adjiciat. *Sed quonam modo*, inquit, *intelligatur Abraham, in cujus sinum pius etiam pauper ille susceptus est, in illis fuisse doloribus, ego quidem non video: explicent fortasse qui possunt*. Si P. Fassonius id se posse putaret, quod S. Augustinus se non posse profitebatur, credat, haud suæ humilitatis, nec perspicaciæ indicium futurum. Rationes quippe, cur id se explicare non posse Sanctus Augustinus ajebat, hæ sunt. *Solos autem duos, idest Abraham, & Lazarum in illo memorabilis quietis sinu fuisse, antequam Dominus in infernum descenderet: & de illis tantum duobus dictum fuisse illi diviti, Inter vos, & nos chaos magnum firmatum est &c..... nescio utrum quisquam sit cui non videatur absurdum. Porro si plures quam duo ibi erant, quis audeat dicere non ibi fuisse Patriarchas, ac Prophetas, quibus in Scripturis Dei justitiæ pietatisque tam insigne testimonium perhibetur? Quid his ergo præstiterit, qui dolores solvit*

inferni, in quibus illi non fuerunt, nondum intelligo. Cetera consulant lectores veritatis amantes in laudato cap. III. operis hujus, ubi maximam Augustinianæ epistolæ partem excripsi, ejusque vim elevare curavi; & tunc, me etiam tacente, detegent, quam inaniter P. Fassonius Divum Thomam, Suarezium, & Bellarminum veluti negligentiæ culpaverit in explicatione hujus loci; quum potius suum erat eorum cunctationem imitari.

10. Sed non istorum Theologorum tantummodo, verum etiam Sancti Augustini periclitatur sapientia apud scriptorem nostrum, ubi ille dixerit auctorem nostri generis Adamum tam multis sæculis in Purgatorii custodiam abditum atque inclusum fuisse. Augustinum porro hoc dixisse in comperto est; nam totius fere Ecclesiæ testimonio scripsit, Adamum ab inferni doloribus a Christo liberatum, in quibus doloribus Abel & ceteros Patriarchas, & Prophetas fuisse, constantissime negat. Discat igitur libenter P. Fassonius ab eodem Sancto Doctore, hujusmodi Dei arcana, non humani libidine ingenii æstimanda esse, nec definienda. Etenim S. Pater tam diuturnam moram Adæ in Purgatorio contemplans: inquit: *Qualis autem & quanta pœna cuique culpæ debeatur, divini judicii est, non humani*. (De natur. boni. contr. Manich. cap. 9.)

11. Alter locus, quem interpretatione sua obscurare pertentat P. Fassonius, sequens est. *Post vitam istam parvam nondum eris*, ait S. Augustinus, *ubi erunt Sancti, quibus dicetur, Venite benedicti &c.....sed jam poteris ibi esse, ubi illum ulcerosum pauperem dives ille superbus & sterilis, in mediis suis tormentis vidit a longe requiescentem. In illa requie positus certe securus expectas judicii diem*. Hinc adeo clarum est, Sanctum Augustinum ibi collocare bonos Christi fideles, ubi tamdiu Lazarus erat, ut nihil magis. At P. Fassonius vim textus declinaturus in Grammaticæ elegantias se recipit, atque adverbia *ibi* & *ubi* non locum designare contendit, sed multa alia, quæ persequi vanum est, quia omnino vana sunt.

12. Mens S. Augustini, quum populum alloquebatur erat, ut auditores dicta sua statim ratione comprehenderent, ideoque tritiora verba & ad communem captum accommodata adhibere solebat; cujus rei exemplum attuli cap. XI. Vindiciarum, pag. 160. In Enarratione enim Psalmi 36. explicans versum *Tota die miseretur & fœneratur*, „ ait : *Fœneratur* quidem latine dicitur, & qui dat mutuum „ & qui accipit : planius hoc autem dicitur, si dicamus *fœnerat*. „ Quid ad nos quid grammatici velint ? Melius in barbarismo no„ stro vos intelligitis. “ Quum itaque textus controversus sit ex Sermone primo in Enarratione Psalmi 36. quomodo efficiet P. Fassonius, Sanctum Augustinum *latinissime* locutum in hoc loco, adverbiis utentem *ibi* & *ubi* : quando in Sermone tertio explanationis Psalmi ejusdem, eligit dicere *fœnerat*, non *fœneratur*?

13. Comparibus argutiis respondet novem locis ex Vindiciis atque Dia-

Dialogis selectis, qui soli (in tanto numero auctoritatum Sancti Patris, quibus hi duo libri perpetuo texuntur) nonnulla animadversione digni habiti ab eo sunt. Ceteros veluti spernendos omnino præterit.

14. Quæ quidem præteritio secundum est argumentum irreverentiæ P. Fassonii in S. Augustinum, atque nullius considerationis erga eos, qui & dissimulatis ab eo textibus, novam adjungi disputationi lucem contendebant. Revera quum frequenter in doctissimum virum, & non sine laude nominandum D. Joannem Lamium invehat, quia Vindicias, Dialogosque meos probavit: mirari subest cur prætermiserit textum unicum, ex quo sapiens ille vir adeo confectam rem esse contendit, ut diceret, aut S. Augustinum negasse requiem visionemque Dei justis omnibus usque ad diem extremi judicii, aut dona ista agnovisse a Deo conlata Sanctis Patriarchis, & Prophetis statim post corporis mortem, non secus ac Apostolis, Martyribusque Testamenti novi.

15. Textum ipsum subjicio, qui in Appendice ad Dialogos pag. 77. atque sub initium legitur capitis XVII. Vindiciarum, quia in isto libro meo non exscribitur: non enim jam dicta repetere, sed nova adjicere constitui; sperans futurum, ut homines hujus quæstionis amantes, eo ordine quo prodierunt, libros meos percurrere dignabuntur, minus revera elegantes libro Patris Fassonij, sed magis argumento adhærentes, atque studiosos veritatis. „ Sicut ergo, „ inquit S. Augustinus, diversæ custodiæ agentium in officio, sic diversæ custodiæ mortuorum, & diversa merita resurgentium: receptus est pauper, receptus est dives; sed ille in sinu Abrahæ, ille ubi sitiret, & guttam non inveniret. Habent ergo omnes animæ, ut EX HAC OCCASIONE INSTRUAM CARITATEM VESTRAM, habent omnes animæ, cum de hoc sæculo exierint, diversas receptiones suas, habent GAUDIUM boni, & mali TORMENTA. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt IN PACE Sancti Patriarchæ, Prophetæ, APOSTOLI, Martyres, boni Fideles; omnes autem adhuc in fine recepturi sunt quod promisit Deus: promissa enim est resurrectio etiam carnis, vita æterna cum Angelis, hoc omnes simul accepturi sumus: nam REQUIEM, QUÆ CONTINUO POST MORTEM DATUR, SI EA DIGNUS EST, TUNC ACCIPIT QUISQUE CUM MORITUR. PRIORES acceperunt Patriarchæ, VIDETE EX QUO REQUIESCUNT, POSTERIORES Prophetæ, RECENTIUS Apostoli, MULTO RECENTIORES Sancti Martyres, QUOTIDIE boni Fideles. Et alii IN ISTA REQUIE TAMDIU sunt, alii non tamdiu, alii paucioribus annis, alii recenti tempore. Cum vero ab hoc somno evigilaverint, simul omnes quod promissum est accepturi sunt. „ (Tract. 49. in Joh. num. 10.)

16. Dolui profecto, hunc præclarissimum locum a P. Fassonio neglectum, ne eruditionem suam, & in elegantioris Grammaticæ recessus peritiam denuo admirarer. Equidem magnis conatibus indigebat, ut tam

ut tam expedita verba ad instruendum populum habita, in uno ex sublimioribus S. Augustini Operibus descripta traherentur in sententiam suam, quam Ecclesiæ esse non dubitavit asserere, scilicet Sanctos antiqui Testamenti statim a morte non vidisse Deum. Etenim in duobus articulis errasset S. Augustinus, quum non dissimilem sed prorsus eamdem requiem statim a morte antiquis tribuit, quam Sanctis Apostolis & Martyribus juxta diversitatem temporum dormitionis eorum. Nam si requies illa visio Dei est, longe aberrasset S. Doctor ab Ecclesiæ doctrina, quæ juxta P. Fassonium, hoc donum in antiquis non agnoscit, nisi post Domini descensum in inferos. Rursus si requies, quam S. Augustinus tum antiquis, tum Evangelicis justis facit communem, visio Dei non est: Sanctus Pater hanc mercedem beatitudinemque Sanctis etiam Apostolis denegasset usque ad resurrectionem carnis, qui proprie Millenariorum error est, atque ab Ecclesia perpetuo damnatus.

17. Connitatur itaque P. Fassonius duo hæc ipsi æque invisa capita ab Augustini doctrina depellere; & demum percipiat, hinc vere pendere Vindiciarum, Dialogorumque meorum præpropere prædicatam confutationem. Istorum namque librorum scopus est, ut Sanctus Augustinus a Millenariorum censu vindicetur. Et quoniam mox descriptus textus tribuit, explicat, atque apud plebem Catholicam inculcat, eamdem fuisse sortem antiquis justis ac posterioribus Sanctis: unum dicendum superesse mihi visum est (multiplicibusque locis ejusdem S. Patris confirmare curavi) scilicet requiem illam, fuisse & esse veram visionem, fruitionem, participationemque Dei, quo uno beata efficitur anima ubicumque sit; sine quo revelato, miserrima semper est atque infelicissima, quibuscumque aliis bonis abundans fingatur & prædita. Si ego, exquisitioribus Grammaticæ mysteriis minime initiatus, hæc S. Augustini plana profecto verba non bene intellexi, doceat me P. Fassonius, quomodo sententiam suam contineant; doceat quomodo e Millenariorum grege Sanctum Augustinum eripiam. Obsequentem me inveniet, quia nihil amplius desidero quam veritatem.

18. Cujus tamen veritatis splendore si ipse, verba attente contemplans, vinceretur: sincere confiteatur, non præteritione irreverenti, sed humili attentione maximi Augustini scripta esse versanda. Nempe si ante oculos suos suprascriptum textum haberet assidue, levitatem, fallaciam, errorem denique detegeret interpretationum suarum in paucis illis textibus, quos examinandos, & contra me explicandos suscepit. Ne alios memorem, ab hoc textu facile intelliget P. Fassonius, quid sibi voluerit Divus Augustinus, quum ad Evodium scribens, dixit, *a quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis numquam video recessisse*; atque ab utriusque genuino sensu percipiet, quam vane ipse in adverbiis *ibi* & *ubi*, & similibus aliis interpretationibus, jocetur.

19. Po-

19. Postremum, quod memorare constitui Fassonianæ in Sanctum Augustinum irreverentiæ argumentum, sunt non semel repetita verba, Sanctum Doctorem *in hac re a doctrina majorum descivisse*. Ecce quod ait cap. 3. num. 32. „ Sic planum (Cadonico) ipsis testibus „ faciam, si Augustinus fortasse optimum quemque statim ab obitu „ in Dei conspectum venisse credidit, antequam unigena atque „ amantissimus Filius proficisceretur ad Inferos, *eundem descivisse hac* ,, *in parte ab institutione Majorum*, prudenti vero consilio Thomam „ Aquinatem, ceterosque Theologos illorum stetisse judicio. „ In nota ad hunc locum adjicit: „ *Non descivisse tamen ostendetur a nobis* „ *posterius* „. Sed hoc inaniter promissum constat ex iis, quæ mox consideravimus circa tres locos insigniores.

20. Quanta confidentia id effuderit P. Fassonius lectores agnoscent, si patienter percurrant indolem auctoritatum, quas prolixa serie in suo libro exscripsit, nihil moratus nomina auctorum, quæ Sancto Augustino objiciebat; nihil etiam impeditus a genuinis vel suppositiis operibus, dummodo eorum verbula suæ præconceptæ opinioni faverent; immo nec reformidans Fausti Manichæi dicta in confirmationem afferre.

Tenor textuum a Patre Fassonio ex antiquitate allatorum.

„ Dicit itaque, Animas SS. Patrum in Limbo de *manu mortis* & ,, de *morte* liberatas; *vinctas* fuisse in *lacu in quo non erat aqua*; ha„ bitantes in *sepulcris*; subjectas *principatibus* & *potestatibus inferorum*. „ Opus habuisse *prædicatione*, ut *confitentes* in inferis *salvarentur*, at„ que a *pœnis debitis* liberarentur: *lapides* fuisse in inferni *carcere* de„ tentos, de *profundo* ascendentes, *Per aquam habuerunt ascendere*, ut „ *requiescant*. *Sigillo Filii Dei* apud inferos *signati* sunt justi illi, „ prius *morti destinati*, a *morte liberati*, & traditi vitæ. Descensus Fi„ lii Dei *remissio peccatorum* exstitit illis, sicuti *nobis* remisit *peccata*. „ In *inferiora terrarum* constituti fuerant, quo *ferales* disruptæ sunt „ *tenebræ*, quo mors subacta est, quo homines, quos susceperant ,, *mortuos*, refundere inferi coacti sunt vivos. Ex *infimo Inferno* ere„ pti sunt, *claustrumque* ab omni ævo *intactum* Christus dirupit, *æneis* „ *confrictis foribus vectibusque ferreis* confractis, ut qui apud inferos ,, *vincti* prius erant, *liberos* dimitteret. *In condemnatione mortis clama-* „ *bant* ad Dominum suum *perpetuo*, in *mœrore* erant, & *vocifera-* „ *bantur*: idcirco Christus statuit humano generi *conciliare salutem*, „ *inimicumque* profligare. Descendit propterea ad *subterranea*, ut illinc „ justos *redimeret*, & liberaret *a dracone*, qui eos *jam devoraverat*. „ Unde Abraham, Isaac & ceteri *redempti sunt*, quos *mors absorbuerat*. „ In *laboribus* antea erant, & meridie *somno detentos*, & a Christo „ divinus exercitus *excitatus est*, *direptis Inferni spoliis*, eos, qui an„ tea *mortui* erant, in *salutem* afferendo. Ne justorum meritum *ex* „ *longa desperatione concideret*, fregit (Christus) *claustra perpetua*, &

„ fer-

,, ferreæ fores collapsæ sunt, & soluta *mortis* lege, *remissionem* & *ve-*
,, *niam* in inferno positis donabat, expolians Infernum, & justos
,, tamquam *prædam* egregiam evehens, *de hostibus* triumphavit. Justi
,, illi erant in *magnis laboribus*, *peccati vinculis* in Tartaro *legitime ab*
,, *hoste retenti*, qui *dente truci lividus* infremuit, cum *diabolicæ potesta-*
,, *tis servum* de *captivitate* erutum vidit a Christo, qui *jus antiquissi-*
,, *mum pœnarum* deturbavit, cui occurrit *tota Tartari furens potestas*.
,, Lux Christi descendentis, *sedentes in* tenebris & *umbra mortis* su-
,, bita claritate vestivit: siluit *stridor lugentium ille*, soluta sunt *onera*
,, *catenarum*, disrupta ceciderunt *vincula damnatorum*, quos a *conditio-*
,, *ne servili* liberavit: iis, qui *vinculis* istic *constricti* detinebantur *Exi-*
,, *te* dicens, ceteris vero, qui *tenebris operiebantur*, *Revelamini*. Atque
,, ideo *Tartara mæsta* gemunt, quia *vincula* cuncta quiescunt. Justo-
,, rum animæ, quæ infernali ergastulo tenebantur inclusæ, eo ve-
,, niente, *laxatæ sunt*, ne hoc exitu amplius *cruciarentur*. Ibi tene-
,, bantur *ex culpa*, *gravi tædio* affectæ, quia post solutionem carnis,
,, adhuc *speciem* non poterant videre Creatoris; qui ad eas descen-
,, dens, & *gratiam* & opportunum *subsidium* contradidit, eas a *mœ-*
,, *roribus* liberando, quos patiebantur in *profundissimis terræ visceribus*,
,, ac in *imis Tartari profundis*; ubi *pro crimine vinctæ*, sine *præsidio*
,, & *sperata* & *tarda* rogabant. Christus quando ad inferna descen-
,, dit, *portam* Inferni, & *vectes confregit*, & omnes justos, qui *origi-*
,, *nali peccato adstricti tenebantur*, absolvit; anima vero (hominum)
,, vinculis Inferni detenta, *exitia patiebatur*. Antiqui sancti apud In-
,, feros detinebantur *injuste* propter originale peccatum. *Sonus gravis*
,, audiebatur in *Orci specubus*, cum Protoplastus (& cum eo ceteri)
,, querulas ibi voces funderet præ Paradisi deliciarum desiderio. Pa-
,, triarchæ ac Prophetæ & justi ex *imis* Inferni *recessibus* erepti fue-
,, runt; ibi *vincti* tenebantur *in lacu*, in quo *non erat aqua*. Quan-
,, do *Diabolum* Christus superavit, *electos* a pœna liberavit; quia
,, Christus electos ab Inferno extrahens, *peccatores* cum Diabolo tor-
,, quendos *relinquit*. Animarum in sinu Abrahæ *iners requies*, quas pri-
,, mi *scelus exitiale* parentis detinet hic *clausas*, & *luce carent Jucun-*
,, *da*, qua gens gaudet stellantis Olympi. Christus descendit ad redi-
,, mendas animas justorum, quas in *virga indignationis suæ* Pater
,, meus qui est in cœlis, illuc *detrusit propter peccatum*. Subactæ sunt
,, de *puteo tumultus*, & de *luto fæcis*, idest de Inferno. Christus cum
,, ad Tartari ima descenderet, feras inferni januasque confringens,
,, *vinctas peccato* animas, *mortis damnatione destructa*, *a diaboli faucibus*
,, revocavit ad vitam. ,,

21. Hæ, teste P. Fassonio, sunt definitiones majorum, a quibus injuria descivit Sanctus Augustinus, quibus e contrario, si ipsi fidere volumus, S. Thomas prudenter adhæsit cum ceteris Catholicis Theologis; quibus demum inconcusse nititur *Beatitudo*, quam ipse in titulo libri sui antiquis Sanctis, veluti de Ecclesiæ Catholicæ oraculo asse-

asseruit. Ecclesiæ inquam, quæ, ut ipse ait, in hac doctrinarum serie, sinceram invenit, firmam, laudabilemque traditionem, duodecim sæculorum eurriculo, & pene innumerorum scriptorum consensu confirmatam, quorum nominibus sæpe integras paginas complet. Admonere festinanter lectores volo, nullum ex his textibus nec in specie favere beatitudini, quam P. Fassonius ex auctoritate veterum in librum suum adscivisse præsumit; omnes vero confirmare antiquorum justorum animas in magnis angustiis fuisse atque doloribus, qui certissimam indicant earum miseriam, & egestatem.

22. Præterea concedet mihi, ut spero auctor noster pro sua ingenuitate, quod si ejusmodi traditione pugnandum fuisset Sancto Augustino adversus Faustum Manichæum, numquam illum in hoc gravi articulo devicisset. Faustus nempe a nostrorum doctrinis confirmari præsumens quod ipse de Sanctis Patriarchis effutiebat, *vobis etiam confitentibus*, clamabat, *longo intervallo de terra ac pœnali custodia, ubi se vitæ merita coercebant, a Christo Domino nostro liberatos, per ejus scilicet mysticam passionem pervenire ad hoc ipsum* (idest Cœlum) *potuisse, si pervenerunt quo scriptum de eis est*. Hæc pauca verba sententias omnes perstringere mihi videntur, textuum recitatorum, ideoque ipsis non conteritur, sed potius confirmatur Manichæorum audacia. Quomodo igitur inimicos confregit Sanctus Augustinus, qui non suo, sed Ecclesiæ nomine eos oppugnabat, si ab hujusmodi nostrorum doctrinis discedere impune non poterat?

23. Et certe quidam ex nostris ita de statu animarum Sanctorum antiquorum locuti fuerant, ut Faustus ajebat, excepta passione Domini, quam mysticam appellabat. Quorum auctoritate tam longe est ut Augustinus moveretur, ut immo dixerit, in tanta re, *non esse consectandas* TEMERITATES *opinantium quorumlibet hominum*, ideoque non in eorum scriptis, sed *in Scripturis sanctis indagandum esse in quibus sedibus essent justi, qui exierant de hac vita prinsquam Christus in carne venisset; & utrum etiam ipsos ad aliquid melius passio Christi transtulerit, qui in eum venturum, passurum, resurrecturum non tantum crediderant, verumetiam hoc ipsum, sicut oportebat, prophetico spiritu prænuntiaverant*.

24. Doctrina ista Augustiniana Patri Fassonio occurrebat cap. X. Vindiciarum pag. 124. & seq. quæ sicuti respuit in nostris quidquid citra scelus scripserant ad genium Manichæorum: ita nos admonet, ne comparibus sententiis in scriptis posteriorum nimium fidamus. Tantum enim abest ut S. Augustinus adversus Faustum disputans, quidquam concederet, quod ille a nostris didicisse affirmabat, ut immo statim subjiciat. *De vita autem Patriarcharum, jam quantum satis arbitratus sum, homini maledico non pauca respondi: quibus non utique in morte correctis, vel post passionem suam justificatis, testimonium Dominus perhibebat, cum Judæos admoneret, ut si Abrahæ filii essent, facta Abrahæ facerent; & quod idem Abraham ejusdem diem videre concupierit, gavisusque fuerit cum vidisset; & quod in ejus sinum, idest nescio cujus quie-*

Pp *tæ sc-*

ta felicitatis magnum abditumque secretum, abstulerint Angeli pauperem illum ærumnosum a divite superbiente contemptum &c.

25. Omnia hæc certissima erant apud S. Augustinum, qui non de genuinis Patriarcharum &c. meritis, nec de præmio sinceræ visionis & fruitionis Dei ipsis conlato dubitabat: sed inquisitionis nostræ metam coarctabat in eo, ut in Scripturis sanctis indagaremus *in quibus sedibus essent justi* illi; ita demonstrans nec apud Inferos, non sine magna inquisitione, Sanctos illos dici potuisse locatos; quod satis est ad omnes elidendas superius descriptas auctoritates.

26. Componat modo si potest P. Fassonius sinum quietæ felicitatis magnum abditumque secretum, cum fæce, vinculis, pœnis Inferorum: culpas exsolvendas inveniat in animabus jamdiu ex fide & operibus, ante Christi mortem, sed per ejusdem merita, justificatis: tenebras ingerat Abrahamo, qui diem Domini, idest faciem Filii videre concupierat, gavisusque fuerat cum vidisset; eumque sub potestate diaboli vel uno momento, si tanti valet, constituat: & postea impavide pronuntiet, Sanctum Augustinum *ab institutione majorum in hoc articulo descivisse*.

27. Neque Sanctum Thomam Aquinatem, reliquosque Theologos, suis partibus adhærere præpropere glorietur. Quamvis enim ille in Inferno sitas, & dolentes docuerit antiquorum Sanctorum animas, in quo cum Sancti Augustini doctrina haud convenire videtur: illorum tamen pœnam ex sola dilatione repetit gloriæ speratæ, quin eas interim dæmonum faciat mancipia, vel tenebris, vinculis, carceribus damnatas definiat. Nam si naturales consulimus ideas, quæ ab hisce vocibus menti nostræ ingeruntur, sensibilem pro sua qualitate pœnam ab extrinseca causa productam reprehesentant; a qua tamen ipse antiquos Sanctos immunes dixit in loco etiam a P. Fassonio transcripto num. 89. „ Sinus Abrahæ, inquit, potest secundum duo „ considerari; uno modo secundum quietem, quæ ibi erat *a pœna* „ *sensibili*, & quantum ad hoc *non competit ei nomen Inferni*, *nec sunt* „ *ibi aliqui dolores*. Alio modo potest considerari quantum ad priva- „ tionem gloriæ speratæ, & secundum hoc *habet rationem inferni*, *&* „ *doloris*. „ Non itaque aut ex loco, aut ex dæmonum præsentia, actibusque, aut ex vinculis, ac tenebris unquam concedent nec Divus Thomas, nec Theologi ejus dictatis inhærentes, animas illas fuisse cruciatas; nam hæc omnia dolorem sensibilem significant ab extrinseca causa venientem; sed unam eis tribuent intimamque pœnam ob dilationem gloriæ speratæ. Dum autem Angelicus eas gementes inducit, præterquam quod deceptus est falsa Sancti Augustini auctoritate; adhuc tamen lacrymæ ad intimum animæ angorem possunt referri, minime vero vincula, carcer, tenebræ Inferni profundissimi, quin illas animas reatu peccatorum omnium tum originalis, tum actualium, si quæ commiserant, censeamus adhuc prægravatas, quod P. Fassonius sæpe inficiatur.

28. Ver-

28. Verbis tamen id inficiatur, re autem vera docet; nam genuinam remissionis peccatorum ideam obumbrat. Sæpe enim dicit, quod *nihil eis luendum aut expiandum supererat*, quod *nulla in illis peccati pœna aut macula remanebat*: sed sæpius fortasse scribit, quod *crudeli mortis dominatu premebantur*, *quod nativæ adhuc & intimæ culpæ irretiti erant illi* spiritus, quod *in afflicta conditione versabantur*, *Dei visione indigni*; quod a descendente Domino obtinuerunt *liberationem culpæ*, *atque adeo miseræ ejus custodiæ*.

29. Quid quæso sibi vult P. Fassonius, ut cetera omittam, quum tam facile pronuntiat, Sanctorum antiquorum animas sub crudeli fuisse diaboli, & mortis dominatu? Num pro sapientia, atque exercitio suo dissimulare potest, mortem animæ non esse nisi peccatum; atque ideo nihil aliud importare posse dominatum mortis, nisi illius justitiæ defectum, quo mortua dicitur anima immortalis, quando nimirum lethali aliquo delicto a Deo, qui vera vita sua est, separatur? Nunc autem quomodo asseret *summam innocentiam* animabus Sanctorum? At si nulla eas *peccati fœditas* deturpabat: in illa profecto conditione minime erant, quam Isaias fidelibus cavendam annuntiat, dicens, *peccata vestra separant inter vos & Deum*. Quo divisionis muro sublato, vel propter magnam vitæ pietatem, vel per veram peccatorum remissionem, ac condignam pœnitentiam: dicat, quæso, quid eas dissociaret a Deo ita ut facie ejus revelata adhuc *indignissimas* censeat, immo etiam liberatione a *Dæmonum captivitate* indigentes.

30. Puto equidem quod P. Fassonius fideles septis Purgatorij conclusos, sub diaboli dominatu nunc abhorreret asserere, licet aliquid eluendum habeant, quo juste amoventur a visione Dei. Sed quia nulla lethali culpa ligantur, repugnat eos post discessum a corpore sub principe mortis ponere, de quo, gratia Dei adjuvante, illustrem victoriam in carne reportaverunt. Itaque quia unum, nec diversum, tum in causa, tum in effectibus Purgatorium a morte saltem Adæ firmiter defendere debemus: alienum a ratione videtur, animas purgantes antiqui Testamenti dæmonis potestate ac dominationi subjicere.

31. Quapropter multo magis repugnabit istiusmodi vinculis animas Sanctorum in Limbis alligare, queis nihil superest eluendum. Nam quum ex sententia Patris Fassonii (quam & ego juxta tenuitatem meam rationi proximiorem existimo) fidelium animæ in Purgatorii lacu cruciatæ, deterioris conditionis fuerint incolis sinus Abrahæ, ad quem, detersis maculis, exsolutisque pœnis, convolabant: consequitur, quod si ex jam dictis rectæ rationi adversatur ponere purgantes sub tyrannide principis tenebrarum: multo magis absurdum sit adeo invisæ potestati submittere Abraham ipsum, & patres, & contubernales suos, ad quos congregabantur quæ Purgatorii lacum evadebant. Id enim causam supponit hoste ipso deteriorem, idest reatum pecca-

ti animæ inhærentem : nam princeps peccati nonnisi in peccatores jus & imperium valet exercere.

32. Revera fideles neque dum in hac mortali carne vivunt, dæmonum potestati vere permittuntur, nisi quum gravibus delictis peccatorum principi consentiunt : nec Pater Fassonius diaboli servum recte appellaret hominem qui venialium tantum culparum portat infirmitatem.

33. Insuper, quo alio nomine quam dominationis mortis, & potestatis dæmonum significabit scriptor noster conditionem animarum in æternum, & absque redemptione damnatarum ? Itaque nonnisi perperam similem statum tribuit spiritibus purgatione indigentibus tempore antiqui Testamenti ; multo vero deterius eumdem communicat Sanctis sinus Abrahæ, quos præcipue designatos contendit multiplicibus textibus, quorum tenorem adduximus supra. Hinc diligentes lectores percipiant, veram infirmari peccatorum remissionem in antiquis Sanctis. Nam effectus veræ remissionis est omnem reatum ab anima delere, ita ut murus destruatur divisionis Deum inter & ipsam ; quamvis eidem animæ possit adhuc incumbere debitum temporalis alicujus pœnæ pro suis deletis peccatis, vel hic, vel in Purgatorio exsolvendæ, quod debitum necessario comitatur temporalis itidem privatio visionis & fruitionis Dei. Consulantur caput IX. & X. operis hujus, ubi de hac quæstione, & de temporali pœna peccato originali debita, non pauca disputavi.

34. Adeo autem verum est sinceram remissionem peccatorum, tempore antiqui Testamenti, P. Fassonium obumbrare, ut non semel scripserit, quod *Sancti illi nativa adhuc & insita culpa irretiti erant*, quia *nondum originale peccatum, quod per omnium hominum animos serperet, de medio abstulerat* Christus. Porro quod insitum animabus adhuc erat, nec de medio sublatum, non poterat esse deletum ; indeque comprehendere præstat, quanti esset apud P. Fassonium textus adductus, qui *gratiam & opportunum subsidium* eisdem animabus *contradidit* ad descensum Redemptoris, tum etiam ille, quas animas *Pater cœlestis in virga indignationis suæ illuc detrusit propter peccatum*.

35. Nec juvabunt, ut puto, P. Fassonium doctrinæ Divi Thomæ in hoc articulo, quas ego suo loco examinavi. Quod nunc attinet, eligat P. Fassonius num sequi velit Divum Thomam. Quumque se id velle sæpius testatus sit, titulum deleat, & argumenta rejiciat totius libri sui ; quia *beati* esse non poterant Sancti sinus Abrahæ, donec *pœnas* patiebantur ipsis tributas a D. Thoma propter gloriæ dilationem. Quamvis enim S. Doctor gaudium magnum copulasse videatur cum tribulatione ac pœnis illarum animarum : nondum tamen dixit, certos suos dolores ab ejusmodi gaudio fuisse devictos ; nam tunc falso eas doloribus obnoxias posuisset. Si P. Fassonius pro sua ingenuitate dignabitur istius argumenti vim recte perpendere : prædicata, & falsa illa beatitudo sua facile silebit, cui pœna (eaque non-

nonnisi maxima) necessario consociatur. Quapropter si hæc doctrina Divi Thomæ, dolores adscribens animabus in Limbo detentis, conformis est doctrinæ Patrum duodecim sæculorum, ut scriptor noster contendit: fateatur necesse est, se adversari tum illis omnibus, tum Divo Thomæ, quum illas quidem caruisse præsumit visione Dei, sed tamen definit fuisse beatas.

36. At si ego acquiescere non valui S. Thomæ doctrinæ, remissionem quidem veram peccati originalis in antiquis fidelibus confitentis, sed simul invenientis alteram temporalem pœnam ipsis solvendam apud Inferos in exclusione gloriæ cœlestis: non id mihi culpæ vertat P. Fassonius, quin prius devincat totam Sancti Augustini celebrem laudatamque doctrinam de peccato originali, quæ his paucis verbis plene perstringitur; nimirum remissione peccati originalis id præstari, *Ne obsit mortuo quod inerat nato;* ut pariter suo loco demonstrare curavi. Et sicuti juxta Angelicum reatus illius peccati vere obfuisset post mortem corporis, dolorem afferendo: fateor me has Divi Augustini, & Divi Thomæ doctrinas se ad invicem destruentes conciliare nescire; nec sapientum censuram pertimesco, si Sancti Augustini documentis magis condelectari, suaderique profiteor.

37. P. Fassonius e contrario Divum Thomam sequi gloriatur circa hunc articulum: sed aut fallit aut fallitur. Nam Doctor Angelicus nusquam & nunquam pronuntiavit beatas animas illas, quibus tam insignem doloris causam assignabat. At scriptor noster eas quidem num. 157. agnoscit *in doloribus a pœna damni productis*; num. antecedenti fatetur, *bona omnia* (quæ humano prorsus affectu illis communicaverat) *communis fuisse oblectamenta miseriæ*; non inficiatur num. 161. *damni pœnam quam dicimus, ipsam per se esse gravissimam*: attamen mirabili prorsus confidentia, & de suo propugnat, animas Sanctorum antiquorum tunc etiam fuisse BEATAS.

38. Falsam hanc esse beatitudinem ex dictis jam constat; nec Divus Thomas suppetias feret Patri Fassonio, quamvis hic non falsam, sed imperfectam appellaret hanc beatitudinem; quia Sanctus Doctor beatitudinem imperfectam in ista quidem vita, minime vero in separatis animabus, agnoscit. Non nova loquor, sed Patri Fassonio notissima: ipse enim sequentem textum Angelici n. 158. transcribit. „ Dicendum, quod beatitudo imperfecta, QUÆ IN HAC VITA „ HABERI POTEST, potest ab homine acquiri per sua naturalia, eo mo- „ do quo & virtus, in cujus operatione consistit. " Itaque donec meliora non proferat P. Fassonius, Divum Thomam non habebit Magistrum, nec in falsa asserenda, nec in imperfecta communicanda beatitudine animabus sinus Abrahæ.

39. Quis unquam expectaret, me ad Sanctum etiam Augustinum provocari a Patre Fassonio, extenuaturo pondus pœnæ damni, ne suam beatitatem collidat? Vidit ipse in Procemio Vindiciarum textum Sancti Patris, hujus pœnæ vim ita explicantem, ut suam opinionem

evel-

evelleret; quia „ *exulare a civitate Dei*, *carere tam magna multitudine dulcedinis Dei*, *tam grandis est pœna*, inquit S. Pater, *ut ei nulla possint tormenta*, *quæ novimus*, *comparari*. Carpit P. Fassonius verba sequentia, *si illa* (pœna damni) *sit æterna*, *ista autem* (ideſt tormenta, quæ senſus dicimus) *ſint quamlibet multis ſæculis longa*. „ Hujusce „ pœnæ gravitas, subdit P. Fassonius, tanta eſt, si illa ſit æterna; „ secus ſi ceſſabit, finemque habebit. Tunc enim multo minus af- „ fert moleſtiæ, præſertim cum propter ſtabilem, certamque ſpem „ Dei præſtituto tempore poſſidendi, ac fruendi magno animus gau- „ dio compleatur. Quod cum ita eſt, ſic exiſtimes velim, ejus pœ- „ næ atrocitatem maximam eſſe, & ſupra quam cuique credibile eſt, „ in ſceleratis & impiis, quibus etiam ſupplicia apud inferos admo- „ ventur; longe minorem in bonis qui in Purgatorii cuſtodias inclu- „ duntur; multo adhuc leviorem fuiſſe ac mitiorem in piis, qui in „ beatis illis Abrahami ſedibus adventum divini Filii expectabant. „ Hi enim non *jucundiſſima* ſolum ducebantur ſpe, Dei ſe adſpectu, „ qui beatam efficit & complet vitam, primo quoque tempore frui- „ turos, ſed multis etiam *bonis*, *ſolatiis*, *oblectamentis* utebantur, ut „ propterea *vitam tranquillam*, & *quietam*, nec *omnis felicitatis* exper- „ tem traducerent. "

40. Verum hæc P. Faſſonii interpretatio adeo a recta ratione diſſentit, ut nil magis. *Exulare* enim *a civitate Dei*, *carere tam magna multitudine dulcedinis Dei*, communis eſt pœna, quamdiu durat, tum iis qui ad tempus, tum iis qui in perpetuum eadem privari meruerunt. Et quamvis iſtis accedat deſperatio, illi vero bona ſpe ſuſtententur, æque tamen privationis onus utrique portant. „ *Illa namque* „ viſio Dei, teſte S. Auguſtino, tantæ pulchritudinis viſio eſt, tan- „ toque amore digniſſima, ut ſine hac *quibuslibet aliis bonis* prædi- „ tum atque abundantem, non dubitet Plotinus *infeliciſſimum* di- „ cere. "

41. Revera P. Faſſonius non diſſimulavit hunc textum, ſed vel mendoſa, vel nuda verba erant apud eum. Ideo ſecurus pronuntiavit, animas ſinus Abrahæ, licet viſione Dei prohibitas, jucundiſſima tamen ſpe ductas, & inſuper multis etiam bonis, ſolatiis, oblectamentiſque uſas fuiſſe; ut propterea vitam tranquillam, & quietam, nec omnis felicitatis expertem traducerent. Perperam itaque S. Auguſtinus infeliciſſimas dixit viſione Dei orbatas, perperam docuit quælibet alia bona maximæ illius infelicitatis veritatem lenire non poſſe. Quem potius ſequamur? Aſt ego Sanctum Auguſtinum eligo, qui rectæ rationis ductum in Plotino laudavit; nec unquam certe ſcriptori noſtro plauſiſſet, qui dum confitetur *eas pœna damni* licet *leviori* affectas, interim tamen *beatas* decantare non dubitat. Etenim prætermiſſa etiam aperta pugna verborum; ut eorum perverſa ſententia mentem attingat Patris Faſſonii: fingat quæſo hominem eſurientem, illumque interim ſepiat quibuſcumque aliis tum reliquos ſen- ſus,

ſus, tum animæ deſideria mulcentibus oblectamentis; ipſum mox interroget num ſe beatum exiſtimet ? Nec dubitet quin ab Eſau mutuaret voces plorans clamando: *Da mihi de coctione rufa..... En morior, quid mihi proderunt primogenita?* (Gen. 25. 30.)

42. Quid ſi quiſpiam illi pro pane ſcorpionem offerret? Pejora tamen propinat eſurienti P. Faſſonius, qui textus ſuſcipit dicentes, *Draco jam devoraverat, mors abſorbuerat* ſanctas animas illas, quas nihilominus in ventre diaboli & mortis, & in lacu ſine aqua jubet eſſe beatas, quietas, tranquillas, nec omnis felicitatis expertes. Ita porro vocabulis omnibus nativa vis eripitur, ne quid pax aut quies aut tranquillitas denique ſit amplius percipiamus; immo etiam notiſſimo Axiomati præſcribitur: *Qui beatus non eſt, miſer & egens eſt*, quod ſuo loco ex Sancto Auguſtino verum eſſe monſtravi.

43. Sed de re Theologica cum Profeſſore Theologo, theologice diſſeramus. Deus eſt unicus, conſtans, & ultimus finis cujuſcumque rationalis creaturæ, ideoque eſt unica, conſtans, & ultima cauſa ejus beatitudinis, gloriæ, quietis, felicitatis, & denique omnium bonorum: idque fit viſione, manifeſtatione, communicationeque eſſentiæ ſuæ ad capacitatem & meritum ejuſdem creaturæ. Hac viſione &c. in perpetuum ſublata, creatura infeliciſſima fit abſque fine, ſicuti dæmones, & reprobæ animæ: hac viſione &c. dilata, creatura fit infeliciſſima ad tempus, ſicuti animæ purgantes, atque etiam viatores ad illum intenſe anhelantes. Nullum creatum bonum huic infelicitati mederi poteſt, quia nulla creatura ſuperior anima eſt, quæ idcirco a quibuſcumque creaturis perfici non poteſt, ſed a Deo, in eoque ſolo conquieſcit & plena fit.

44. Qui igitur ſapienter in hac re meditatur, inveniet, ſpiritus damnatorum duratione pœnæ, & deſperatione ſalutis vincere conditionem purgantium animarum; intenſione tamen afflictionis illos ab iſtis vinci, ob vim affectuum, quibus tendunt in Deum. Neceſſario enim damnati amant Deum naturæ auctorem, naturæque perfectionem ac plenitudinem. Quia vero ab eodem alienantur ob vitium inhærens peccati, quod naturam bonam convertit in malam, eamque in malitia detinet: Deum ipſum, utpote conſervatorem, punitoremque naturæ, oderunt quam maxime. Itaque illorum in Deum amor impio odio miſcetur, in iram convertitur, & deſperatione terminatur; ac propterea eorum intima tormenta eo magis a perfecta intenſione diſtant, quo magis a turbidis, vilioribuſque affectibus efficiuntur.

45. E contrario animæ juſtæ in Purgatorio degentes, Deum perfecte diligunt ut bonum unicum, & bonum ſuum, atque ab hoc amore ceſſare non poſſunt; intimas immo pœnas ſuas ab abſcondito ejus vultu manantes ſanctis acuunt deſideriis, & humili punientis juſtitiæ laudatione, donec propriis cruciatibus ita detergantur, ut ſummi Boni conſpectu fiant dignæ. Quo igitur rectiori, conſtanti, nobilio-

liorique via ad Deum diriguntur, eo intensiori pœna ex ejus occultatione exercentur. Intensiori, inquam; quia ab eodem Deo per Spiritum Sanctum excitantur in eis gemitus illi columbæ, quibus misericordiam suam deprecantur, ut tantæ miseriæ finem imponat, ne diutius in tam violento statu perseverent, & ab aperta veritatis sapientiæque contemplatione divulsæ.

46. Æstimet P. Fassonius si potest, vel quantum potest, quo acutiori tormento agerentur animæ sinus Abrahæ, quæ puriori conscientia conjunctæ Deo, si interim a fruitione prohiberentur vultus illius? Æstimet conditionis hujus violentiam, quæ sine ulla intermissione fertur in Deum absconditum (amor quippe vacare non potest), & quantum homini licet, intelliget, cruciatum istum respondere lætitiæ speratæ, ideoque nonnisi vehementissimum posse censeri. Hæc quippe miseria cordi inhærens ob violentum, sanctum, & supernaturalem appetitum consequendi Deum, in quo solo felicitatem omnem & plenitudinem pacis anima expectat, quiescere non potest nisi revelata communicatione ipsius Dei; qui proinde fames est animæ bonæ dum abest, satietas dum apparet, ipse suam sitim facit & refrigerium; ipse suas lacrymas & gaudium.

47. *Da amantem*, inquiebat S. Augustinus, *& sentit quod dico: da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem: da talem, & scit quod dico*. (Tractat. 26. in Joh. num. 4.) Credo equidem Patrem Fassonium ex suomet experimento intelligere, quam grave sit carere visione Dei etiam in hac vita, homini qui beatam credit vitam, eamque præstolatur ac adipisci contendit. Ex suis igitur affectibus dolorem metiri incipiat animarum, quæ sciebant promeruisse Deum, & tamen sua interim facie fraudabantur; nihil præterea novi meriti hac angustia atque ardentibus desideriis valentes acquirere. Quod si nondum æstimare valet verba Augustiniana, quæ amantem animum interrogant, quæ tamen ab aliquo amante percipi posse sperabat Sanctus Doctor: ad ipsum confugiat P. Fassonius, ut sibi a Deo eam amoris vim impetret, qua ad frustratæ caritatis cruciatus assequendos idoneus evadat. Hanc quippe animi præparationem adeo necessariam agnovit Sanctus Pater, ut statim subdat: *Si autem frigido loquor, nescit quid loquor*.

48. Inquiet fortasse Pater Fassonius, hunc amorem minime defuisse Sancto Thomæ, & reliquis, qui de statu animarum sinus Abrahæ locuti sunt, quin Augustinianam amplecterentur doctrinam, collocantes eas in conspectu Domini statim a morte, (ut Abraham &c.) ac propterea etiam sibi ab eadem licuisse discedere, quamvis legisset quæ in Plotino laudaverat Sanctus Augustinus. At quod huic amori opponitur, nec unquam in amantis animum veniet, est, quod animæ sanctitate conspicuæ, sine doloris sensu privationem visionis Dei sustinerent, immo ab homine multis interim oblectamentis ornentur, bea-

tæ-

tæque habeantur. Hoc nullus asseruit ex scriptoribus antiquis a Patre Fassonio citatis: proindeque illorum a Sancto Augustino dissensio circumscribitur peccato saltem originali, quod illi nondum deletum putabant in spiritibus antiquorum justorum, quos ideo in carcere, in tenebris, in vinculis, & sub potestate mortis ac dæmonis esse volebant. Itaque ab hoc amore ducebatur S. Augustinus, quum vultum Dei illis plene justis impertivit, & beatos dixit. Eodem amore ducti sunt ceteri, qui scientes pœnam necessario ab hac privatione manantem, & reatus permanentis effectus, illos dolentes fuisse scripserunt. Sed Pater Fassonius neutri adhæret sententiæ, quamvis sono verborum utrique plaudere satagat. Nam Sancto Augustino assentiri videtur, quum eas *beatas* prædicat, Divum vero Thomam sequi, quum *aliquem dolorem* ipsis attribuit: ipse tamen tertium adornat doctrinæ genus, quod nec suo proposito, nec rectæ rationi, nec communi hominum sensui respondet; beatitudinem nimirum excogitans doloribus commixtam; sanctitatem, & summam innocentiam culpa insita minime vacantem; felicitatem denique, quæ sit non integra, sed *pars felicitatis*; quæ omnia nunquam confirmare valebit illorum Patrum dictis, aut rectæ censura Philosophiæ. Aut enim beatæ erant juxta S. Augustinum; & perperam eis tribuuntur dolores: aut dolentes plorabant juxta Divum Thomam, & nunquam ab amante dicentur quietæ, tranquillæ, lætantes, beatæ.

49. Enimvero fontes hujusce falsæ beatitudinis a P. Fassonio indicati, dolorem certissimum continent, & quietem eliminant. „ Primum quippe, ait ipse, magnam illis suppeditabat oblectationis & „ gaudii copiam, firma omnino ac stabilis spes Dei aliquando tan„ dem videndi, & perfruendi (num. 145.). Num spem illam P. Fassonius auferet animabus in Purgatorio degentibus? Quæ spes, si oblectationis & gaudii copiam suppeditare valet: quomodo Purgatorium erit lacus sine aqua, ubi, ut Glossa explicat, teste Divo Thoma, nulla eas (animas) misericordia refrigerabat? Et si quidem vult P. Fassonius oblectationem & gaudium enasci ab ea spe, quatenus desperationi opponitur damnatorum: non dissentio. At si supponit oblectationem hujusmodi, & gaudium vincere pondus privationis possessionis ipsius Dei cogniti atque dilecti: cum Sancto Thoma respondeo, privationem illam causare dolorem; & cum Sancto Augustino explico, dolorem illum adeo esse vehementem, ut infelicissimam animam efficiat. Doctrinam hanc uterque bibit de fontibus Salvatoris: Scriptura quippe spem agnoscit cum afflictione conjunctam, quum ait, *Spes quæ differtur affligit animam*; idque veros & certos parturit purgantium animarum cruciatus; quia fames & sitis earum inextinguibiles sunt, donec panem cœlestem non manducent, & fontem aquæ non bibant salientis in vitam æternam. Aut igitur Purgatorium evacuabitur, & regio erit non doloris, sed pacis, ob spem certissimam animabus inhærentem; aut spes, licet certissima, videndi aliquando

Deum, animas cruciat, donec re compleantur. Propterea prima causa beatitudinis, quam P. Fassonius tribuit animabus sinus Abrahæ, in veram convertitur, legitimam, & pro earum amplioribus meritis, vivaciorem causam miseriæ.

50. „ Ad gaudium ductum ex spe, accedebat, inquit P. Fassonius „ num. 148., status, quem dicimus gratiæ, in quo animi versaban„ tur, oblectationis idem fons, jucunditatisque perpetuus. " Primo respondeo cum Sancto Augustino, animam, quæ in statu gratiæ est, habere quidem propitium Deum, sed miseram adhuc esse & fore donec ipsum consequatur, quem quærit: Nam qui bona vult & non habet, miser est, atque item si ea quando vult, & quamdiu vult non habet. Secundo peto a P. Fassonio, quomodo in statu gratiæ erant, si ipse de illis spiritibus scribere non dubitat, quod *nativa adhuc & insitæ culpæ irretiti erant?* Si autem istius sententiæ immemor, denuo illis tribuere *summam innocentiam:* doceat Sanctum Augustinum, quomodo sub justo dominatore Deo vel levissima pœna creaturæ rationali a quocumque possit infligi, quæ non sit pœna peccati? Itaque quia teste P. Fassonio (num. 4) *nihil ipsis luendum, aut expiandum supererat:* nullo vel levissimo dolore poterant plecti ab justissimo Deo.

51. Hæ sunt duæ supernaturales causæ beatitudinis, quam in animabus sinus Abrahæ commentatur P. Fassonius absque visione Dei: ceteræ naturales sunt, ac proinde infirmiores. „ Non mediocrem vo„ luptatem, inquit ipse, ex societate reliquorum piorum, perpetuo„ que cum illis usu, & consuetudine capiebant. „ Verùm si omnes, juxta Divum Thomam, ex non sincero sermone (137. de Tempore) Sancti Augustini, quem etiam adversarius meus adoptavit, miserabili obsecratione lacrymabantur, & flebant, Deum præstolantes occultum: nescio an auctor noster hujusmodi amicorum corona delectaretur in terris, seque cum illis appellaret beatum. Fortasse dubitavit, ne hujus beatitudinis appareret infirmitas, ideoque (num. 154) meliorem quamdam sortem pollicetur, dicens: „ piorum ani„ mos ex Angelorum quoque conspectu magnum solatium reportasse, „ quorum perpetua consuetudine, & commercio utebantur. „ Mitto quæstiones non ignobiles, quæ in hoc articulo possent promoveri, & cum Sancto Augustino interim respondeo: *Non enim beatus efficeris ex Angelo tu sed unde Angelus, inde & tu.* (Tract. 23. in Joh. num. 5)

52. Ita chimericas istas causas naturalis beatitudinis rejicio, quam Sancti Augustini discipuli in separatis animabus nunquam agnoscent, & cum saniore Theologia convenire non posse recte contendunt. Cui Fassonianæ beatitudini adstruendæ, nihil certe apud Catholicos homines proficient profanorum Philosophorum sententiæ, quibus adeo delectatur adversarius meus; qui tamen si attente perpendet felicitatem, in qua ethnici scriptores vivere putabant heroum & proborum ani-

animas in campis Elisiis, immo etiam in Cœlo: fortasse ipsum de sua beatitate Christi servis, atque amicis attributa, pudebit. Repugnat enim rectæ Philosophiæ beatitas cuicumque dolori commixta, nec ulla hominum quorumcumque auctoritas hanc infirmare valet cognitam patentemque veritatem.

53. Hoc dico, ne P. Fassonius putet causa me cecidisse, quia nonnulla verba clarissimorum Patrum ipse demum proponit, in quibus perversam hanc beatitudinem traditam arbitratur; atque ideo nonnisi temere a me respuendam. „ Neque enim, docet Sanctus „ Augustinus, quorumlibet disputationes quamvis Catholicorum, & „ laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debe„ mus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur „ hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si „ forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino „ adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in „ scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. (Epist. ad Fortunat. 148. alias 111. n. 15.) Pari facultate sæpissime utitur P. Fassonius, & pauci sunt scriptores ab ipso citati, licet alioqui magni nominis, in quibus aliquid culpandum, corrigendum, expoliendum non inveniat, atque efferat. Ego vero pusillus nunquam in re de qua agimus, a priscis & multæ auctoritatis, tum etiam sanctitatis viris discedere ausus essem, nisi dux æque magnus, æque antiquus & sanctus, immo etiam ceteris omnibus acutissimus me præcessisset; qui tum rationibus, tum auctoritatibus, tum rerum ipsarum experimento monstravit, beatitudinem & miseriam in uno simul homine habitare non posse.

54. Quamobrem, si SS. Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus atque Ambrosius vere docuissent, ut alibi forte non bene contendit P. Fassonius, animas sinus Abrahæ in carcere, in vinculis, in privatione denique Dei fuisse usque dum Redemptor ad eas illinc eruendas descendit: Patres ipsi secum pugnarent, si easdem animas una simul lætantes & in beata quiete docerent, ut nunc ostendere aggreditur auctor noster. Texus exscribo ex ejus capite XII. *Lazarus pauper*, inquit S. Hieronymus, *in Sinu Abrahæ recipitur, & tanto Patriarcha parente lætatur*. Quis credat Sanctum Doctorem putasse, Lazari lætitiam in contubernio Abrahæ ita finitam, ut licet possessione Dei privaretur, illius tamen præsentia beatus fieret? Num ignorabat quod ex Sancto Augustino retulimus; *Non enim beatus efficeris ex Angelo tu, sed unde Angelus, inde & tu?* Verum si diversa illum tenuisset opinio: improbum ne foret ab eo in hoc articulo discedere, atque in sinum acutissimi Augustini convolare; ne opinemur, quod Abraham miser causa veræ lætitiæ egenti Lazaro fieret; aut beatus uterque mentibus nostris appareat, licet universa cœli militia stiparentur, donec Dominum gloriæ non adspicerent?

Qq 2. 55. Ac-

55. Accedit S. Hilarius in hæc verba. *Æterna Dei testimonia Lazarus pauper expectans, & Abrahæ sinu continetur, & miseriam vitæ laboriosæ beatæ quietis bonore demutat*. Quis divinabit quo sensu accipiat P. Fassonius tum illud *Lazarus expectans*, tum *beatam quietem*, quam legimus? Sed præstat locum integrum rectis hominibus proponere, ut ex ommissionibus Patris Fassonii manu tangant, eum non veritatem sectari, atque proponere, sed umbras verbulorum aucupari, ad lectorum animos artificiose occupandos. Explicabat Sanctus Pictavorum Episcopus textum Psalmi Davidici *Æquitas testimonia tua in æternum, intellectum da mihi & vivam*, & ait. „ Non contentus est „ (David) Dei testimonia in præsens tantum æqua & æxstimare, „ & exspectare: æquitatem eorum *in æternum* sperat, & per *superio*„ *res tribulationes & angustias* obtinere ea, quæ *æterna sunt* nititur. „. Utque intelligatur Sanctum Regem firma fide exspectasse præmium æternum statim post mortem: Sanctus Hilarius exemplum proponit status, quem sortiuntur statim a morte tum animæ res æternas credentes, tum illæ, quæ hac fide minime vivunt, inquiens. „ Nihil „ *æternum* esse *dives* ille evangelicus existimans, *beatitudinem* præsen„ tem suam, *pœnali morte* mutavit. *Æterna* autem Dei *testimonia La*„ *zarus* pauper exspectans, & Abrahæ sinu continetur, & miseriam „ vitæ laboriosæ, *beatæ quietis* honore demutat. „ Numquid honorata quies haberi poterit a P. Fassonio dominatus mortis & diaboli? Sed paucis. Si illud *cruciaris* diviti dictum in Evangelio, perfectam indicat ejus pœnam, qua majorem opperiri non poterat in statu animæ separatæ: ita illud *consolatur*, quod de Lazaro S. Lucas refert, perfectam illius spiritus indicat beatitudinem. Aliter nec inferni, nec paradisi veritatem Evangelica historia comprobaret; atque omnia subvertuntur.

56. Sed Sanctus Hilarius, ut etiam tardiores erudiat, divitis terrenam beatitudinem pœnali morte compensat, quo modo miseriam vitæ laboriosæ justi Lazari beata quiete, & honorata commutat. Itaque si dives vere in inferno cruciabatur ex tunc pœna damni, nimirum carentia visionis divinæ: etiam Lazarus in sinu Abrahæ ea donabatur consolatione, quæ vitæ anteactæ meritis respondet, & a visione Dei efficitur.

57. Spero P. Fassonium haud amplius de hac re fore dubitaturum. At certe non dubitabat David superioribus tribulationibus & angustiis suis, immarcescibilem, gloriosamque mercedem consecuturum. Ecce quid adjiciat Sanctus Episcopus. „ Horum (testimonio„ rum) intelligentiam Propheta orat, donum scilicet inter multa „ dona præcipuum *spiritualium gratiarum*, & per eam se *vivificari* „ deprecatur. Sicut enim nunc *in præsens* testimonia Dei & manda„ ta meditatur: ita exspectat *æterna*: & sicut *vivit corporis vita*, ita „ & per intellectum, quem a Deo acceperit, ut *æterna gloria* vivat.,

„ ex-

„ expostulat . „ (in Psalm. 118. num. 10.) . Rapiat, si potest, P. Fassonius hanc spiritualem *intelligentiam* animæ David post discessum a corpore : rapiat si valet ejus spiritui *gloriam æternam* ex hac intelligentia revelata manantem; & fingat adhuc , vel Sanctum Regem eam non speravisse , vel talem speravisse , quæ cum vel parvo dolore posset copulari ; vel Sanctum Hilarium velut doctorem efferat tam distortæ sententiæ suæ.

58. Tertius est S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus , ex cujus scriptis , quasi præcursor fuerit opinionis suæ de falsa beatitate piorum in sinu Abrahæ, sequentia eligit Pater Fassonius . Explicaturus S. Doctor totum Christi de eodem Lazaro & divite sermonem, his verbis exorsus est . *Narratio magis quam parabola videtur , quando etiam nomen exprimitur. Non otiose autem hic divitem Dominus perfunctum deliciis secularibus in perpetuæ famis apud Inferos constitutum significavit ærumna . . . . . Lazarum vero in Abrahæ gremio , quasi in quodam sinu quietis & sanctitatis recessu , locavit : ne illecti præsentium voluptate maneamus in vitiis, vel tædio victi laborum dura fugiamus .* Lectori attento atque moderato , recta statim videbitur consecutio ab antecedentibus rerum circumstantiis , tum etiam ex regula contrariorum enascens ; quod sicuti dives in mundo satur *perpetuam* famem invenerat apud inferos, ita pauper in terris esuriens, perpetua satietate frueretur in sinu Abrahæ ; sinu, inquam , sanctitatis , & quietis, a quo ideo omnis culpa , omnisque molestia necessario exulabat . In mente vero P. Fassonii non modo sanctitas sinus Abrahæ integra non est , quia culpam invenit illis insitam animabus ; non modo quies vera non est, cui aliquem dolorem ipse commiscet: sed contra apertam mentem S. Doctoris , cujus usurpat auctoritatem , temporariam fingit quietem illam atque animæ esurienti tribuit beatitatem .

59. Vanæ tamen istæ excogitationes ab ipsomet celebri Doctore in eodem loco multis rationibus vincuntur . Immo mirari subest , quod homo noster, qui veluti ex S. Ambrosii auctoritate hæc spargit in vulgus , laborem fugerit brevis lectionis, unde vera scribentis mens elucet, & sua inversa interpretatio lippis etiam oculis detegitur. Scilicet S. Ambrosius, in capite 70. libri 7. super caput XVI. Evangelii Sancti Lucæ , juxta antiquam editionem meam Basileæ anni 1492. ; postquam ostendit quamdiu Lazarus ex Fide viveret, quantumque præmium a misericordiæ Domino præstolaretur , *fœneratam* , inquit, *mercedem accipit , cui compensatio exuberantium copiarum, & perpetuitatis usura est*. Exuberantes itaque copiæ, perpetuitatis usura, compensavere servo Dei temporales tribulationes vitæ suæ. Legat P. Fassonius, non mentior, nihil abscondo , quia veritatem sincere in scriptoribus diligo. Perpetua & exuberantia bona Lazaro largitus est Deus ; ideo illum Angelis stipatum in sinu Abrahæ deductum dixit in Evangelio . Quies Patris Fassonii nec vera est , nec per-

perpetua. Attamen vera, & perpetua est penes Sanctum Doctorem, qui paucis lineis interjectis, ita exclamat. *O felicia ulcera, quæ perpetuum excludunt dolorem. O uberes micæ, quæ repellitis jejunium sempiternum!*

60. At, inquiet P. Fassonius, nec dolorem perpetuum nec jejunium sempiternum sanctis attribuo sinus Abrahæ, quos immo dico per descendentem Christum & a doloribus, & a fame liberatos. Legat ergo sequentia, quæ tales cavillationes corripiunt, *O micæ uberes; quæ colligentem pauperem* AETERNIS *expletis* ALIMENTIS. Æternis inquit S. Ambrosius, æternis S. Hilarius, ideoque perpetuis ac sempiternis; & juxta S. Augustinum, *tunc incipiunt æterna, cum hæc mutabilia cessant.* Vel itaque scriptores sanctissimi atque acuratissimi veluti temporariam inspexere pœnam divitis, quamvis eam *perpetuam* dicerent, & tunc inferi erant exinaniti: vel si perpetuum, sempiternum, æternum etiam apud grammaticos rem indicat sine ullo fine, ac mutabilitate: talis erat felicitas, faturitas, & consolatio animæ etiam pauperis Lazari; nec talis esse poterat sine participatione, manifestatione, fruitioneque ipsius Dei, qui sanctitatis est auctor, & unica justorum merces solus æternus, & faciens & largiens æterna.

61. Cur quæso ista tam præclara tam præsentia sibimetipsi invidit Pater Fassonius, cur lectoribus suis abscondit? Fortasse ut brevitati consuleret? Verum si hanc amabat, moles libri sui multo contractior facile evasisset, resecatis frequentibus, licet eruditis, digressionibus, nihil cum nostro argumento habentibus consortii. E contrario nemini prudenti ac docto, antiquorum sapientum dicta, licet prolixa, tædio sunt aut labori, dummodo faciant ad rem; delectant quippe simul & instruunt, non sonantium vocularum vacua congerie, sed argumentorum nobilitate, & pondere auctoritatum. Utinam quam auctor noster in Sanctis Hilario atque Ambrosio citandis adhibuit parsimoniam, eadem usus esset in transcribendo sermone attributo Sancto Johanni Chrysostomo, de quo infra pauca loquemur.

62. Interim textum istius Ecclesiæ Græcæ Doctoris, quem tertio loco in rem suam adducit P. Fassonius, proferamus in medium; & nullus dubito, quin lectores proximè dictis satis imbuti, continuo detegant quanta cum illusione auctor noster Sanctorum scripta percurrat. De Lazaro agit eloquentissimus iste Episcopus, & in Concione 2. num. 1. hæc habet. *Vidistis illum in vestibulo divitis, videte eumdem hominem in sinu Abrahæ, vidistis illum cum a canibus circumlingeretur, videte eumdem Angelis stipatum: vidistis illum in paupertate, videte nunc eumdem* IN DELICIIS, *vidistis illum in fame, videte in multa rerum* AFFLUENTIA, *vidistis illum certantem, videte* CORONATUM, *vidistis labores, videte* PRAEMIUM, *quotquot estis vel divites, vel pauperes.* Inspiciamus nunc quid ex istis, atque aliis supra,

pra recitatis Patrum magnificis circa Lazarum promiossinibus inferat P. Fassonius. „ Itaque & divina Lucæ auctoritate (qui Lazarum „ *consolari* dixit), & perspicuis Patrum testimoniis inducti fateamur „ necesse est, pios in sinu Abrahæ habitantes, etsi Dei non fruerentur præsentia, multis tamen adjumentis, atque solatiis sublevatos fuisse. Ab his autem initiis Theologorum nostrorum manavit opinio, qui aliquam eisdem piis felicitatis partem, nedum quietem, tranquillitatem vitæ, libentissime impertiunt. „

63. Visio ergo & fruitio Dei velut aliquid indifferens animabus separatis Sanctorum consideratur a Patre Fassonio, multis illas donante adjumentis ac solatiis, demum etiam quiete & tranquillitate, nec non aliqua felicitatis parte, quamvis hac visione privatas. Verum si *ex parte* tantum eas felices agnoscit, si *sublevatas* confitetur: nonne beatitudini suæ angustias sponte commiscet, atque indigentias? Si vero, licet quietæ & tranquillæ nondum erant felices; quies & tranquillitas sine felicitate fingitur; ideoque e converso felices animæ dari poterunt, quin tranquillæ sint & quietæ. Ita profecto paralogismis, immo etiam & pyrronismo latissima via sternitur; a qua tamen adeo distabat Sanctus Chrysostomus, quantum verba sua patefaciunt homini, qui libero animo eadem contemplari non renuat. Nisi enim præsentes Lazari deliciæ paupertati præteritæ, sicuti nomine, ita etiam effectu, adversantur; nisi rerum affluentia, fami; nisi corona certamini: Lazarus adhuc & pauper & famelicus, & in certamine ponitur, nec quid sibi voluerit Sanctus Pater verbis tam splendidis unquam assequemur.

64. Sed quid quæso sub vocabulo *coronæ* imaginabitur P. Fassonius? Num coronas inveniet servo datas, & ut hoc etiam honore redimitus in pristina servitute languesceret? Nonne corona triumphantibus imponitur ab eo, qui eorum merita hac exteriori significatione honorare constituit, ut deinceps præstantiores, excellentioresque in populo sint? Quid igitur proderat Lazaro corona sua, qui sub potestate mortis, & dominatu diaboli, testante Patre Fassonio, ad inferos transibat? Quis autem illum corona ornare valebat, etiam Angelis reverenda, nisi Deus? Quomodo autem tunc servilem adhuc personam, & dæmonibus subditam gestare poterat pauper; vel quisnam triumphus in Lazaro coronabitur, nisi quem de peccato, & de principe peccatorum vivens reportaverat? Nunc vero eidem principi illum submittere, licet Domino coronante, cui non videatur absurdum?

65. Sed D. Chrysostomum in eodem loco mentem suam uberius explicantem adeamus. Dormitionem Lazari comparat cum morte divitis: *Et hunc quidem*, inquit, *ceu vinctum educunt* (metuendæ quædam virtutes) *illum vero ut* CORONAM GESTANTEM *Angeli stipabant. Et quemadmodum eum qui prius in cavea multa vulnera acceperit, ac sanguine conspersus est, post* DIADEMATE *capiti addito, hi*

qui

qui ante caveam stant, susceptum multa cum laude domum deducunt; applaudentes, bene ominantes, admirantes. Sic & Angeli Lazarum tum deducebant. Propter hunc felicem hilaremque comitatum auditores suos hortatur S. Pater, ne propriis passionibus cedant, sed humanas vicissitudines firmo pede conculcent, ut momento instante profectionis a corpore, idem valeant præmium mente intueri, & re consequi, *quemadmodum hic Lazarus*, inquit, *semper erat in tolerantia, patientiaque, quapropter tanto cum HONORE deductus est.* Porro qui hac viva spe impellit Christifideles temporis sui ad coronam non diversum a Lazaro præmium nobis exspectandum docet, atque ideo non falsam sed veram beatitudinem Lazaro obvenisse credebat.

66. Et revera credebat, quia perpetuæ divitis esuriei saturitatem opponit indeficientem pauperis Lazari. *Ac post hæc*, inquit, *supplex dives factus est pauperi, atque nunc illius eget* MENSA, *illius qui dudum esuriebat ..... Breviter res commutatæ sunt, universi cognoverunt* (videtur excipiendus Pater Fassonius) *uter fuerit dives, uter pauper; quodque Lazarus quidem omnium fuerit* OPULENTISSIMUS; *ille contra omnium* PAUPERRIMUS; *quia*, ut post pauca addit, HONOR & CORONA (reposita est) *laboribus pro pietate susceptis.*

67. Idcirco ostendit divitis pœnam acerbiorem factam ex eo quia despectum quondam mendicum nunc fulgentem ditissimumque aspiciebat. *Quemadmodum enim illi* (Lazaro) *molestiorem reddidit cruciatum, quod in vestibulo divitis jacebat, quod videret aliena commoda: sic & huic graviorem reddidit cruciatum, quod in gehenna jaceret, quod Lazari videret* DELICIAS, *quo non solum natura suppliciorum, verum etiam comparatione* HONORIS *illius intolerabiliorem haberet cruciatum ..... & hunc e regione Lazari constituit, quo videret quibus* BONIS *seipsum privasset.*

68. Tolerabilior autem divitis cruciatus a Patre Fassonio efficitur, dum Lazarum sub dominatu dæmonis ponit, dum sitientem, famelicum, & in carcere constitutum scribit, ac quasi tota Ecclesiastica antiquitate auctorante; *egentissimum* asserere non dubitat. Hæc enim, quæ exteriora sunt, ignota esse non poterant diviti de longe aspicienti; & nemo putabit, quod circumstantes Lazaro dæmones, vultu, oculis, actibus benevolentiam suam significarent in servum invisum, cujus possessionem aliquando erant deperdituri. Quamobrem nec dives in Lazaro ita constituto cognoscere poterat quid amisisset, nec Lazarus ex tormentis divitis, sibi ipsi ex parte communibus, percipere, quæ mala tandem patientia sua, tolerantia, fide denique firma evasisset.

69. Si P. Fassonius quam citat Concionem de Lazaro secundam, legisset integram, a Sancto scriptore didicisset, pondus carceris, & sitis incommoda, quocumque alterius generis adhibito adjumento minime posse sublevari. *Qui tenentur in carcere*, inquit, *semper quidem dejecti mœrentesque sunt*. Et rursus: *Quemadmodum igitur eum*, qui

qui perpetuo sitit, *non dixerimus recte valere*, *etiamsi copia rerum afluat*, *etiamsi juxta fluvios & fontes accumbat*. Fortasse jocabitur adversarius meus in adverbio *perpetuo*, nihil æstimans superius adverbium *semper*, quod durationem significat, nimirum in carcere positos mœrentes esse dejectosque, donec hoc supplicio plectuntur. Sed Sanctus Antistes veram divitis sitim agnoscens, veram pariter aquam Lazari confitebatur, ex cujus stilla exoptabat dives linguæ suæ arentis refrigerium, quod numquam a sitiente expetivisset.

70. Necesse autem est, ut demum ab hisce humanis prorsus, infirmisque cogitationibus evadamus, nec famem, nec sitim, & tormenta divitis juxta rerum notarum ideas debili affectu pensemus. *Solet enim sancta Scriptura*, inquit S. Cyrillus, *ea quæ mentem excedunt*, *verbis nobis familiaribus significare*. (In expositione Symboli Niceni.) Conemur itaque cum Dei adjutorio, supra nos surgere; humiliter confitentes, supplicium divitis præter omnem nostrum cogitatum elevari; atque ideirco etiam Lazari consolationem Evangelicam, quamcumque nostram superare æstimationem. Audiamus S. Jo. Chrysostomum in Hom. 2. ad pop. Antiochenum. T. 5. p. m. 19. C. „ Qui dixit *Divitibus hujus sæculi*, demonstravit & alios futuri sæculi divites esse: qualis ille Lazarus erat, in præsenti quidem „ vita pauperimus, in futura vero dives: non auro, & argento, & „ ulla tali corruptibili & marcescibili materia affluens: sed arcanis „ illis bonis, quæ nec oculus vidit, neque in cor hominis ascenderunt. Hæ namque veræ divitiæ quando & immarcescibilia sunt „ bona, & nullam capiant mutationem. „

71. Itaque si darem Patri Fassonio, bona illa, quæ ipse in animabus sinu Abrahæ exagerat, nec carceris angustiis, nec tenebris, nec fame, nec siti durantibus, eliminari: fateatur ipse necesse est, non ea fuisse bona, quibus Lazarus consolabatur: ista quippe arcana bona sunt, quæ in cor hominis non ascenderunt; ista mutationem non capiunt ut vera sint. Vera igitur & immarcescibili corona redimitus pauper, arcanis bonis fruens, ea beatitudine potiebatur, qua majorem in statu animæ separatæ habere vel expectare nequibat, quia nullæ obnoxiam mutationi. Comparet ista P. Fassonius cum doctrinis, quas ipse a remotissima antiquitate accersivisse gloriatur; & cogitat D. Jo. Chrysostomum fidei suæ, ac fidei Ecclesiæ pervetustum esse, & idoneum testem; qui certè hæc tam aperta populo Antiocheno non propinasset, nisi antiquæ, probatæ, vigenti fidei responderent.

72. Sed numquid casu, & ardore orationis abreptus hæc prædicabat S. Pater? Metuo ne adversarius meus etiam istuc confugiat, ut alibi fecit. Sed non casu, non oratoriè, non perfunctoriè talia dixit eloquentissimus Doctor; quippe qui Lazarum docuit corona justitiæ ornatum, corona perpetua, quia ipsi a Deo imposita, atque id-

circo Angelicis ipsis virtutibus reverenda; unde nihil adversum & asperum, sed omnia lætissima experiretur. Adeamus illum in Concione tertia de hoc argumento, & discrimen Lazari & divitis ex ejus verbis discamus. „ Itaque vestrum uterque, inquit, nudus huc pervenit, ille peccatis, tu justitia: quamobrem & hic merum habet „ solatium, tu inconsolabilem sustines cruciatum. “ Propterea auditores adhortatur, Deum exorent „ ut omnibus hinc emigrantibus „ ita concedat illuc pervenire, ut non veniant in sortem divitis, sed „ cum Lazaro potiantur sinu Abrahæ, inque bonis immortalibus de„ licientur. “ Ista legat P. Fassonius, & postea clamet Chrysostomum e suis partibus esse; divum vero Augustinum ab institutione majorum in hoc articulo descivisse.

73. Multa prætereo, quæ præsentes conciones mihi offerunt pugnaturo cum P. Fassonio, veram præclarissimi Episcopi mentem obumbrare tentanti, tum ejus verba perverse intelligendo, tum abstinendo ab antecedentibus & sequentibus producendis, quæ mirum in modum demonstrant, quamdiu a recta via ipse aberraverit. Præstat tamen pro dictorum corona doctrinam Sancti Patris proferre, qua omnis in hanc rem dubitatio vel proposita ab adversario meo, vel ab aliis fortasse deinceps proponenda, plana fit, & opportuno lumine illustratur.

74. Postquam ostendit, malum non esse puniri in hac vita, sed peccare malum esse; nam hoc quidem a Deo separat, illud vero nos ad Deum recolligit, iramque ejus dissolvit: tria proponit auditoribus suis, scilicet, alios hic, alios illic puniri, alios tum hic tum illic. Exemplis in singulos articulos propositis, ostendit, quod hic inflicta pœna, liberat a pœna quæ illic est. „ Quin ex ipso Lazaro, „ inquit, hoc perspicuum est, qui etiamsi quid mali commise„ rat, hic abjecerit, itaque illuc purus abierit .... Porro non„ nullos esse qui hic quidem nihil molesti patiuntur, sed illic totam „ expectant ultionem, declaravit nobis hic dives, inconsolabilem „ perferens cruciatum, ac ne minimum quidem refrigerii consequens, „ eo quod illic illi tota vindicta fuerit reservata. Quemadmodum „ igitur in his qni peccant, ii qui nihil hic acerbi patiuntur, illic „ majorem sustinent cruciatum: sic inter eos, qui recte faciunt, qui „ multa patiuntur in hac vita molesta, illic multo potientur hono„ re ..... Et horum testis est Lazarus ..... Rursum si videris ju„ stum affligi, aut omnia quæ dicta sunt perpetientem, ne consterneris animo. Nam & illi res acerbæ splendidiores reddunt CORO„ NAS .... quia nemo *coronatur nisi qui legitimè certaverit*. „ Itaque corona justitiæ, corona puritatis, corona patientiæ, quam Lazarus vivens promeruit, qua moriens exornatus est, id præstare debebat, ut merum solatium gustaret, ut immortalibus deliciaretur bonis ut multo potiretur honore, ut opulentissimus fieret statim a morte: non ut aliquem dolorem cum falsa haberet beatitudine conjunctum; aut duran-

durante privatione visionis Dei, qui unica & vera beatitudo est, solatiis tamen & adjumentis sublevaretur, prout Patri Fassonio placet asserere ex non satis perpensis auctoritatibus Sanctorum Jo: Chrysostomi, Ambrosii, atque Hilarii diligentius a me examinatis, & juxta verborum sinceram vim expositis.

75. Ne vero existimet P. Fassonius, nihil me ex scriptis S. Hieronymi posse proferre, quo infirmitas appareat sententiæ suæ: hunc etiam Doctorem adeamus in eis ipsis locis, unde ipse quasi palam triumphans, nonnulla transtulit in librum suum. Audiat igitur illum epist. 34. Julianum consolantem in orbitate suorum. Sed non paucis ego Hieronymi verbis contentus sum. Quum enim S. Doctor Julianum laudasset a constantia in morte filiarum & uxoris; ab eleemosynis, quibus in insulis Damatiæ monasteria extruebat, & multum sanctorum numerum suis opibus sustentabat, inquit: „ Nolo „ tantum ea offeras Domino, quæ potest fur rapere, hostis invadere, proscriptio tollere, quæ & accedere possunt & recedere, & instar undarum ac fluctuum, a succedentibus sibi dominis occupantur, atque ut uno cuncta sermone comprehendam, quæ velis nolis, in morte dimissurus es: illud offer, quod tibi nullus hostis potest auferre, nullus eripere tyrannus, quod TECUM pergat ad inferos, immo ad REGNA COELORUM; & ad PARADISI DELICIAS ... „ Felix & omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat servientem, quem extrema dies Salvatori invenerit militantem, qui non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta: cui in introitu PARADISI dicetur, Recepisti mala in vita tua, nunc autem hic lætare. Nec enim ulciscetur bis Dominus in eadem re. „ Divitem purpuratum gehennæ flamma suscepit. Lazarus pauper & ulceribus plenus, cujus carnes putridas lambebant canes, & vix de micis mensæ locupletis miserabilem sustentabat animam, IN SINU ABRAHÆ recipitur, & tanto patriarcha parente LÆTATUR. Difficile, immo impossibile est, ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem, & illic MENTEM impleat; ut de deliciis transeat ad DELICIAS; ut in utroque sæculo primus sit; ut in COELO & in terra appareat GLORIOSUS. "

76. Revera S. Jeronymus frustra excitaret Julianum, ut exemplo Lazari in Paradisi, & in Regni cœlorum spem contentionemque contenderet; frustra illi promitteret auditurum in introitu Paradisi, Recepisti mala in vita tua, nunc hic lætare: si Lazarus, quem dixit Abraham hæc verba excepisse, & rem iis indicatam, non in consolatione & lætitia, sed mœrens, & egenus apud inferos substiterit usque ad descensum Redemptoris. Imbecillitati meæ Hieronymiana verba hæc cum Augustinianis consentire videntur, quibus antiquorum justas animas sine mora beatas declaravit. Id nimirum jubent deliciæ Paradisi, id gloria in cœlo, id demum gaudendi ratio, quæ non externos sensus, sed MENTEM implet; id è directo opposita di-

ta diviiis damnati conditio; quæ omnia diligentioribus aperiunt, ſicuti iniquorum, ita & juſtorum antiqui teſtamenti æquam fuiſſe ſortem cum iis quos nutrit Chriſti Evangelium.

77. Immo conſideret P. Faſſonius quàm parum offenderetur Sanctus Hieroymus ſono vocis *inferorum*, dum Julianum admonet, ut illud offerat Deo, quod *ſecum pergat ad inferos*, quod tamen referri nullo modo poteſt ad corpus. Scilicet illud Juliani auribus ingratè ſonuiſſet, ſi fideles & recti inviſere inferos nonniſi in pœnali cuſtodia potuiſſent. Quamvis autem continuò S. Doctor adjiciat, immo *ad regna cœlorum, & ad paradiſi delicias:* ſemper tamen verum eſt, quod ınferos nominans, etiam poſt Evangelium promulgatum; & inferos promittens ei qui renatus erat in Chriſto, digniſque fulgebat operibus, quem præterea ſeipſum totum Chriſto in olocauſtum offerre perſuadere curabat: non inferos damnatorum, nec purgatorium Juliano proponebat, ſed inferos illos, in quibus dicit Lazarum in ſincera conſolatione fuiſſe, & in ſinu Abrahæ patriarchæ lætaıum. Ita nimirum me cogit S. Hieronymus intelligere, ſe numquam Lazarum apud inferos poſiturum, niſi ibidem pro malis bona reciperet, ſicuti dives pro bonis mala recipiebat; quia, ut ipſe docet, non ulciſcitur bis Dominus in eadem re: ideoque eoſdem inferos etiam Julianum catholicum manere poſſe, in quibus amicos Dei paradiſi delicias experiri cenſebat, recta ratione ductus, & Evangelica auctoritate.

78. Propterea non Apoſtolorum, non Martyrum exempla proponit Sanctus Doctor: ſed Julianum patientiam diſcere imperat & fortitudinem a beato Job, imitari ſuadet paupertatem Jacob patriarchæ, qui nudus in baculo pergit Meſopotamiam, jacet laſſus in itinere, lapide ad caput pro pulvillo utitur, & tunc gratiam conſecutus eſt videndi ſcalam de terra uſque ad cœlum, & aſcendentes per eam angelos, & deſcendentes, & deſuper innitentem Dominum, ut lapſis manum porrigeret, ut aſcendentes ſuo ad laborem provocaret aſpectu: mundi denique contemptum perdiſcere jubet ab Helia, qui ad regna cœlorum feſtinans, non poteſt iræ cum pallio, ſed mundi *in mundo veſtimenta dimittit*.

79. Quid quæſo puiat P. Faſſonius ſibi voluiſſe Sanctum Hieronymum, quum hanc pronuntiavit Heliæ feſtinationem ad *regna cœlorum?* Si me audire vult, percipiet his verbis delicias non ſpiritualis modo, verum etiam corporalis Paradiſi delicias a S. Doctore indicatas. Nam in textu, quem nunc examinamus, regna cœlorum, ac Paradiſi deliciæ ſe viciſſim explicant, atque idem præmium ſignificant. Ita vero ſignificant, ut nullum hominis artificium in tranverſum ſenſum eadem verba pertrahere poſſit. Si enim S. Doctor dixiſſet juxta Scripturas, Heliam in *cœlum* feſtinaviſſe, qui vivens adhuc, & cum proprio corpore raptus eſt: P. Faſſonius immemor ſcalæ, cujus culmen in viſione Jacob pertingebat cœlum, & ſuo nixus ingenio, contenderet cœlum non eſſe Paradiſum. Sæpius in libro ſuo

id

id dicere non dubitavit, ne pondere & vi hujus vocabuli, quo in hanc rem & Auguſtinus & Chryſoſtomus uſi ſunt, ſententia ſua opprimeretur; atque ut hoc ſubterfugio tantam declinaret auctoritatem. Sed ecce anguſtiæ non exſpectatæ etiam a S. Hieronymo imminent circa ejuſdem vocis vim. Nam cœlum, quo raptum Heliam ſcripturæ non ſemel docent, adeò verum cœlum erat Hieronymo, ut non ad *cœlum* dixerit, ſed ad *regna cœlorum* feſtinaſſe Sanctum Prophetam; regna vero cœlorum nullo pacto diſcernat a Paradiſi deliciis.

80. Itaque Julianus in præmium intendens ſancti Heliæ: verum cœlum, beatamque in Deo vitam bonis operibus propoſitam, & prophetæ jamdiu conceſſam intelligebat, quia Sanctus Doctor regna cœlorum paullo inferiùs deliciis explicat Paradiſi. Sed nec offendi poterat ex verbis *Illud offer, quod tecum pergat ad Inferos*; immo, exemplo Lazari ad omnem patientiam debebat incitari, ut idem præmium ſecundum animam ſolam interim promereretur. Quum enim vult S. Pater ſperare Julianum, ſe ad portas Paradiſi auditurum, Recepiſti mala in vita tua, ~~nunc autem~~ hic lætare: gaudium integrum Juliano promittit, quo Lazarus in ſinu Abrahæ conſolabatur, licèt apud inferos; atque ita nullum proprium diſcrimen aſſignat inter Paradiſum, & regna cœlorum, & ſinum Abrahæ, & inferos, in quantum erant ſpiritualia receptacula animarum ſanctorum, qui in oſculo pacis obierant, & Deo digni fuerant inventi.

81. Etenim ſi verba *tecum pergat ad inferos* opponerentur veritati *regni cœlorum*, ad quod jam feſtinaverat, & in curru igneo aſcenderat Helias: nihil ſolatii, nihil doctrinæ, nihil denique perſuaſionis Juliano accederet ex hac oratione ſe ipſam deſtruente. Chriſtianis nempe auribus inferorum nomen terribile atque inviſum eſt; & S. Auguſtinus multoties obſervavit, inferni nomen in Scripturis Dei nunquam in bonum uſurpari. Oportebat igitur, ut vox iſta in hac Hieronymi epiſtola ſenſum quemdam accommodatum ſuſcipere poſſet in mente Juliani, ita ut refrigerium Lazari apud inferos contineret veritatem regni cœlorum, & Paradiſi; utque Julianus intelligeret, animabus juſtis corpore ſolutis merum ſolatium, & ſincerum gaudium adeſſe ubicumque reciperentur.

82. Conſonant S. Joannis Chryſoſtomi verba in Hom. *de Divite*, „ *Paradiſus* pauperis, inquit, ſinus erat Abrahæ .... Dicat mihi aliquis, In inferno eſt Paradiſus? Ego hoc dico, quia ſinus Abrahæ „ Paradiſi VERITAS eſt: ſed & ſanctiſſimum Paradiſum fateor (Tom. 2. p. 1125.) Hic porro & ſpiritalem Paradiſum habemus & corporalem. Ad hunc Helias aſcenderat, in illo Lazarus lætabatur; uterque beatus pro ſua conditione.

83. Perfectum enim animæ ſeparatæ gaudium in Deo, & de Deo ſuo, exæquat conditionem Heliæ regni cœlorum delicias aſſecuti. Cui ſi interim exterius quodcumque gaudium ex corporis ſenſibus, corporeiſque objectis accedat: illud etiam triſte imminet, unde jam

evaſe-

evaserunt ceteri justi, nimirum ut ejus anima a suo corpore, quamvis brevi temporis spatio, separanda sit, in magna illa & extrema tribulatione, quam describit Apocalypsis S. Joannis capite undecimo.

84. Præter descriptum S. Hieronymi locum, me valde suadet circa felicem beatamque Sancti Heliæ in cœleste regnum susceptionem, ac præsentem habitationem, incomparabilis Sancti Vincentii Ferrerii auctoritas, cui Deus tale donum interpretationis sermonum largitus est, ut nullus post Apostolos Ecclesiasticus scriptor in hac re illi videatur anteferendus. Is in epistola ad Ferdinandum Aragoniæ Regem, mysticam interpretans mirabilemque Crucis apparitionem, quæ Guadalaxaræ acciderat, hæc habet: „ Quanto a' due Rami apparsi „ nel Braccio trasversale della Croce; indicano questi que' due gran „ Profeti Enoc ed Elia, che devono venire nel tempo dell' Anti„ cristo, i quali nella Sacra Scrittura sono figurati sotto nome di „ Rami, o Alberi nell'Apocalisse al Capo undecimo, conforme al „ Testo: *Isti sunt duæ olivæ, & duo candelabria, in conspectu Domini* „ *terræ stantes*. (Teol. Vit. S. Vinc. lib. 2. Tract. 1. cap. 13. pag. 254) Dum enim *stantes* dicuntur in conspectu Domini, illis ornati meritis, quæ lucentium candelabrorum, & olivæ vocabula in Scripturis designant: quis unquam dubitare potest eos interim beata Dei visione gaudere in cœlis, quo eos exaltatos toties annuntiant Biblia sacrata?

85. Num vero si præsens Sancti Heliæ conditio in regnis cœlorum, comparatur statui animarum in Limbo, queis aliquem saltem dolorem tribuit P. Fassonius, etiam ex mente, ut putat, S. Hieronymi: ipse me doceat, quid tandem meruerint Enoch, & Elias supra Abraham, Isaac, & Jacob, quorum non confunditur Deus vocari Deus eorum in æternum? Quod in istorum meritum palam excedit merita, licet magna, tum Enoch, tum Eliæ: rursus, si non erat difficile Deo consimilem saltem sortem impertiri tribus illis præclarissimis, quam hisce duobus donavit; denique si duorum istorum vita, ubicumque degant, felicior habenda est supra eam, quam vivebant in Limbis Abraham, & reliqui sinus ejus incolæ: non solum adversus veritatem adstruitur acceptio personarum apud Deum; sed Deus ipse veluti non æquus remunerator traducitur, quod Dominus noster semper avertat a mente piorum.

86. Hinc percipiat P. Fassonius quàm frustra fronti libri sui veluti sibi faventia insculpserit hæc verba Hieronymiana. *Si Lazarus videtur in sinu Abrahæ, locoque refrigerii, quid simile Infernus & regna Cœlorum? Ante Christum Abraham apud inferos, post Christum Latro in Paradiso*. (ad Heliod. in Nepot. Epitaph.) Conciliet ista primùm P. Fassonius cum iis, quæ ex consolatione ad Julianum mox ego in medium adduxi; & quoniam ad invicem pugnare videntur, discernat ipse, componat, explicet, eligat, & quæ demum vera mens S. Hieronymi fuerit patefaciat. Fateor tanti me non valere; quia omnia

nia perpendens verba illa, & quæ præcedunt, & quæ subsecuntur, obscuritate sententiarum augitur imbecillitas mea. Nec reverentiæ deesse puto magnis doctoribus debitæ, si suspicer, gravem animi perturbationem, qua S. Hieronymus inter ingruentes lacrymas, & fractam affectu desiderii mentem, epitaphium Nepotiani texebat, vetuisse, ne doctissimus senex satis perspiceret turbam quæstionum, paucis illis verbis a P. Fassonio laudatis, contentarum, neve difficultatibus sponte inde enascentibus diligentiùs provideret. Scilicet illa obiter scripsit, quæ nec valde erant necessaria vel commoda rei, quam ornandam narrandamque susceperat. Exactiora mihi visa sunt alia ad Julianum, quamvis festinanter scripta; quæ revera cum epitaphio Nepotiani sono quidem aliquantulum consentiunt, dissident tamen tota sententia.

87. Quidni igitur eligamus alium ejusdem S. Hieronymi locum, in quo pacatiori animo de sinu Abrahæ & mihi loquatur & Patri Fassonio? Legamus epistolam juxta editionem Romanam, qua utor, anni 1576. Marcellæ inscriptam; quam Muratorius ad Eustochium missam dicit *de exitu Leæ*. „ Nunc igitur, inquit, pro brevi labore „ *æterna beatitudine* fruitur, excipitur Angelorum choris: *Abrahæ fini-* „ *bus* consovetur, & cum *paupere* quondam *Lazaro* divitem purpura„ tum, & non palmatum consulem, sed atratum, stillam digiti mi„ noris cernit inquirere. O quanta rerum mutatio! Ille, quem an„ te paucos dies dignitatum omnium culmina præcedebant ..... ad „ cujus interitum urbs tota commota est; nunc desolatus & nudus „ ..... in sordentibus tenebris continetur. Hæc vero, quam unius „ cubiculi secreta vallabant, quæ pauper videbatur & tenuis, cujus „ vita putabatur amentia, Christum sequitur & dicit: Quæcumque „ audivimus, ita & vidimus in civitate Domini Dei nostri. „

88. Legere fat est, ut continuò sentiamus, historiam Evangelicam de divite & Lazaro a S. Hieronymo hic ad consulem, qui nuper cesserat fatis, & ad dormitionem Leæ ita adamussim accommodari, ut quod utrisque statim a morte contigit, Marcellam simul terreret, ac lætificaret, suis pene oculis conspicientem tantam rerum mutationem. Quia autem primo dixit, Leam æterna beatitudine frui, consequitur quod ejusdem beatitudinis explicatio sit *excipi Angelorum choris*, *Abrahæ finibus consoveri*, quod olim pauperi contigerat. Quum autem apud *pauperem quondam Lazarum* illam collocat, ne suspicemur eum a Lea nunc ibi inveniri, quò minimè migraverit moriens. Scilicet illa ad istum nunc is, & quo modo ille in sinu Abrahæ receptus, sic ista Abrahæ finibus consovetur. Demum oppositio migrationum, consulis quidem ad sordentes tenebras inferorum in siti perpetua, Leæ vero in civitatem Domini ad fontes aquarum, ubi videret quæ audiverat, & crediderat: hæc inquam migrationum oppositio, sicuti ostendit pœnam, nulla mora interposita, consuli redditam, & gaudium Leæ: ita demonstrat eadem mox forte punitum divi-

divitem, coronatum pauperem Evangelicum, a quorum exemplis ad sui temporis justos Hieronymus argumentatur.

89. Si P. Fassonius his non contentus, plura in Hieronymo desiderat hujusce doctrinæ testimonia, celeberrimum Muratorium adeat in utili libro suo *de Paradiso* &c. *contra Burnetum* cap. 22. Hunc ego librum meditasse desiderabam lectores, antequam ad exigua mea scripta descenderent; utpote quæ jam præcognitum supponunt quidquid diligentissimus vir in subsidium catholicæ veritatis adversus Britannum illum collegit, & protulit fide summa ex genuinis operibus illustrium Ecclesiæ scriptorum. Si id præstitisset P. Fassonius fide pari, ea, qua decet cura, atque animo inveniendæ ac consectandæ veritatis: numquam opus istud suum, veluti catholicæ fidei testimonium protulisset in hac magna quæstione. Quia si sinceris Patrum scriptis agere vult, nullum locum inveniet ea beatitudo, quam Sanctis tribuit in sinu Abrahæ ante descensum Christi, quin Dei vultu fruerentur; novos vero spectabilesque calculos adjici cognoscet beatitati Augustinianæ, quam antiquitati contrariam asserebat.

90. Fortasse videbit nunc, se præpropere tanta scripsisse; & lectores ex hoc brevi meo responso percipient, quanta ipse neglexerit in lectione Patrum, quos è suis partibus esse gloriatur. Satis enim mihi est si in eorumdem Patrum operibus appareat, eam requiem ab eis tributam fidelibus post Christum, quam ex Evangelio docuerunt assecutum Abraham, & Lazarum in sinu ejus ante Christi passionem. Id profecto scatet ex testimoniis Sanctorum Hieronymi, Hilarii, Ambrosii atque Chrysostomi, ad quæ me provocaverat adversarius meus, dum antecedentia, & proximè sequentia leguntur, meditantur, comparantur; & non verbulorum sonus, sed sententiæ pondus inquiritur & æstimatur. Puto comparem fore sensum ceterorum antiquorum, qui Lazari & divitis historiam ex Evangelica narratione explicare susceperunt. Tanta enim sunt Evangelistæ verba, tales circumstantiæ, adeoque vicissim strictæ respondentesque sententiæ, ut inferni veritas in supplicio divitis patens, nullisque obnoxia prudentibus dubitationibus, veritatem Paradisi in Lazaro detegat, atque confirmet, ac quibuscumque cavillationibus reddat majorem.

91. Qui vero scriptores vel Patres statum indagarunt tum justorum tum iniquorum hominum antiqui testamenti, quin ab hac firmissima, & præclarissima Evangelica auctoritate initium dicendi sumerent, & fundamentum: haud mirum si in diversa traherentur: & testimoniis aliud respicientibus uterentur ad definiendam sortem sanctorum in sinu Abrahæ, cujus sinus naturam non satis vel attenderent, vel haberent pespectam. Hinc ortas puto tam duras imprudentesque sententias, superius in unum a me collectas ex libro Patris Fassonii, præsumentis antiquorum sensum attingere in hac quæstione, & catholicis hominibus patefacere. Hinc fluxerunt perpetuæ istius

istius scriptoris antilogiæ, quum consolationem, quam ipsemet Christus Dominus Lazaro tribuit in sinu Abrahæ, explicare pertentat & conciliare cum dictis illorum, qui textum istum Evangelicum non veluti ducem, ut fas erat, elegerant cogitationum, orationumque suarum.

92. Revera quisque sapiens consentiet, non quoscumque textus, licet Scripturæ sacræ, qui de humani generis redemptione a Christo Domino operata locuuntur, applicari posse animabus, quæ tunc temporis de corpore exierant: sed quisquis de istis agere vult, & bene sapit, iis textibus uti debet, qui separatas animas peculiari modo pertingunt, & tum justorum, tum iniquorum spirituum sortem manifestant. Quem autem textum præclariorem, quem aptiorem Scripturæ ministrant, quam historia divitis & Lazari in Evangelio descripta? Porro tanta Sancto Augustino visa est, ut istinc præcipuè differentiam ostenderet conditionis justorum atque iniquorum mundo abeuntium; eamque tum sui, tum præteritorum temporum animabus fecerit parem. Hisce armis debellavit commenta Manichæorum, hisce astutias confregit Pelagianorum demonstrans unam fidelibus mercedem, unam infidelibus mortem ab initio mundi datam, & usque ad finem dandam esse a justo Domino universorum. Quia verò Augustinus nolebat concedere Pelagianis, aliud esse vitam æternam, aliud regna cœlorum, nunquam concessisset Patri Fassonio beatitudinem absque fruitione Dei in animabus justorum usque ad descensum Christi in inferos.

93. Neque enim S. Augustinus tam vulgaris doctor erat, ut comprehendere nesciret quid Christus Dominus ad inferos descendens, animabus justorum contulerit, si tunc primò sua eas præsentia fecisset verè beatas. Satis noverat, satis explicaverat nonnisi visione vultus Dei felicissimam effici animam, sicuti hac subtractione fiebat infelicissima. Frui verò animas hac visione, vel non, res erat quæ tantum Doctorem non facilè fugeret, de illarum statu loqui aggredientem. Attamen confidenter loquitur, se nondum invenisse quid Dominus descendens ad inferos contulerit animabus sinus Abrahæ, *a quibus eum*, inquit, *secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis numquam video recessisse*. Ab hac beatifica præsentia repetebat quietem, tranquillitatemque magni illius abditique secreti, quò Abraham fideles suscipiebat, qui ad instar Lazari in sinu suo consolarentur, satiarentur, lætarentur, & pro præteritis temporalibus tribulationibus bona æterna reciperent. Hic Augustino certissimus status erat sinus Abrahæ. Num verò locus ille, receptacula illa, sedes illæ justorum ad inferos pertinerent, quæstio nominis videbatur sublimi illi ingenio, qui Paradisum spiritualem inveniebat ubicumque cum Deo feliciter vivitur.

94. Legat P. Fassonius, non perfunctoriè, sed attentè, & indesinenter perlegat Sanctum Augustinum, ubi separatarum animarum

fortem perquirit, & videbit potiſſimum fundamentum Sancti Doctoris ex hac Evangelica doctrina deſumi, ita ut a Lazaro & divite exordiatur orationem, & propter illius beatitudinem, & iſtius tormenta certiſſima, auditorum ſuorum vitam inſtituat, expectanda & vitanda proponens, & cum Lazaro & divite ſuam orationem abſolvat. Non dicam audacter: legat Pater Faſſonius tres libros meos de hac re, ubi non pauca collegi Sancti Auguſtini teſtimonia; & credat mihi, qui jam a viginti annis iſtius Doctoris operibus incumbo; præcipuè ut mentem ſuam in hac quæſtione intelligerem, credat inquam mihi, mille alia loca ſupereſſe exhibenda, ubi S. Pater eadem confirmat, quæ ipſe præterivit.

95. Sed curnam adverſarium meum ad Sanctum Auguſtinum, quem non ſatis novit, nec reveretur, inſtituendum mittam? Satius eſt ut ad illos Patres remittam, quos ſuas delicias appellat, quibus fortaſſe pacatiore animo, & ad diſcendum paratiore, præbebit auditum. Relegat itaque quæ ex operibus Sanctorum Hieronymi, Hilarii, Ambroſii, & Joannis Chryſoſtomi ſuperius deſcripſi; & omnibus attentè perpenſis, conetur adhuc falſam ſuam beatitudinem illorum dictis communire. Fidenter dico, Patrem Faſſonium nullum Eccleſiaſticum ſcriptorem inventurum, qui eadem non repetat de Lazaro in ſinu Abrahæ quieſcente, ac de divite in inferorum flamma cruciante; & tunc ex oppoſitorum lege conficiet, adeo veram, ſinceram, perennem eſſe debere Lazari conſolationem, ſicuti verum, certiſſimum, æternum eſt divitis tormentum. Quidquid aliter a quocumque dicitur, fruſtra dicitur, & manifeſtæ opponitur veritati, tum in Evangelio deſcriptæ, tum in cordibus noſtris intimis vocibus perſonanti.

96. Indubiis hiſce principiis plane conſternitur ſententia noviſſima & falſa *Henrici Vici* circa pœnam damni, in qua tamen plus æquo delectatur P. Faſſonius, quia *licèt fortaſſe nova*, inquit, *atque improbanda videatur, at certè nec impia eſt, neque a religionis decretis, quæ hactenus prodierint, aliena, immo ne omni quidem in ſpeciem rationis præſidio deſerta*. Quid agam cum adverſario, qui me ſequentem Auguſtiniana præcepta deridet; quæ autem apud eum eſt Eccleſiæ doctrina hujuſmodi auctoritatibus ſatagit contueri? Num Concilium univerſale exſpectabimus, quod opinionem Vici condemnet; aut donec id fiat, conticeſcere debent catholici, nec ſatis erit ſcriptori illi definitionem pœnæ damni in Eccleſia perpetuam opponere, in privatione vultus Dei conſiſtentem, quia illius opinio nec impia videtur Patri Faſſonio, nec omni in ſpeciem rationis præſidio deſerta? Numquid id ſat erit Theologo noſtro, ut veritates catholicæ vel infirmentur, vel in dubium deducantur? Caveat itaque a lectione heterodoxorum, ne apud eum in Pyrroniſmum omnia decedant. Neque enim heterodoxi ſine ſpecie rationis libros emittunt; & in ſubjecta noſtræ quæſtionis materie, multa in Gherardi Joannis Voſſii Theſibus

bus nuper ego legi, quæ huic Patris Fassonii encomio erga Henricum Vicum, minime plaudunt.

97. Sed præstat paragraphum 163. Patris Fassonii legentium oculis subjicere. „ Quid, inquit ipse, si in Henrici Vici opinionem discederem? Tunc argumentis Cadonici & Lamii ne reperiretur quidem locus. Negat enim vir doctus, piorum animos ullo modo in Abrahæ finibus doluisse: unde quod vulgò, & quadam sermonis consuetudine dici solet, *pœnam istic fuisse propter desiderium videndi Deum, quo Patres tenebantur, non ita*, inquit, *accipiendum est, quasi puniti fuerint pœna aliqua eos affligente: sed quomodo Angeli dicuntur, exempli caussa, tristari. Significaturque hac loquendi forma, statum hic constitutorum fuisse quidem suo modo felicem, & beatum, sed tamen non omnibus numeris perfectum, eo quod non fruerentur visione Dei, quam summoperè desiderabant; desiderabant, inquam, pro ratione hujus status, absque pœna affligente. Quomodo cœlicolæ etiam nunc desiderant recipere sua corpora. Alia namque est conditio hic aliquid desiderantium, ubi spes quæ differtur affligit animam, ut tradunt divinæ litteræ, alia istic constitutorum, ubi Deus dicit, & consequenter facit, ut etiam in suis desideriis requiescant*. Habes, sequitur P. Fassonius, Henrici Vici, „ clari oppidò & illustris viri, de pœna damni sententiam „ quam auctor noster laudibus prosequitur superius exscriptis, quamq. in toto texendo libro suo intima mente consovit, de qua demum in fine illius Capitis XII. hæc addit. „ Nihil ego igitur de opinione Vici „ statuerim; doctiores, quorum illam ingeniis considerandam cognoscendamque permitto, incorruptius judicabunt, idque ut faciant eos „ non solum suadeo, verum etiam rogo. „

98. Istud a me facilè P. Fassonius impetrat, qui licèt a doctiorum sedibus multis gradibus distem, periculum tamen facere tantilli ingenii mei tentabo adversus orationem Vici, apertis scatentem paralogismis, omnibusque destitutam rectæ rationis præsidiis; ut ceteri judicent, num si adversarius meus sententiam hanc palam amplecteretur, aliquis adhuc locus reliquus esset argumentis meis, ac doctissimi Lamii. Primò itaque cum S. Thoma (1. p. q. 113. art. 7.) nego verè tristari Angelos. „ Nam cum tristitia & dolor, inquit, secundum S. Augustinum non sit nisi de his, quæ contrariantur voluntati: nihil verò accidat in mundo, quod sit contrarium voluntati angelorum, quia voluntas eorum totaliter inhæret ordini divinæ justitiæ, ideo simpliciter loquendo nihil fit in mundo contra voluntatem illorum, atque idcirco tristari non possunt. Itaque nonnisi metaphoricè tristari dicuntur Angeli ad designandum quod volunt in universali hominum salutem. „ Unde cognoscimus, non propter se ipsos, qui perfectè beati sunt, nec in se ipsis, quia illorum conditio omnem excludit dolorem, sed tantum propter alios, & quasi in aliis Angelos tristari.

99. Patet itaque, Vicum in comparationem assumere quod suam

destruit argumentationem : tum quia Patres in sinu Abrahæ poterant, tum quia necessariò, & non metaphoricè sed verè, tristari debebant. Qui enim beatus non est, tristitiæ fontem gerit in se, si beatum esse desiderat, novit enim quo bono privetur. Si verò non desiderat, perversus est, adeoque infelicissimus. At enim juxta P. Fassonium, & juxta Vicum suum, Patres in Limbis summa erant præditi innocentia, & in Deum sincera amicitia ferebantur. Respondeant igitur, collatis viribus, sequenti Sancti Augustini argumentationi. „ Quare, inquit ipse adversus Pelagianos, patrimonium re„ gni cælorum abripis innocenti? A quo regnum cœlorum non ad„ quiritur: profectò magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia? „ Dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens „ culpam (nos dicemus quid offendit Abraham, cui omnis culpa „ fuerat dimissa) nec suam, nec de parente tractam? Quid offendit „ dic mihi, ut non intret in regnum cœlorum, ut separetur a for„ te sanctorum, ut sit exul a societate Angelorum? Videris enim „ tibi misericors, quia non ei aufers vitam: damnas tamen, quam „ separas a regno cœlorum. Damnas: non eum percutis (id tamen „ suspicari sinit P. Fassonius, qui Abraham sub potestate & servitute dæmonis ponit) „ sed in exilium mittis. Nam & qui exulant, „ vivunt: si sani sunt, in doloribus corporis non sunt, non torquen„ tur, non carceris tenebris affliguntur: hæc illis sola pœna est, „ non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna: si autem non „ amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in ho„ minis corde, qui societatem non quærit sanctorum, qui non desi„ derat regna cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate: „ si autem desiderat, pœna est de fraudata caritate. Sed si, quod „ vis, parva sit pœna, & ipsa parva magna est, si nulla culpa est. „ Hic defende justitiam Dei. Quare vel parva pœna infligitur inno„ centi, in quo nullum invenitur omnino peccatum ...... Responde „ si potes, sed rationem affer: hac enim te gloriari delectat. (serm. „ 294. num. 6.)

100. Concordet P. Fassonius opinionem Vici; asserentis Patres desiderasse patriam sine pœna affligente, cum hac Sancti Augustini doctrina, quæ exules a patria miseros definit ex caritate desiderante. Solatia sua, oblectamenta, adjumenta objiciat P. Fassonius Augustino, qui exules miseros dicit, licèt sani sint, nec aliis corporis doloribus torqueantur; rursus eos in carcere dicat sine dolore, quando Augustinus exules minus affligi demonstrat, si in carceris tenebris non versentur. Illos demum ex societate Angelorum lætantes prædicet, quum Sanctus Doctor eos ab hujuscemodi societate separatos declaret, donec patriam non consequantur. Plaudat Vico suo, qui statum felicem & beatum in illis somniat, licèt non perfectum, eo quod non fruerentur visione Dei, quam tamen desiderabant. Extollat ejus ingenium dicentis spem, quæ differtur affligere animam,
non

non omnium justorum spirituum, sed hominum tantum apud nos aliquid desiderantium; quia cum separatis spiritibus dicit & facit Deus, ut in suis desideriis conquiescant. Ostendat nobis ex Scripturis talia fieri, talia promitti, & verbum Dei ad invicem non adversari. Respondeat, sed rationem afferat; nam nos etiam ratione, non verò sua, nec Henrici Vici anctoritate delectamur.

101. Quod si demum P. Fassonius sibi persuadebit, Vicum suum contra auctoritatem æquè ac contra rationem talia effudisse, nec non a metaphorica sanctorum Angelorum tristitia perperam excogitare tristitiam non veram in spiritibus justis sinus Abrahæ: tandem percipiet illum totius recti ratiocinii censuram esse aspernatum, quum dixit, sanctos antiquos eo modo desiderasse vultum Dei absconditi, quo cœlicolæ etiam nunc desiderant recipere corpora sua. Nescivit porrò Vicus, cælicolas interim repleri Deo, & in ejus veritate & caritate ita consistere, ut eorum spiritus integra illa beatitate donentur, cujus capaces sunt animæ separatæ, illa inquam, secundum spiritum, & ex fruitione intima adeo perfecta, ut nec in resurrectione corporis possit augeri. Quia, ut S. Augustinus epistola ad Fortunatianum docuit, Deus caritas est, nec unquam corporis oculus caritatem valebit contueri. Propterea longe diversa est conditio Sanctorum Deum possidentium in cœlo, licèt suis corporibus aliquando uniri desiderent, a conditione illorum, qui beatitudinis initium desiderabant. Illi enim amplius bonum, sine diminutione præsentis æternæque felicitatis suæ, assequi cupiunt; isti exules adhuc, gementes ac miseri principium quietis sibi communicari optavissent.

102. Illud, inquam, principium, ad quod per tribulationes & tentationes hujus vitæ ita anhelabant, ut auderent & desiderarent peregrinari a corpore. Quam Sanctorum animi præparationem intelligens, & explicans Sanctus Thomas, inquit. „ Frustra Sancti *auderent* „ & desiderarent *peregrinari a corpore*, si separati a corpore non es„ sent *præsentes* ad Deum; & ideo dicendum est, quod statim a „ morte *vident Deum per assentiam*, & sunt in cœlesti mansione. „ (Lect. 2. in epist. 2. ad Cor.) Ignorare non poterat S. Thomas, Moysem, Eliam, Tobiam, David, & plures alios insignes antiqui testamenti sanctos, hanc a Deo gratiam ferventer efflagitavisse, ut nimirum a corpore mortis hujus cito eriperentur; atque ideircò ex parilitate rationis quid demum a justo Domino consecuti sint, nos conjicere docet; quin diversis fortasse sententiis suis deterreamur.

103. Utinam P. Fassonius hanc veritatem probè ex Scripturis fuerit consecutus, ne putaret, & sæpiùs inculcaret, mortem fuisse horribilem Hebræis, dulcem verò optandamque Christianis. Forsitan tunc rectam cunctationem induisset in tribuenda D. Joanni Chrysostomo Homilia panegyrica de Bernice, Prosdoce, & Domnina; licèt hanc celeberrimus Pater Montfauconius germinum fœtum putaverit.

verit. De hoc aliquid dicendum superius proposui, & modo fidem liberabo meam.

104. Sermonem hunc adoptavit P. Fassonius, quia in eo legit, quod Abraham „ ita *metuebat*, *ac reformidabat mortem*, *ut in Ægy-* „ *ptum ingressurus uxori suæ diceret* : Novi quod pulcra sis mulier. „ Erit igitur, cum viderint te Ægyptii, te quidem servabunt, me „ verò interficient. *Quid igitur* ? Dic soror illius sum, ut bene sit „ mihi propter te, & vivat anima mea propter te „ (num. 130. V. & seqq.) Hinc confirmari sibi visus est P. Fassonius doctrinam illam quam a Tournely exscripserat, scilicet „ quod Hebræa natio aliter „ (a nobis) erga mortis vim animata (erat), ita ut extimesceret „ venientem, & bonus quisque in proximorum morte vehementer „ animo angeretur, ut Jacobus, ut David, ut alii : „ ex quo debili immo etiam falso principio, erroneum illud suum Corollarium efficit, quod scilicet „ ante Christi tempore, necdum piis tributum „ sit, ut Deum conspicerent, bonorumque cœlestium possessionem „ adirent. „ Multa disputavi in hanc rem, præsertim capite 26., verba perpendens Sancti Jo: Chrysostomi in sermone de Consolatione mortuorum, quem suum non esse opinor, veluti adversantem, aliis certissimis Sancti Patris doctrinis, idcirco lectores rogo, ut eum locum consulant, dum ad alia contendo.

105. Nempe contendo ab exemplo etiam Patris Fassonii conficere, quod aliàs jam dixi quodam veluti, & miserando fato evenire, ut aliqui ex nostris, dum Patres Ecclesiæ legunt, sententias aliquando adoptent, in quibus Patres ipsi quidpiam humani passi esse videntur, quæve a corpore, ut ita dicam, eorumdem doctrinæ dissentiunt; eas verò lectores ejusmodi arripiant, extollant, amplexentur, & prædicent, veluti flores eximios exquisitioris sapientiæ eorum. Id evenit Patri Fassonio, confirmare exoptanti opinionem suam verbis prædictæ Homiliæ. Nempe sententia Chrysostomi ipsi arrisit : nec verum Sancti Patris curavit honorem in contrario Scripturarum sensu periclitantem, multo vero magis in discrimen adductum ob non salutares doctrinas in eo sermone contentas. Etenim qui totam illam Orationem perlustrabit, subitò comperiet, Sanctum Doctorem minime quidem defendere innocentiam Abrahæ a malevolorum calumniis in illius facti expositione, sed immò confiteri magnum ab Abrahamo delictum tunc fuisse patratum. Pauca ex multis eligo verba, utinam Sancto Patri nunquam tributa. „Stuprum uxo- „ ris præ nimio mortis, & interitus timore contempsit ...... Cum „ duo eventura mala essent, adulterium & cædes, alterum sapien- „ tia sua impedivit, cædem nimirum. Hujus quippe rei caussa lau- „ dari etiam eum oportebat quod adulteri manum puram a sangui- „ ne conservavit. „

106. Conjiciat, si potest, Pater Fassonius, qualem stragem excitabit in mentibus Doctorum benignæ Moralis Theologiæ, hac no-

stra

ſtra ætate graſſantis, non recta certè iſta doctrina; & quot & qualibus delictis, veluti ex auctoritate Joannis Chryſoſtomi paretur patrocinium. Laudatur nempe Abraham, quod ut temporalem mortem effugeret, unum peccatum elegerit, quoniam duo non poterat evitare; atque ita docentur Chriſtiani, talem optionem, ob vitam temporalem ſervandam, aliquo modo permiſſam, cujus exemplum in tanto Patriarcha cum laude præceſſit. Revera laudabilis homo eſt, qui in proximo ſuo, niſi plura poteſt, unum tamen aut alterum impedit peccatum: nunquam tamen præconiis proſequi homo meretur, qui ut in proximo ſuo duo crimina impediat, ſeipſum interim uno polluit peccato. Hoc autem in Abrahamo tunc accidiſſet, utpote conſcio, peccatum Abimelech in Saram, thori maritalis injuriam futurum, & Saram ipſam adulterii ream evaſuram. Quomodo igitur, vel ſtuprum uxoris contemnere cum laude poterat, vel ideo commendari, quia adulteri manum puram a ſanguine conſervaret: & non potius vituperari promerebatur, quod nec uxorem contra periculum inſtruxerit, & demum temporalem vitam ſuam Dei offenſioni, atque æternæ morti ſciens & volens præpoſuerit.

107. Conſultius itaque arbitrarer, Homiliæ de qua agimus (licèt iſta tantùm erronea contineret) tanti Doctoris nomen abripere; quod ego intrepidè facerem, niſi in alio indubio opere ſuo, comparem omninò doctrinam inveniſſem. Quoniam igitur ex hoc capite ita reſpondere non licet: quid nobis reſtat, niſi ut cum debita reverentia dicamus, Sanctum Antiſtitem, profectò eloquentiſſimum & piiſſimum, hominem tamen fuiſſe, qui falli poſſet, & falſus revera ſit in hujus difficillimi loci interpretatione; quæ proinde interpretatio, ſalva honorificentia ipſi debita, ob multiplices ſuas rectiſſimaſque doctrinas, Dei ornantes Eccleſiam, a nobis rejicitur, aliorum etiam Doctorum auctoritate.

108. Ad Divum Auguſtinum de more confugio, veluti ad ancoram ſacram; & miror, cur Pater Faſſonius, qui in nota ad hunc locum nonnulla verba tranſcripſit Sancti Doctoris, quæ ſuæ præconceptæ opinioni in ſpecie favebant, illa diſſimulaverit, quæ quaſi e regione erant, & tale corrigunt Sancti Joannis effatum.

109. Agebat S. Pater adverſus Fauſtum Manichæum, qui propter hanc Scripturæ narrationem culpandum volebat inſignem fidei noſtræ Patriarcham, atque ut ab ejus memoria omne peccatum depellat, ita inquit. „ Hoc Abrahæ factum *lenocinio* ſimile videtur, ſed non
„ valentibus ex illius æternæ legis lumine *a peccatis* rectè facta di-
„ ſcernere ..... Neque enim Abraham *flagitio conſenſit uxoris*, ejuſque
„ vendidit *adulterium* ..... Sed ipſe conjugem caſtam, & caſto amore
„ ſibi cohærentem, de cujus animo, ubi pudicitiæ virtus habitabat,
„ nullo modo dubitabat, *tacuit uxorem*, dixit ſororem; ne ſe occi-
„ ſo, ab alienigenis atque impiis captiva poſſideretur, *certus de Deo*,
„ quod

„ quod nihil eam *turpe ac flagitiosum* perpeti *fineret*. Nec eum fides „ ac spes fefellit &c. „

110. Audivit P. Fassonius quomodo a Manichæis accusaretur Abraham, & ipsas penè criminationes legit, quas vidimus in Homilia: sed meliorem viam purgandi Abrahamum una simul didicit. Excipiat reliqua, quibus Chrysostomus fortius improperatur; quia S. Augustinus, non dico adulterium animo non perpetrasse Abrahamum, sed nec mendacium illi excidisse demonstrat. „ Nonnulli qui„ dem (ait), non calumniosi & maledici, sicut Faustus, sed eis„ dem libris honorem debitum deferentes ..... cum hoc Abrahæ fa„ ctum considerarent, visum est eis, quod a firmitate fidei subdefe„ cerit, atque titubaverit, & *timore mortis* ..... negaverit uxorem. „ Videtur hic innui sententia Sancti Joannis Chrysostomi, quamvis temperantioribus verbis. „ Quod si ita necesse esset intelligi, prose„ quitur Augustinus, *peccatum* hominis agnoscerem ..... Nunc verò „ cum habeam quod intelligam ne hoc intelligam, nulla causa co„ gor *temeritate* labi ad reprehendendum quem nemo convincit *timo„ re* lapsum fuisse ad mentiendum. Neque enim utrum ejus uxor „ esset interrogatus, non esse respondit: sed cum ab eo quæreretur „ quid ei esset illa mulier, indicavit sororem non negavit uxorem; „ tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi ...... Nam hoc ipse red„ denti sibi eam regi dixit, de patre esse sororem, non de matre: „ ubi certè ut sororem mentiretur, nullo jam timore cogebatur, „ quando ille uxorem ejus esse didicerat, & eam divinitus territus „ cum honore reddebat. „

111. Ita profectò bene defenditur Abraham, de quo meminerat Sanctus Augustinus sæpius dixisse, nullum in Scripturis Sanctis inveniri peccatum, cujus immo eximia merita dignis præconiis frequenter exaltat. In hujus laudibus multus est etiam S. Joannes Chrysostomus, & præcipue in Homiliis pluribus super Genesim, ubi sanctissimam vitam peritè adornat magni Patriarchæ. Quas inter si quis ostendet doctrinam superiùs a me repudiatam in Homilia panegyrica de Bernice &c.: conjiciat necesse est, Sanctum Doctorem non bene tunc attendisse meritis insignibus, & plenæ in Deum fidei, qua excelluit Abraham; immò verò nulla ratione ipsi apposuisse talem mortis metum, ob quem Deum suum gravi delicto desereret; dum tamen fatetur, ejus fidem, obedientiam atque indefficientem constantiam in mactando proprio filio, nullas hominum linguas satis unquam posse celebrare, nec mentes concipere.

112. Tales antilogias in S. Augustino nunquam, in quibusdam verò aliis Patribus aliquando inveni; atque hinc præcipue factum existimavi, ut Augustino supra reliquos ingeniis palma, & acutæ intelligentiæ laus ab omnibus concederetur. Ego idcirco hoc præcipue magistro semper gloriabor, qui, ut ad propositum redeam argumentum, diligenter cognovit, factum illud Abrahæ ideo ejusdem firmissimæ fidei

dei

dei tentationem habendum, fuæque pietatis, tum in fe, tum in uxore fuiffe teftimonium; quia Deus mulierem miraculis tutatus eft ab omni injuria, ambos vero cum honore & divitiis fecit ab Abimelecho dimitti. Porro tantæ mifericordiæ haud conciliantur peccatis; quia Deus fanctiffimus vias peccatorum difperdit.

113. Quoniam vero inopinato in hanc quæftionem incidimus, difcamus fimul a Sancto Auguftino, quid adjumenti atque doctrinæ confequi fideles debeant ex hoc Abrahæ facto tam diligenter in Scripturis exarato. „ Pertinet autem (profequitur S. Auguftinus) ad fa„ nam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare „ Dominum Deum fuum, ... , qui fugiendo & latendo hominis „ inftruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet „ quod faciat, ut quod cavere oportet evadat. „ Multa hujus rei exempla proponit doctiffimus vir, quibus addere ex fe poterat Sanctus Chryfoftomus, fugam Sancti Athanafii Ecclefiafticæ Fidei vindicis & affertoris eximii. Inde adjicit: „ Proinde cum inter ignotos „ propter excellentiffimam pulchritudinem *Saræ*, & ejus pudicitia „ & mariti vita effet in dubio; nec utrumque tueri poffet Abraham, „ veruntamen unum horum poffet, idest vitam, ne Deum fuum „ tentaret, fecit quod potuit: quod autem non potuit, illi commi„ fit. Qui ergo fe hominem occultare non valuit, maritum fe oc„ cultavit ne occideretur; uxorem Deo credidit ne pollueretur (contra Fauft. Manch. lib. 22, cap. 33. & feqq.)

114. Plura omitto dictæ Homiliæ S. Joannis Chryfoftomi argumenta ad oftendendum, viguiffe in Hebræis, licet fanctiffimis, mortis metum, minime vero vigere in fidelibus Evangelicis: lectori enim docto & in Scripturis verfato, multa fubito occurrent novæ Legis exempla, quibus argumenta illa diluuntur, fponte cadunt, immo etiam contra loquentem recte vertuntur.

115. Spero itaque me fatis oftendiffe, Patrem Faffonium nullo pacto juvari in propofito fuo ab auctoritatibus antiquorum; neque inde poffe conficere, eam Ecclefiæ effe doctrinam, quam ipfe fingulis prope paginis recantat; juftos nimirum finus Abrahæ, licet vifione Dei privarentur, lætantes tamen, gaudentes, beatos denique fuiffe. Etenim nullus textus Patrum, ut vult, duodecim primorum Ecclefiæ fæculorum, eos vocat *beatos*, neque id habet, quod ipfe fæpiffime inculcat, fcilicet, quod antiquorum Sanctorum animæ *nulla ne minima quidem erroris humani culpa, nec macula tenebantur*. Immo vero eas in carcere, in tenebris, in vinculis, in gemitibus, fub ira Dei dicunt, fub poteftate mortis, fub dominatu dæmonis, ob culpam conftitutas. Ipfemet P. Faffonius duriffimas ejufmodi conditiones in Sanctis fatetur, licet pro ingenio fuo eafdem beatitudini componere fatagat, nihili pendens præclariffimam etiam Sancti Thomæ doctrinam, eos in veris doloribus agnofcentis.

116. Fortaffe id fibi licere putavit auctor nofter, quia antiquiores

aliquos vere Ecclesiæ Patres de sorte divitis & Lazari differentes, hunc in beata quiete, in refrigerio, in consolatione positum agnoverunt. Lectoribus tamen suis illudit, quum proprium sensum accommodat vocibus illis, quin metueret, facile hominem posse textus integros afferre, qui non falsam quietem, & felicitatem, aut mendax gaudium continent, sed vera omnia utpote perpetua, sempiterna, æterna. Unde consequitur, doctrinam visionis Dei & felicitatis statim a morte conlatæ animabus justis antiqui Testamenti, non esse peculiarem Sancto Augustino, sed communem Chrysostomo, Hilario, Ambrosio, demum etiam Sancto Hieronymo, quorum auctoritates inani artificio a Patre Fassonio mutilatas, superius descripsi.

117. Quod si P. Fassonius delectari magis constituit Patrum verbis, in quibus animas illas apud inferos ponunt, veluti respondentia repugnanti suæ beatitudini cum aliquo, licet parvo, dolore conjunctæ: prius nobis ostendat Patres illos ita sensisse, ut ipse de suo dogmatizat, omnia invertens rectæ rationis principia. Fuisse enim animas illas apud inferos in quæstionem meri nominis resolvitur a Sancto Augustino docente, certissimam consolationem ab Evangelista tributam Lazaro significare beatificam præsentiam essentiæ Dei, qua potiretur Abraham cum reliquis in sinu ejus.

118. Non itaque satis est Patres dixisse Abraham, & Lazarum apud Inferos; sed diligentissime inquirendum est, qua eos conditione donaverint. Næ halluciaremur. Patet siquidem eo statu a Patribus donatum Lazarum, qui perfecte opponitur conditioni divitis. Divitem vero geminis perpetuisque inferni cruciatibus affectum, quantum in statu animæ separatæ sentire poterat: nemo sanus impugnat. Id jubent flammæ, id tormenta, quibus se angi magna voce clamabat. Itaque e converso vera & perpetua Lazari gaudia erant. Id volunt consolatio, qua, teste Abraham, fruebatur Lazarus; id aqua, qua satiabatur, quamque ab eo frustra petebat dives. Idcirco verba textus Zachariæ *Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu*, in quo non erat aqua, applicari non possunt animabus sinus Abrahæ, nisi repugnante Evangelio, palam dicente Lazarum in loco fuisse ubi aqua erat. Hinc factum est, ut plures ex nostris hunc textum afferentes ad indicandam liberationem animarum in Abrahæ sinu degentium, verba omiserint *in quo non erat aqua*, fortasse metuentes obviam hujus sententiæ significationem. Nam sicut aqua opponitur flammis, ita consolatio tormentis: quæ nisi adamussim invicem respondeant, veritas obumbratur tum Inferni, tum Paradisi. Quia si consolatio pauperis ab æterno bono non procedebat; nec cruciatus divitis erat perpetuus.

119. Theologi vero, qui Augustiniana documenta impensius sequentes, spiritualium rerum ideas a corporalium phantasmatum umbris discernunt: quum de separatarum animarum passionibus agitur, quidquid corporeum & extimum est, silere admonent, atque diver-

sita-

sitati temporum conditionumque applicari. Nimirum probe noverunt, humanas animas a suo corpore disjunctas, utpote nullis corporeis partibus constantes, nulla vel loci, vel extraneorum objectorum actione aut passione posse percelli. Tunc autem id futurum fideliter credunt, quum resumptis propriis corporibus, quidquid per eorumdem sensus eas vel mulcere, vel angere poterit, pro meritorum qualitate sive experientur sive patientur. Interim vero animas perfecte lætantes, vel miseras agnoscunt intimis & spiritualibus caussis. Nempe pœna damni, & spiritualis pœna sensus infernum efficiunt divitis in Evangelio descripti; neque enim anima suis sensibus caret, etiam ex objectorum vel præteritorum vel futurorum certa notitia & exspectatione; ut cogitanti continuo patet. Pœna itaque damni in receptissima Ecclesiæ definitione est carentia visionis Dei, quem Creatorem & ultimum finem suum anima separata probe cognoscit & frustra desiderat. Pœna vero sensus est passio, tum ab hac privatione, tum a conscientia, atque præsentia intima propriorum malemeritorum, animæ inhærens. Nunc ad statum Lazari sermonem convertendo, ejus consolatio oriri debebat, tum a visione fruitioneque Dei, tum a rectæ conscientiæ testimonio: eam vero æternam, & nulli mutationi obnoxiam ex utroque capite ratio ipsa sine labore suadet. Deus enim charitas est, & charitas nonnisi ab animæ corde potest intueri; ab eo vero corde intuetur, quod charitate purificatum, eidem charitati, quæ nunquam excidit, conjunctum est. Itaque tum caussa visionis, tum ipsa visio necessario perfecta est, atque perpetua: sicuti visionis privatio, ac ejusdem causa in anima damnata nulli subjacet mutationi, nec cessationi. Quum autem, novissima canente tuba, hominum corpora propriis animabus denuo conjungentur: pœna sensus diffundetur etiam in corpus, & in isto, & per istud magis affliget animam, igne æterno accedente: sicuti justi, divino convivio inebriati atque saturati, amplioris gaudii mensuras consequentur.

120. Dicentibus itaque Patribus, ut supra ostensum est, pœnas divitis perpetuas, & gaudia pauperis æterna fuisse: exiguitati meæ, quam mox exhibui, verborum suorum occurrit explicatio; quæ perpetuitatem custodit adeo diversæ, sed sempiternæ utriusque conditionis. Pater Fassonius vero, qui necessariam commutationem in melius excogitavit circa animam Lazari ad descensum Redemptoris, quia eam tunc primum a dolore ad gaudium elevat: nunquam explicabit Patres eidem tribuentes consolationem perpetuam, sempiternam, æternam, priusquam Christus descenderet. Rursus quantum ipse detrahet huic æternæ Lazari consolationi, tantumdem subtrahet tormentis ac cruciatibus divitis; & demum cum suo Henrico Vico in metaphoricum sensum pœna damni transibit; ac de veritate inferni, nec non paradisi per allegorias transigemus, tum etiam per inefficaces & vanas corporearum rerum imagines.

121. Ita ni fallor Augustiniana sententia doctrinis vallatur præcipuorum Patrum quos nominavi, quibus addere possem Tertullianum, Origenem, Justinum, & Irenæum, Eusebium, Athanasium, Epiphanium, Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, Paulinum, Prosperum, Fulgentium, & alios, quorum auctoritates in librum digerere constitui, & juvante Deo, aliquando ad calcem perducam. Quorum si unus vel alter videretur Patri Fassonio ab acutissimi Augustini sententia deflectere in aliquibus verbis, quæ ipsis exciderint in aliam rem: non illico a tanto magistro discedat; qui non sola Evangelica Sancti Lucæ auctoritate hanc firmat doctrinam, sed pluribus etiam aliis capitibus amplectendam demonstrat & prædicandam. Scilicet auctoritate & ratione demonstrat; primo: Eum miserum esse qui beatus non est; veram autem beatitudinem in sola Dei fruitione consistere. 2. Spem consequendæ gloriæ eternæ vincere non posse dolorem carentiæ visionis Dei. 3. Hunc dolorem eo acutiorem in iis fuisse, qui magis Deum diligebant. 4. Animas justas sinus Abrahæ omnino puras fuisse; nec ullo, quoad spiritus sanctificationem, originalis peccati impedimento irretitas. 5. Justos antiqui testamenti fuisse vere Christianos, justificatos a Deo, hæredes Testamenti novi, novæ Legis gratia ornatos, tum a peccato originali, tum ab actualibus, si quæ commiserant, perfecte purgatos ab eodem Mediatore Christo Domino, qui est Unigenitus Patris, & semper apud eumdem pro hominum salute Intercessor. 6. Eos denique post vitam feliciter consummatam dignos effectos Paradisi gloria, & Regni Cœlestis honore, uti videre erit in Capitibus IV. V. VIII. IX. XIV. cum quatuor sequentibus.

122. Antequam ergo P. Fassonius pronuntiet, Sanctum Augustinum in hoc gravi articulo a Patribus descivisse, pervideat opus est, utrum penes illos inveniat mox descripta principia, quorum singula, & multo magis plura basim efficiunt sententiæ Augustinianæ, & fundamentum suppeditant recte explicandæ Evangelicæ consolationis. Si mihi credere vult, similia documenta comperiet in omnium Patrum operibus, quandoquidem ea legens, non verbulis abripiatur, sed corpus, ut ita dicam eorum doctrinæ detegere, atque pro suo exercitio describere, ac veluti efformare curet.

123. Utque ad Sanctum Joannem Chrysostomum redeam; quin interim memorem, ipsum sæpe dixisse Abraham, & Job, multosque alios antiquos, novæ Legis gratia ornatos, ejusdem novæ Legis præcepta adimplevisse & promeruisse coronas: oro Patrem Fassonium, ut attente meditetur, quomodo Sanctus Doctor explicet textum Geneseos (12. 7.), quem nos legimus, *Apparuit Dominus Abram*, ipse vero legebat, *Visus est Dominus Abræ*. „ Nunc primum, „ inquit, invenimus in Scripturis dictum quod *visus sit* ..... Neque „ enim Scriptura divina verbo hoc usa est, cum de Adam, vel de „ Abel, vel de Noe, vel de alio quoquam locuta est. Quid igitur

„ est

„ est quod dicit: *Et visus est*? Et quomodo alibi dicit: Nullus vi-
„ debit Deum & vivet? ...... Quomodo visus est justo? Num ipsam
„ substantiam vidit? Non, absit. Sed quid? Sic visus est, ut ipse
„ solus scit, & ut illi possibile erat videre. Sapiens enim & miseri-
„ cors Dominus noster multas scit vias, quibus se humanæ attem-
„ peret naturæ, & semetipsum his, qui se antea præparaverant, di-
„ gne manifestet. „ Et post pauca. „ Quomodo visus est? Sicut ip-
„ se solus scit, & ille videre potuit. Non enim hoc dicere desinam,
„ quandoquidem modum ignoro. Audio enim solum Scripturam di-
„ centem, Et visus est Dominus Abrae ..... & exstruxit illic (Abram)
„ altare Domino quem viderat. (Hom. 32. in Genesin.)

124. Ascendat nunc P. Fassonius ad promissionem eidem Abrahæ factam, quam dixit illi Deus *Ego ero merces tua magna nimis*; & prorsus intelliget id nihil aliud futurum quam perpetuam visionem ipsius Dei statim a morte, quoniam hanc gratiam, licet transeuntem, eidem erat largitus etiam dum mortale corpus gerebat. Numquid originale peccatum in carne mortali, ac propter idem peccatum mortua, & nonnisi in fine temporum vivificanda, impedire non poterat visionem Dei sanctissimo Abrahæ: impedire vero eam poterat oculis animæ suæ a vinculis corporis liberæ? Num misericors Dominus vias sciebat, quibus se attemperaret oculis humanis Abrahæ, ut illius se animo digne manifestaret; id vero vel ignorabat, vel non valebat in spiritu ipsius dilecti servi sui a mundana caligine erepti? Respondeat P. Fassonius; & ex proprio experimento percipiat, quam falso dixerit, non *debuisse* Deum faciem suam manifestare Sanctis sinus Abrahæ antequam pateretur, ad eosque in infernum descenderet; illos vero usque tunc tanta miseratione fuisse *indignissimos*. Immo vero si illud, ut decet, probe demum concipiat, tunc legitimum una simul sensum assequetur frequentissimarum promissionum, quibus sæpius pacem, quietem, refrigerium, & gloriam servis suis repromisit Deus, & ante Christi passionem redditas dixit, prout videre est in postremo hujus operis capite.

125. Porro hæc sponsiones amplitudine sua se Patri Fassonio commendant supra *consolationem* ab Evangelista tributam Lazaro, quæ scriptori nostro minime apta visa est ad significandam beatitudinem, quia ut ipse ait „ Quando Scripturæ æternam piorum felicitatem,
„ quæ in videndo Deo sita est, designant ac notant, multo eam
„ magnificentioribus verbis declarant illustrioribusque sententiis.
„ Vocatur, exempli gratia, a Davide, torrens voluptatis, a Paulo
„ visio Dei facie ad faciem, ab Joanne visio Dei sicuti est, a Pe-
„ tro immarcescibilis gloriæ corona, a Servatore nostro Paradisus,
„ gaudium Domini, cœna magna, vita æterna, alibi dicitur regnum
„ Dei, aut cœlorum, gloria item, ad quam instar nihili obtinent
„ passiones hujus sæculi, tum merces copiosa, bona, ut finem faciam,
„ quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, nec unquam in cor

„ ho-

„ hominis ascenderunt ..... At de Lazaro hoc unum a Dei Filio di-
„ citur, data ei esse solatia, *nunc autem hic consolatur :* consolatio
„ hæc igitur, qua se homo EGENTISSIMUS (quomodo egentissimus
„ etiam *beatus* in Limbo? sustentabat, aliunde omnino, quam ex
„ Dei visione & conspectu, quo qui fruitur, nihil is ad summam
„ beatitudinem quærere potest amplius, ducebatur. „

126. Audistis? Sed postulemus a nostro Theologo, num sanctissima Lea, cujus laudes texuit Hieronymus, summam hanc beatitudinem fuerit assecuta? Cur non, ait ille, si plusquam quatuorcentum a Mundi redemptione annis e vivis decesserat? Quibus itaque verbis hanc beatitudinem descripsit Hieronymus? „ Nunc igitur, inquit, „ pro brevi labore *æterna beatitudine* fruitur, excipitur angelo- „ rum choris: *Abrahæ finibus consovetur ;* & cum *paupere quondam La-* „ *zaro* &c. „ Insuper, postulemus a Patre Fassonio, num Julianus, ea cum auxilio Dei præstans, ad quæ auctore Hieronymo hortabatur, beatitudinem adepturus esset æternam? Profecto, respondet. Videat itaque quam demissa verba in tanta promissione adhibeat Sanctus Doctor. „ Felix, inquit, & omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat servientem ..... cui in introitu Paradisi dicetur, *Recepisti mala in vita tua, nunc autem hic letare*.

127. Igitur si quod S. Lucas de Lazaro pronuntiavit, apud S. Hieronymum satis est ad indicandam summam felicitatem fidelibus Evangelicis conlatam; cur eadem verba apud P. Fassonium falsam indicabunt in Lazaro beatitudinem? Cogitavit ne unquam serio P. Fassonius, historiam Lazari & divitis ex ore processisse increatæ Veritatis, Christi nimirum Dei & Domini nostri, ut fideles exemplo divitis damnati deterreret, & ex adverso beati pauperis præmio ad Evangelicam patientiam institueret? Eliget ne dicere spontaneus adversarius meus, Mundi Magistrum, paucis illis, nec magnificis verbis, veritatem inferni satis indicasse, non vero æternam Lazari mercedem; ita ut ad terrorem sufficerent pauca illa, minime vero ad solidam spem in auditorum animos inducendam? Ego tamen illorum verborum explicationem potius edifcam a S. Hieronymo, qui & eminentia sanctitatis, & laude doctrinæ idoneus est testis circa sensum eorundem, atque tum a me, tum etiam a P. Fassonio sincera humilitate promeretur audiri, cujus denique explicationem satis commendat sensus universalis Ecclesiæ.

128. Quid enim Ecclesia frequentius pro defunctis exorat, nisi ut *in pace* sint? Simplicia ista verba sunt; nec tamen ullus dubitat, quin contineant quidquid magnificentioribus vocibus designat gloriam æternam, Paradisum, Regnumque Cœlorum. Immo Sponsa Christi, quæ depositum habet & servat, & Magistri sui spiritu verborum suorum mentem assequitur, atque filiis suis credendam proponit: in sacra Liturgia quotidie Redemptorem precatur, ut *signifer Sanctus Michael repræsentet* (animas fidelium corpore defunctas) *in Lucem*

sanctam,

sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus. „ Non abnuo; „ inquit Pater Fassonius; hoc volo, nunquam Deum Abrahæ spopondisse, ipsum in lucem illam excessurum, statim ac naturæ legibus satisfecisset. Id enim nec affirmat Ecclesia, nec sperabat Abrahamus. „ num. 108. Explicet itaque mihi P. Fassonius quid intelligere debuerit Abraham, quum ab ipsomet ore Dei excepit. *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace sepultus in senectute bona?* Rursus observet, solam pacem tunc spopondisse Deum Abrahamo; & tamen Ecclesia pacem illam, lucem sanctam fuisse affirmat, quia eamdem pro suis efflagitat pacem ac lucem. Unde evidentia fiunt in paucis nostri scriptoris verbis tria magna peccata: nimirum, quia contra dictum suum, promisit Deus pacem Abrahæ; quia idcirco Abraham fidelis hanc pacem statim a morte sperare debebat; quia demum Ecclesia pacem deprecans defunctis fidelibus, paria ipsis adesse bona desiderat.

129. Nempe illud *olim*, vitam Abrahæ spectat in hac carne mortali, in qua excellentissimis fidei, spei, & charitatis præsidiis adjutus, ea merita sibi compararet, quæ a misericordiæ Domino post transitum coronantur. Id credit & sperat Ecclesia tum evenisse Abrahamo, tum nobis eventurum. Aliter fidelibus quidem suis pacem deprecaretur & lucem, sed adeo tardam, quamdiu Abrahæ dilata fuisset. Nam si dicente Deo, *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona*, non consecutus est Abraham, statim a dormitione sua, eam pacem, quæ pax vera est: nondum video cur meliorem sortem sperare possint fideles, qui sunt semen Abrahæ, in Ecclesiæ oratione, eamdem illis pacem ac lucem deprecantis: ita vero deprecantis, ut id obtineant, quod olim Deus promisit Abrahamo.

130. Gravissimo huic argumento magnam suppeditat lucem apparitio Moysis cum Elia in monte, quando Dominus transfiguratus est coram discipulis suis, qui duos Prophetas oculis contuebantur in vero corpore, & auribus suis audiebant Domino colloquentes. Eliam quidem in vero corpore ibi fuisse nulli erit ambiguum, quia ex divino Scripturarum testimonio in toto homine assumptus est. Propterea, contra vel otiosos vel malignos rerum perscrutatores, emicat veritas corporis etiam Moysis. Nam quum & Christus in suo corpore illic esset, & Elias pariter: absurdissima esset opinio hominis negantis proprium corpus etiam Moysi, istumque apparenter, non vere, illic adstitisse dicentis. Christus enim Deus & homo eam largiri voluit gratiam Moysi, ut tunc pristinam carnem assumeret, sicuti antea & Samueli, & aliis transeuntis resurrectionis gratiam impertiverat; sicuti multo pluribus idipsum concessit postquam resurrexit a mortuis. Moysem vero istud donum multo magis decebat, ut adimpleretur promissio olim ei facta a Deo, *Posteriora mea videbis* (Ex. 33.) atque insuper

ſuper quia digniſſimus & opportunus teſtis accedebat glorificationis corporis Dominici diſcipulorum oculis exhibendæ.

131. Fortaſſe P. Faſſonius jam ſentit quid ex hac hiſtoria deducere paratus ſim. Frequenter enim repetit exaggeratque, portas inferni primo confractas fuiſſe & apertas, cum Dominus de morte, de diabolo, & de inferis reportavit victoriam, animas ſcilicet Sanctorum ab intacto illo clauſtro educens. Idcirco renuit applicare Purgatorio textus Scripturæ, qui dicunt diſruptas a Chriſto infernales fores. „ Nam „ quibus ſeptis, inquit num. 31., vel clauſtris Purgatorium continetur, & antea dirupta fuerant quàm ſæpiſſime, cùm paſſim bonorum animi ex Purgatorii cuſtodia erepti in ſinum complexumque „ Abrahæ convolarent. „

132. Dicat igitur quomodo, tanto ante Chriſti mortem, tum anima Samuelis in ſuo corpore Sauli apparuerit, tum Moyſis anima diſcipulis in monte Thabor; quas ipſe animas in Limbis ita recludit, ut nonniſi a Chriſto deſcendente liberari potuerint, vel revocari? Quis ferreas illis fores, quis vectes confregit, quis vincula ſolvit, ut illinc exirent atque humanis ſenſibus agnoſcendæ offerrentur?

133. Cognoſcat igitur P. Faſſonius, falſam, & Scripturis repugnantem eſſe doctrinam ſuam circa inferni portas, quas ſaltem bis apertas inveniet, ut egreſſus, regreſſuſque pateret Samuelis & Moyſis animabus, multo ante Chriſti deſcenſum ad illa loca; atque inde concipiet, quanto planior hujus deſcenſus cauſſa fiat, atque effectus, dicentibus, Redemptorem ideo infernum adiiſſe, ut illinc purgantes animas, quotquot ibi adhuc erant, in libertatem aſſereret, & veris inferni doloribus ſolutis, a mortuis reſurgeret.

134. Sed grandius aliquid ex dictis colligere debet P. Faſſonius. Nimirum, ſi indubium eſt, Moyſem ad transfigurati Domini adſpectum, eò puriorem beatitudinem guſtaviſſe, quò perfectiore corpore inſtructus erat, in comparatione diſcipulorum, qui tamen profitebantur, *Domine bonum eſt nos hic eſſe*: indubium pariter eſt, quod Moyſes, ea apparitione ceſſante, Limbum repetens, adeò miſeram conditionem induiſſet, ut nulla humana cogitatione poſſit exæquari. Scilicet, nunc Deum ſuum, quem tanta fide prædixerat, quocum in mortali corpore verſans, toties locutus fuerat facie ad faciem: in iſta demum apparitione corporeis etiam ſenſibus conſpexerat in humana carne, ſed configurata ad claritatem, qua cœlorum regnum adornat, & in qua venturus eſt judicare vivos & mortuos. Quare, ſi hac exteriori apparitione ceſſante, iterum Moyſes ad Limbi tenebras deſcendiſſet, viſione intima privatus Dei ſui: *dona Dei, quæ ſine pœnitentia ſunt*, ceſſarent ſervo fideli, inter multos ad tantam gratiam electo, qui nec corporali amplius, nec ſpirituali viſione Dei jucundaretur. Non corporali, quia hæc tranſierat; non ſpirituali, quia nunquam iſta fruitus erat: atque ideo ejus infelicitas augeretur

tur ex illo etiam capite, unde conjici deberet devicta atque sublata.

135. Istud probè intelligimus, si Eliæ perfectiorem statum post hanc apparitionem scrutemur. Elias quippe in regionem recedens, unde ad tantam gloriam illum evocaverat Deus, ejusdem gratiæ fructus secum afferebat, in contemplatione claritatis corporis Christi, quod intuitus fuerat, quamque nulla oblivio delere, aut ulla molestia extenuare valebat. Moyses ex adverso similis factus fuisset homini (his enim speciebus delectatur P. Fassonius) qui postquam magnificentissimum Regis triumphum in veste candida fuerit prosecutus, atque ejusdem regis familiaritate usus & comitate, subitò in obscurum carcerem detruderetur, atque indignus proclamaretur ejusdem Regis intuitu. Neque exagerantes Poetæ Moysem in hanc conditionem detrusum, adhuc dicerent beatum.

136. Verum ad altiora cum Dei adjutorio ascendamus. Certum est Moysem in transfiguratione Domini cognovisse Deum suum. Quomodo cognoverit inquiro nunc. Nam si ex sola claritate corporis: quis audeat dicere hanc, quantacumque demum sit, exæquare posse perfectissimam pulcritudinem Dei in substantia Dei; ita ut ex hac sola claritate Christus uti Deus ab hominibus agnosci potuerit? Porrò ad firmandam discipulorum fidem testis locuplex accessit vox de cœlo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (Matt. 17.) Etenim quum Deus & homo ita distent inter se, ut creator a creatura, visibile ab invisibili: nulla corporalis species, quantumvis excellentissima, securum efficere hominem potest, se in illa specie intueri Deum, nisi prius firma fide intelligat, Deum ipsum illa se specie indutum voluisse cognosci. Prius igitur Deum fide cognoscit homo, quàm specie exteriori concipiat; ideo verò in ista concipit, quia per illam credit; credens autem, in ipsa specie Deum suum aspicit, reveretur, & colit. Vox itaque de cœlo Discipulorum corda confirmavit, qua opus habebant, quaque perterriti ceciderunt in terram, ut novum illum gratumque corporis splendorem Deum invisibilem contegere scirent, ac demonstrare. At hæc viatorum conditio est, multo inferior ea, qua tunc utebantur Moyses & Elias. Hi siquidem quum jam Dei visione fruiti fuerint antequam mortale corpus deponerent, eademque tunc potirentur secundum spiritum, per quam *in divinitatis solio* gloriam Christi sui multò purius intelligerent, quàm exterioris visionis auxilio; quo modo juxta S. Augustinum Angeli in visione matutina res conditas perfectiùs conspiciebant: non opus habebant voce cœlesti ut noscerent quod videbant; quia in ipsa essentia Dei hoc ipsum evidentissimè ac perfectissimè contuiti erant intrinsecus, quod extrinsecus manifestatum in corpore Salvatoris, suis etiam oculis excipiebant.

137. Magnæ hujus, ac sedulò contemplandæ veritatis institutor accedat Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, cujus nonnulla verba mox

adhibui, cujus item doctrinis mirificè confunduntur quicumque, antiqua fide deserta, post vanas eunt cogitationes suas, & perversa de Christo Domino locuuntur. Etenim S. Episcopus in Expositione Symboli Niceni, ut Christi personam, Unigeniti Filii Patris personam esse ostenderet, demonstrat Eum antiquis Patribus perfectè innotuisse in hominis specie, etiam antequam carne vestitus hominum se præberet obtutibus. Igitur conglomeratis multis tum verbis tum figuris Scripturarum, quæ Christum indicabant, demonstrabantque, atque pluribus eum Patriarchis, ac Prophetis manifestatum probant secundum naturam humanam, quam erat assumpturus: hæc demum in rem nostram descripsit. „ Neque enim, inquit, alius erat „ filius, qui ante carnem: alius autem ab ipso, qui ex semine Da„ vid, sicut audent quidam dicere, sed unus & - idem. Ante incar„ nationem quidem erat verbum: post partum autem, qui ex san„ cta Virgine, incarnatum & homo factum, sicut scripserunt divini „ Patres. Alio quoque signo comprobavit Moses. Nam cùm interro„ garet quispiam, & discere cuperet, de quonam viro mentionem fe„ cisset, quem & tentasse, & objurgasse Israelitas diceret, tantùm „ non protensa manu Jesum monstrat, & inquit: Qui dicit patri & „ matri, Non vidi te, & fratres suos non agnovit. Meminimus au„ tem unum sanctorum Evangelistarum scripsisse, quòd docente ali„ quando, & quosdam erudiente Christo, adstiterunt mater ejus & „ fratres: deinde accurrente quodam ex discipulis, & dicente, Ecce „ mater tua, & fratres tui stant foris volentes te videre, extensa „ manu sua in discipulos suos, dixit: Mater mea, & fratres mei hi „ sunt qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Qui enim fecerit vo„ luntatem Patris mei in cœlis, hic frater meus, & soror, & mater „ est. Hoc (opinor) est id, quod Moses dixit, inquiens: Qui dicit „ patri & matri, Non vidi te, & fratres suos non agnovit. Ultra „ & sapientissimus Daniel in specie simili nobis, Visum est, inquit, „ unigenitum Dei verbum. Vidisse enim se dicebat antiquum die„ rum sedentem super thronum, & mille millia millium assisten„ tium, & millia millium ministrantium, & interserit inter hæc quæ „ addit: Videbam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, „ quasi filius hominis veniens, & usque ad antiquum dierum perve„ nit, & coram ipso adducta sunt, & ei data honor & regnum, & „ omnis tribus & linguæ servient ei. Ecce enim iterum manifeste, „ & evidenter vidit Emmanuelem, ascendentem ad eum, qui in cœ„ lis est, patrem & Deum. Nubes enim suscepit eum, quem & non „ hominem simpliciter, sed tanquam Filium hominis dicit. Deus „ enim erat Verbum factum in similitudine humana, quomodo & „ sapientissimus Paulus intelligens, in similitudine hominum eum fa„ ctum esse dicit: inventum autem ut hominem habitu, & in simili„ tudinem carnis peccati visum esse his, qui super terram. Si autem „ homo fuisset, & ob copulationem cum Deo, tamquam Deus ho-

„ no-

„ noratus, dixisset propheta: quasi Deum, vel quasi filium Dei, eum
„ qui cum nubibus venit, visum esse: sed hoc non dicit, sed illud
„ dicit sicut filium hominis. *Vidit utique Deum existentem, & hominem*
„ *factum filium*, hoc est, in similitudine hominum factum, juxta
„ Pauli vocem. Veruntamen quamvis in carne apparuerit, usque ad
„ antiquum dierum pervenit, hoc est, ad sempiterni Patris rediit
„ thronum. Et ipsi data sunt honor & regnum, & omnis tribus &
„ linguæ servient ei. Id nimirum est, quod ab ipso dictum est: Pa-
„ ter, glorifica me gloria quam habui, antequam mundus esset apud
„ te. Quod autem incarnatum verbum Dei, considerat, & æqualis
„ gloriæ sit cum Deo & Patre, etiam in carne, tanquam unus exi-
„ stens Filius, etiam quando factus est homo, manifestavit sapientis-
„ simus Paulus, scribens: Talem habemus Pontificem, qui sedet in dex-
„ tera throni magnitudinis in sublimibus. Præterea & ipse Dominus no-
„ ster Jesus Christus, interrogantibus ipsum Judæis, nunquid ipse esset
„ Christus? Si dixero vobis, inquit, non credetis: & si interrogavero,
„ non respondebitis. Amodo erit Filius hominis sedens a dextris virtutis
„ Dei. Igitur ETIAM INCARNATUM FILIUM IN DIVINITATIS SOLIO SAN-
„ CTORUM PROPHETARUM CHORUS CONTEMPLATUS EST. (Exposit. in Symbol. Nicen. pag. 614. & 615. Tom. I. Concilior. Colon. Agripp. 1567.)

138. Quamobrem confirmo, Eliam & Moysem hujusmodi visione Dei fuisse gavisos, etiam antequam Christum in corporis claritate in mente contuerentur, quod tunc commune fuit discipulis secundum solam speciem humanam. Atque, ut ad meum redeam argumentum, inde conficio, sinum Abrahæ, ad quem revertere debebat anima Moysis, non fuisse destitutum spirituali atque perfecta Dei manifestatione; quia hæc privatio duriorem effecisset conditionem animæ Moysis, dum a beatitudine in monte gustata, ad primævas rediret Limbi tenebras, causa sublata transeuntis beatitudinis fuæ.

139 Nam si quispiam diceret, potuisse Moysem in propria mente asservare corporales excellentissimas species, quas viderat: nemo tamen inde saturitatem animæ efficiet, quæ quum spiritus sit, ac Deo solo inferior, pro quo creata est, nullis unquam corporalibus bonis implebitur, sed in sola Creatoris intima manifestatione, ac fruitione conquiescit. Ideo namque dixit S. Cyrillus, quod Daniel vidit Deum existentem, & hominem factum filium, ne solam hominis speciem vidisse suspicaremur. Porrò nos in Christo spem reponimus, quia Deus est: atque ita a Cristo, & in Christo, & per Christum beati efficimur, quia divinam substantiam suam nobis patefacit, & contemplandam præbet, & donat intelligendam; visibilem autem etiam extrinsecùs in suo beato corpore reddit. Ita dixit Apostolus Deum *apparuisse Angelis*, qui antequam carne vestiretur, invisibilis etiam illis erat substantia, scilicet ab extra, nam quoad plenitudinem spiritus, ipsum habuerunt a sua creatione præsentem, ac beatificantem.

140 Conditione itaque sinus Abrahæ detecta, tum ab egressu

 Moysis

Moysis ab eo, antequam Redemptor inferorum claustra penetraret; tum ab ejus apparitione, ac confabulatione familiari cum Christo in monte transfigurato; tum a cognitione Dei, quam ipsi negare non possumus; tum denique a regressu ejusdem animæ ad sinum unde venerat: sileat necesse est opinio Patris Fassonii, quæ tot veritatibus enervatur, atque concutitur, quibus ille bellum spontè indicit, ac sustinet, licèt reclamante conscientia.

141. Vidimus jam quibus artibus Patrum mentem celaverit, quorum pauca verba usurpavit, ne meliora sentire assuesceret, eaque lectoribus sincerè aperire cogeretur. Addo nunc Sancti Irenæi textum, cujus intellectum sibi prohibuit Pater Fassonius, ne a sua opinione deflecteret, licèt in subsidium veniat Ecclesiasticæ veritatis. „ Propter „ hoc, inquit Sanctus Martyr, & doctissimus Episcopus, & pueros „ eripiebat (Deus) qui erant in domo David, bene sortiti illo tem„ pore nasci, ut eos PRÆMITTERET IN REGNUM SUUM, ipse infans „ cùm esset, infantes hominum MARTYRES parans, propter Chri„ stum, qui in Bethlehem natus est Judæ, in civitate David inter„ fectos. " (num. 107.). Quid quæso erit illud regnum Dei, in quod pueri præmittuntur veri martyres Christi? Num statio erit ubi Deus non videatur? At tunc quid nobis sperare subest, dum audimus promissum regnum cœlorum, vitam æternam, Paradisum ab eodem Sancto Doctore? Quanto satius erat Patri Fassonio, si ab hoc præclarissimo textu Sanctum quoque Irenæum abriperet a millenariorum concilio, atque ejus etiam auctoritate Ecclesiasticam doctrinam in hoc articulo roboraret, quin inutili oratione adeo aperta verba inverteret, ac obscuraret.

142. Multum revera ipse præstare visus est ut Sanctum Justinum a Millenariorum censu eriperet, & in hoc commendari meretur: attamen nunquam intelligam cur hanc etiam palmam ex Sancto Irenæo pariter ab hujusmodi macula purgato, multiplicibus triumphis, quibus se ipsum coronat in libro suo, adjicere neglexerit. Ratio tamen obvia est. Scilicet textus Sancti Justini solam pertingunt Evangelicorum fidem in æternis assequendis post vitam præmiis; atque ideo proposito libri sui saltem in specie non nocebant. Ex adverso cognovit, se non posse purgare Sanctum Irenæum, nisi in Augustinianam descenderet sententiam, nimirum confitendo, ad verum, & legitimum regnum Dei præmissas fuisse Innocentum Martyrum animas, etiam in incunabulis Christi; unde rectissimè argumentatus fuisset, multo magis docuisse Sanctum Episcopum, istud præmium fidelibus post Christi mortem hinc abeuntibus, non potuisse diferri. Sed me vult Pater Fassonius, non Patrum honorem. Temperare tamen poterat ab allegando hoc Sancti Patris loco, quo sua sententia directè concutitur, ac præcipitantia redarguitur in adoptandis nonnullis aliis obscuris Sancti Irenæi verbis, quæ cum isto textu nullo hominum ingenio poterunt conciliari; quæ insuper apud homines doctos, inge-

ingenuosque, nunquam obscurare valebunt corruscantem ipsiusmet textus perspicuitatem, atque utilitatem.

143. Nec putet P. Fassonius, novas accidisse mihi quascumque protulit ex S.S. Justino & Irenæo auctoritates. Jamdiu ipsas inveneram, atque attentissimè meditaveram, collatisque horum insignium Ecclesiæ doctorum operibus universis, jamdiu curavi veram eruere ipsorum mentem circa statum Sanctorum in sinu Abrahæ, ut a Millenarii regni imputatione per me immunes fierent. Ex qua doctrinarum collatione didici, eos præcessisse Sanctum Augustinum in afferenda Sanctissimis fidei nostræ Patriarchis genuina beatitudine, visione nimirum, fruitioneque Dei statim a morte; quippe docuerunt apertè, eos per Spiritum-Sanctum religionis mysteria ab Unigenito, qui est in sinu Patris edoctos, per ejus gratiam justificatos, atque in regnum suum post multos exantlatos labores, secundum multitudinem miserationum suarum susceptos. Id, vita sospite, & Deo juvante, tum adversarius meus, tum ceteri docti homines in alio volumine demonstratum contuebuntur, si quando dabitur, ut vel libros, qui opus sunt, possideam, vel divitem aliquam bibliothecam commodè adire potuero. Aliud Roma est, aliud Cremona; ac nimium diversis subsidiis utitur homo præclaro alicui instituto adscriptus, quam presbyter solus, & bona tantum voluntate ditissimus.

144. At, inquiet P. Fassonius, quomodo possum ego in verbis Sancti Irenæi eum sensum suspicere, quem hæretici adoptant, ut totam deferant antiquitatem, & Cadonicum præcedant in tribuenda fruitione Dei sanctis, priusquam Christus cœlorum portas aperiret? Explicet igitur ipse quid vellet Sanctus Irenæus scribens, quòd Deus *præmitteret* (Martyres Innocentes) *in regnum suum*. Neque enim indicat id consideratum a *Basnagio* fuisse, quem dicit, Martyrum quidem illis nomen non invidere, rem tamen ipsam eripere conari (num 106.). Et revera ipsis rem eriperet, si adversus Irenæum contenderet, illos in regnum non fuisse præmissos. At si Basnagius, martyres confitens, præmium etiam istud ipsis sine cunctatione tribueret, nondum video errorem suum; donec P. Fassonius ostendat aliam fuisse mentem Sancti Irenæi in illis verbis, ac me etiam doceat, eadem illa verba stationem Limbi suo modo compacti, indicare. Quod si non potest: ex hoc loco Sancti Irenæi cognoscat, Sanctum Augustinum paria docendo, eas in præcedentibus Doctoribus elegisse sententias, quæ tum divinæ auctoritati, tum traditioni fatius responderent. Sed, ut alibi dixi, præteritionibus libentissime servit P. Fassonius, ne vel lectores statum quæstionis agnoscant, vel Patrum sinceris doctrinis informentur; sperans futurum, tales homines sua scripta versaturos, qui negligere, quidquid ipse animadversione indignum judicavit, parati sint, aut suis verbis cæca fide obedire.

145. Fortasse sub umbra hujus fiduciæ scripsit auctor noster (n. 79) Vossium in adhibendo testimonio Sancti Ambrosii, fucum imperitioribus

ribus facere, & præclari viri abuti doctrina ; addens præterea, eum vitiosè locum proferre, quem ipse emendatum dare gloriatur (numer. 202.) Ego revera nunquam hæreticorum libros legi ; & nonnisi casu accidit, quod amicus meus acris ingenii vir, Gherardi Joh. Vossii Theses Theologicas mihi nuper obtulerit, Hagæ Comitum impressas anno 1658. ut dissertationes duas perlustrarem, quibus scriptor ille de cetero doctus, de statu animæ separatæ disseruit. Occasione data, auctoritatem quæsivi Sancti Ambrosii, quæ est in fine quæst. primæ, disputationis sextæ in hæc verba. *Festinavit Sanctus David de hoc loco peregrinationis exire. Et ideo tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat*. Qui hunc locum comparabit cum lectione Patris Fassonii, inveniet immutationem esse nullius momenti, scilicet *Festinavit* pro *festinabat* ; fortasse quia ejusdem temporis & verbi repetitio inelegantior visa fuit in eadem periodo; sive etiam est thyporum mendum ; ni dicam fieri posse, ut codex a Vossio adhibitus *Festinavit* haberet, & non *Festinabat*. Integra & sincera de cetero sententia est, quæ, ut ego puto, magis Patri Fassonio, quàm Vossio facessere negotium debebat. Neque enim noster sperare poterat, lectores suos ita jejunè pertransituros *illam sanctorum communem omnium patriam*. Nam si patria communis sanctis est, nostri etiam eò tendunt, quò David ire festinabat. Quod si iste illuc perveniens, visione Dei privabatur, quomodo nostri eadem gaudebunt ? Aut itaque Patria non est eadem, & fallitur Sanctus Ambrosius; aut eadem est; & dona, munera, gaudia ejusdem patriæ nequeunt esse disparia singulis civibus illam civitatem incolentibus.

146. Sed Sanctum Patrem de hac re diutius loquentem audiamus. Agebat Ambrosius de *Bono mortis*, eamque optandam, atque semper optatam a verè justis demonstrat, inquiens. „ Itaque si plena oneris „ vita, utique finis ejus allevamentum est. Allevamentum autem bo„ num mors : mors autem finis. Mors igitur bonum est. Neque „ enim aliter GAVISUS est Symeon, qui responsum acceperat, non „ visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini : & cùm „ eum parentes in templum ducerent, suscepit manibus suis, & di„ xit : Nunc dimittis Domine servum tuum in pace, quasi NECESSI„ TATE quadam teneretur in vita, non VOLUNTATE. Ita dimitti pe„ tit, quasi a vinculis quibusdam ad LIBERTATEM festinaret. Sunt „ enim velut vincula quædam corporis hujus ; & quod est gravius, „ vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad injuriam captivitatis „ astringunt quadam lege peccati . . . . . Denique festinabat etiam „ Sanctus David de hoc loco peregrinationis exire dicens : Advena „ ego sum apud te in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei. „ Et ideo tanquam peregrinus AD ILLAM SANCTORUM COMMUNEM „ OMNIUM PATRIAM festinabat, petens pro hujus commorationis in„ quinamento dimitti sibi peccata, priusquam discederet de vita. „ Qui enim HIC non acceperit REMISSIONEM peccatorum, illic non „ erit.

„ erit . Non erit autem, quia ad vitam æternam non potuerit per-
„ venire , quia VITA ÆTERNA REMISSIO PECCATORUM EST . Ideoque
„ dicit, Remitte mihi ut refrigerer priusquam eam , & amplius non
„ ero. (De Bono mortis cap. 2.).

147. Quis unquam expectaret , quòd P. Fassonius, qui locum integrum legit , quamvis pauca verba de more protulerit , etiam ab hoc confirmari sententiam suam , me autem profligari contenderet ? Attamen ita se habet res ; atque ejus verba subjiciam, veluti vadem extremum confidentiæ suæ . „ Quibus potissimum verbis, inquit , nitatur Vossius , quid caussæ sit , cur hoc testimonio abutatur , satis „ exploratum non habeo". Si verum est hæreticos , quos toties nominat P. Fassonius , voluisse , sanctos antiqui testamenti , æque ac Evangelicos statim a morte visione spirituali Dei gavisos fuisse : non divinare opus habet quibus verbis magis afficeretur Vossius . Revera ipse sequitur . „ Nunquid quod noster (Ambrosius) communem piorum (Sanctorum dixit Mediolanensis Metropolita, Evangelicos etiam complectens) communem inquit piorum omnium patriam memorat ? Certè erat sinus Abrahæ optimi cujusque patria , sedes & „ regio ; at non affirmat , piorum ibi se Deum animis patefecisse , „ sua se illis forma ostendentem. " Quomodo in patria exules a patria ? Quomodo in Patria non videntes Deum, qui inhabitat , atque suo lumine illustrat eam civitatem , fundamenta habentem , quam , teste Apostolo , expectabat Abraham cum semine suo ? Nunquam S. Ambrosius exilium a patria , exilium a rege , vocasset patriam , quam è contrario, ut vidimus, unam credebat, & æternam tum antiquis tum evangelicis sanctis. „ Nunquid igitur, prosequitur P. Fassonius ; quia dicit, festinasse Davidem ex his terris, in quibus pe„ regrinaretur exire ? „ Immo ita. Qui enim peregrinus ad patriam suspirat , nunquam animo locum suspiciet , ubi peregrinetur adhuc . Idcircò inaniter , & falsò subdit P. Fassonius . „ Ne hoc quidem „ moveri debuit (David .) Festinabat enim hinc egredi, hinc mi„ grare , evadere , erumpere , non quod statim in cœlo , aut cum „ Deo se futurum speraret , sed ut vitæ hujus miserias , atque in„ commoda effugeret, & in malis hominum communibus portum „ tandem malorum suorum aliquem inveniret . „ Sentiet ne adhuc P. Fassonius , quatenus adversaria sit hæc sua oratio adeo exageratæ superiùs sententiæ , qua antiquæ legis homines , licèt sanctissimos , immuniter timuisse mortem contendebat ? Talem profectò metum ignorabat S. Ambrosius , qui Simeonem & David mortem desideravisse proponit, ut in veram libertatem, pacem , ac vitam vindicarentur æternam ; eorum propterea commendans nisus, atque orationes . „ Etenim luget , adjicit noster, eo loci, si forte nescis, Ambrosius „ vitam hominum , ut mortem deinde in bonorum numero poni „ oportere, optabilemque esse conficiat. " Rectè quidem Ambrosius : sed illud interpreti nostro, ut sibi constaret , erat ostendendum, Simonem

monem & David hujus philosophiæ præceptis haud imbutos fuisse ; atque idcirco mortem timuisse , quam tamen evidentissimè exoptabant . Propterea denuò falso concludit P. Fassonius : „ En , quamo- „ brem testimonio Ambrosii vehementer cuperet optimus ille Rex „ solum vertere , vitamque commutare cum morte , discessurus præser- „ tim , ut sperabat in locum, ubi, etsi Dei frui conspectu, majesta- „ teque non posset , locus ipse tamen quietis , & tranquillitatis ple- „ nissimus fore videbatur . “ Hæc revera non dicit S. Ambrosius , nec unquam dixisset , quippe qui sciebat , quod ignotum videtur nostro scriptori , sperавisse immo Davidem videre bona Domini in terra viventium ; sperabat namque pacem consequi promissam Abrahæ , & a Simeone postea prædicatam ; sperabat denique juxta Sanctum Ambrosium *vitam æternam* , quæ est remissio peccatorum , supplex exorans Deum , ut hanc remissionem ante obitum sibi concederet , quam post obitum consequi non expectabat . Vel itaque hac spe frustratus fuit David , vel P. Fassonius perperam illum in Limbo concludit ob culpam .

148. Adsit denuò nobis B. Ambrosius in ejusdem libri capite tertio . „ Ergo , inquit , quoniam docuit Apostolus eum , qui evaserit „ ex hoc corpore (si meruerit tamen) cum Christo futurum : quid „ sit mors , quid etiam vita consideremus . Itaque Scriptura docente „ cognovimus , quia mors absolutio est animæ & corporis , & quæ- „ dam hominis separatio . Solvimur enim hoc nexu animæ & cor- „ poris cùm recedimus . Unde & David ait : *Dirupisti vincula mea :* „ *tibi sacrificabo hostiam laudis* , (B. 115.) . Vincula autem vitæ hu- „ jus , idest conjunctionis nostræ , quæ ex anima constat , & corpo- „ re , significari docet superior versiculus Psalmi hujus : *Pretiosa in* „ *conspectu Domini mors sanctorum ejus* . Et ideo quasi propheta, præ- „ videns se CUM SANCTIS , & qui devotione ANIMAS SUAS IN CHRI- „ STO DEPOSUERUNT , FUTURUM , lætatur ; quia & ipse obtulit se „ fideliter pro Dei populo adversus Goliam singulari certamine di- „ micare , ut solus commune periculum & crimen refelleret : vel „ cùm SE MORTI pro Domini placanda offensione PROMPTUS OBJICE- „ RET : vel cùm se pro salute populi laborantis divinæ ultioni para- „ tus offerret . Sciebat enim GLORIOSIUS ESSE PRO CHRITO MORI , „ quam regnare in hoc sæculo . Quid enim præstantius quàm fieri „ CHRISTI HOSTIAM ? Itaque cùm frequenter ab eo legamus Domi- „ no oblata esse sacrificia : hoc tamen loco addidit : *Tibi sacrificabo* „ *hostiam laudis* . Non sacrifico inquit, sed sacrificabo, significans il- „ lud perfectum esse sacrificium , quando unusquisque Domino cor- „ poris vinculis absolutus assisteret , & offerret se hostiam laudis , „ quia ANTE MORTEM NULLA EST PERFECTA LAUDATIO . “

149. Confido sapientes , & veritatis amantes homines agnituros , hisce textibus Sancti Ambrosii sententias omnes improbari , quibus P. Fassonius librum implevit suum ; & adverso autem confirmari singulas

gulas Sancti Augustini doctrinas, tum in Vindiciis, Dialogisque meis, perperam ab hoc scriptore impugnatis, collectas; tum denique in hoc libro, ac brevi isto responso meo digestas. Unde evidens fit, tam longe esse, Divum Augustinum in hoc articulo a majorum institutione descivisse, quantò magis constat, præcipuos ex iltis ac celebriores, in suis scriptis probè examinatis, vel præcessisse Augustinum, vel comitatos ac subsecutos esse in tradenda doctrina sanctis antiqui testamenti tribuente beatitudinem in videndo Deo consistentem, statim post eorum a corpore discessum.

150. Sufficit ut homines, qui ex hac fortasse doctrina offenduntur, diligenter discernant inter Paradisum, & Regnum cœlorum toto homini promissum, & Paradisum regnumque cœlorum sanctis præparatum separatis animabus. Illud nonnisi spirituale esse potest, sine ulla corporali extrinseca affectione, & a Deo efficitur in substantia Dei: illud corporale etiam est, nonnisi in corporum resurrectione Sanctis manifestandum, quodque a visione etiam corporis Christi, & totius Ecclesiæ Sanctorum perficietur in cœlesti corporali Jerusalem. Utrumque verum esse Dei providentia ostendit. Scilicet corporale, tum in raptu Enoch & Eliæ in cœlum, nondum deposito corpore, tum certissimè in adscensu hominis Christi Jesu Redemptoris nostri, qui sedet ad dexteram Patris, quò processit paraturus locum etiam nobis. Spiritualis verò Paradisi æternis perfectisque bonis animæ a Christo, & per Christum justificatæ gaudent post mortem a peccato partam: qua de re, etiamsi nunc integrè satisfecerit Christus injuriæ Patris sui; attamen propriis corporis conjunctionem expectant in tempus Deo soli notum; quin idcircò a perfecta spiritus beatitudine retardentur, juxta Concilii Florentini sanctissimam definitionem. **Igitur sicut Deus nullo circumscribitur loco,** sed totus integer ubique est: ita omnis anima, quæ illius visione fruitur, in Paradiso est, ubicumque sit. Dico ubicumque, non ut locum corporalem designem, quo animæ detineantur, quæ omni corpulentia carentes, nullo possunt corporali loco contineri; sed ut intelligamus eas manere, & esse, & subsistere; semper quidem felices si in Deo propitio sunt, infelices vero si a Deo adverso repelluntur. Omnia quippe ita in Deo sunt, ut Sanctus Augustinus dicere non dubitaverit: „ Non ergo essem, Deus meus, non omninò „ essem, nisi esses in me. An potius non essem, nisi essem in te, „ ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia? Etiam sic, Do„ mine, etiam sic. (Confess. lib. 1. cap. 2.).

151. Spiritualem pariter, nec non corporalem Infernum divina sapientia nobis commostravit. Illum scilicet in divite, qui sepultus est in inferno, qui tamen non in corporali veritate, sed ad nostrum captum flammis cruciabatur, quia non in veritate, sed ut humano modo cum tardis hominibus agatur, veluti oculis, & lingua, & corpore instructus exhibetur. Corporalem verò infernum, atque existen-

tem tunc commonstravit Deus, quum sacrilegi illi in Numerorum libro cap. 16. descripti *Descenderunt vivi in infernum*, scilicet ad orationem Moysis, aperiens terra os suum, deglutivit eos, & omnia quæ ad illos pertinent, & descenderunt viventes in infernum.

152. Sicuti verò dives ille Evangelicus pœnas adhuc exspectat, quæ statim blasphemos suscepere Core, Dathan, & Abiron; interim verò omnibus cruciatibus agitur, qui perfectum, perpetuumque efficiunt supplicium spirituum damnatorum: ita perfecta, & æterna concipitur beatitas Lazari, atque justorum qui cum Deo sunt, licèt præstolentur quod toto homini præparavit Deus in sæculi fine, quum etiam secundum corpus erunt beati. Neque enim anima in contemplatione Dei sensu caret, Dei inquam, quem voluptatis torrentem vocat David, qui via, vita, & veritas est. Etenim si homo veritatem consectans, tanto afficitur gaudio, dum vel a se invenit, vel ab alio didicit quod quærebat: quisnam metiri poterit gaudium animæ, quæ Deo plena, & narrante Unigenito, qui est in sinu Patris, in intellectum inducetur tum creditarum, tum quæsitarum, tum etiam inexcogitatarum veritatum, in ipso fonte sapientiam bibens, & veritatis complementum?

153. Donum vero istud non spirituales solummodo res contingit, verum etiam species quascumque corporales, quas illi Deus revelare dignabitur, vel in eadem anima asservare. Anima quippe separata hujusmodi speciebus intimis, apparenter quidem corporalibus, sed verè spiritualibus, capax est; quibus pro rerum qualitate & torqueri possit, & lætificari. Scimus divitem in inferno sepultum exorasse Abrahamum, quem nunquam inter homines viderat, ut mitteret Lazarum, *ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam*. Rursus: *Rogo*, inquit, *ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. (Luc. 16. 24. & seqq.) Species igitur quarumcumque corporearum rerum, quæ hic numerantur, præsentes fuisse animæ divitis damnati adeo verum est, sicuti imagines vel visarum, vel excogitatarum urbium, hominum, vel aliorum corporum, in quantalibet eorumdem absentia, menti nostræ reprehesentantur sive vigilemus, sive dormiamus; quæ tamen vera corpora esse perperam putaremus. Ita verò apparebant animæ divitis, sicuti ipsa sibi velut cum proprio corpore apparebat, quando sine corpore certissime apud inferos erat.

154. Sententiam istam adornat Sanctus Augustinus contra Vincentium lib. 4. de anima & ejus origine cap. 16. & seqq. contra Vincentium dixi, qui corporeitatem adstruebat sinus Abrahæ, ac per hoc Abrahæ ipsius animam corpus esse monstrare volebat. „ Vereor, „ inquit S. Augustinus, ne in re tanta jlocaliter, atque irridenter, „ non seriò gravitaterque agere credaris. Neque enim usque adeo „ desiperes, ut arbitrareris corporeum unius hominis sinum fere tot

„ ani-

„ animas , immo , ut secundum te loquar , ferre tot *corpora* , *bene* „ *meritorum*, *quot illuc angeli*, *sicut Lazarum perferunt* . Nisi opinaris „ fortasse illam unam animam solam , ad eumdem sinum pervenire „ meruisse . Si non jocaris , & errare pueriliter non vis , sinum A- „ brahæ intellige , remotam sedem quietis atque secretam , ubi est „ Abraham . Et ideo Abrahæ dictum, non quod ipsius tantum sit , „ sed quòd ipse pater multarum gentium sit positus , quibus est ad „ imitandum fidei principatu propositus : sicut Deum Abraham , & „ Deum Isaac, & Deum Jacob, se Deus vocari voluit , cùm sit in- „ numerabilium Deus. „ Hunc locum valde corruptum citat P. Fas- sonius num. 6. pag. 12. qui quatuor libros de origine animæ , veluti unum commemorat , nec rectè ponit numerum capitis , in quo legi- tur. Sed nolo eum ideo vexare.

154. „ Neque me inquit ita differere existimes , tanquam negem „ fieri posse, ut ANIMA MORTUI SICUT DORMIENTIS, IN SIMILITUDI- „ NE CORPORIS SUI SENTIAT , SEU BONA , SEU MALA . Nam & in „ somnis quando aliqua dura & molesta perpetimur , nos utique su- „ mus, & nisi evigilantibus nobis illa prætereant , pœnas gravissimas „ pendimus . Sed corpora esse credere, quibus hac atque illac quasi „ ferimur & volitamus in somnis , hominis est, qui parum vigilan- „ ter de rebus talibus cogitavit : de his quippe visorum imaginibus; „ maximè anima probatur non esse corporea : nisi velis & illa cor- „ pora dicere, quæ præter nos ipsos tam multa videntur in somnis, „ montes, arbores, animalia : Hæc qui corpora esse credit, incredi- „ biliter desipit : sunt tamen corporibus omninò simillima . Ex hoc „ genere sunt quæ alia significantia divinitus demonstrantur , sive in „ somnis , sive in extasi : quæ unde fiant, idest, quænam sit velut „ materies eorum , quis indigitare potest aut dicere ? Procul dubio „ tamen spiritalis est , non corporalis . Namque hujusmodi species „ velut corporum , non tamen corpora , & vigilantium cogitatione „ formantur, & profunditate memoriæ continentur , & ex ejus ab- „ ditissimis finibus, nescio quo mirabili & ineffabili modo, cùm re- „ cordamur prodeunt, & quasi ante oculos prolata versantur . . . . . „ Quid ergo mirum , si & ipsa sibi in sui corporis similitudine ap- „ paret, & quando sine corpore apparet ? Neque enim cum suo cor- „ pore sibi apparet in somnis , & tamen in ea ipsa similitudine cor- „ poris sui , quasi per loca ignota , & nota discurrit, & læta sentit „ multa vel tristia . Sed puto quòd nec tu audeas dicere , figuram „ illam corporis atque membrorum , quam sibi habere videtur in so- „ mnis, verum corpus esse. Nam isto modo erit verus mons, quem „ sibi videtur ascendere ; & corporea domus , quam sibi videtur in- „ trare: & arbor vera , lignumque verum corpus habens, sub qua sibi „ videtur jacere, & aqua vera , quam sibi videtur haurire; & omnia „ in quibus quasi corporibus versatur , corpora erunt, si & ipsa cor- „ pus est, quæ simili imagine inter cuncta illa versatur. „

 155. Ex-

155. Explicat mox Sanctus Pater somnium Sanctæ Perpetuæ sibi a Vincentio objectum, quæ visa sibi est cum quodam Ægyptio in virum conversa luctari; & ad rem nostram subdit. „ Unde igitur erat „ virile animæ corpus, in quo sibi luctari cum adversario videbatur? „ Si autem non erat corpus, & tamen erat aliquid simile corporis, „ in quo sane verus labor, aut vera lætitia sentiretur; jamne tandem vides, quemadmodum fieri possit, ut sit in anima similitudo „ quædam corporis, nec ipsa sit corpus?

„ Quid si tale aliquid apud inferos geritur, & in eis se, non cor„ poribus, sed corporum similitudinibus animæ agnoscunt? Cùm „ enim tristia patimur, quamvis in somnis, etsi membrorum corpo„ reorum sit illa similitudo, non membra corporea; non est tamen „ pœnæ similitudo, sed pœna. SIC ETIAM UBI LÆTA SENTIUN„ TUR. "

156. Quamobrem puto Durandum Meldensem Episcopum in celebri suo libello, quem profert Berninus (Hist. Hæres. Tom. 3. secul. 14. cap. 3. p. 485.) minus fortasse exactè locutum quum dixit, animas separatas visione Dei secundum humanitatem Christi non posse potiri, quia talis anima non habet oculos, ut videat corporalia, & in eis delectetur. Porrò si intelligit, visionem humanitatis Christi in veritate corporis, secundum quod regnat in excelsis: bene intelligit; hac enim visione exteriori, in loco, & ab extra ut locuntur, privantur animæ, donec primæva corpora in carnis resurrectione resumant. „ Aliud quippe est in anima, ut docet S. Au„ gustinus (loc. cit. cap. 20.) quo corpora vera sentimus, quod faci„ mus quinque sensibus corporis. " Sed animadvertendum etiam erat clarissimo doctissimoque illi Scriptori, quod subjicit maximus Doctor, & nostram quæstionem illustrat. Sequitur enim. „ Aliud „ (est in anima) quo præter ipsos (sensus) similia corporibus non „ corpora cernimus, ubi & nos ipsos non aliter quàm similes corpo„ ribus contuemur. " Quæ enim anima hoc potest, similitudinem etiam corporis Filii Dei intueri valet sub quacumque claritate, atque honore placuerit Deo illum ipsi revelare, & facere præsens. Ita enim puto Danielem Prophetam in visione noctis conspexisse quasi Filium hominis venientem cum nubibus cœli, & usque ad antiquum dierum pervenientem, & mille millia millium assistentium, & millia millium ministrantium, & omnes tribus & linguas servientes ei; ut ex Sancto Cyrillo superius retuli.

157. Nam Divus Augustinus contra eundem Vincentium disputans (cap. 21. loc. cit.) ait. „ Ex hoc genere similitudinum corpo„ ralium (quales nos videmus in somnis) quæ non corpora sicut „ corpora apparent, sunt omnia, quæ Sanctos libros legens in pro„ pheticis etiam visionibus non intelligis: quibus significantur ea quæ „ geruntur, in temporibus, vel præsenti, vel præterito, vel futuro. „ Falleris autem in eis, non quia sunt ipsa fallacia, sed quia non ca si-

„ ea ſicut accipienda ſunt, accipis. Ubi enim viſæ ſunt animæ martyrum, in eadem revelatione viſus eſt & agnus quaſi occiſus habens cornua ſeptem : ibi equi, aliaque animalia, ſicut oportuit figurata : ibi poſtremò & ſtellæ ceciderunt, & cœlum plicitum eſt ut liber ; nec tamen tunc concidit mundus. Iſta itaque omnia, ſi ſapienter accipimus, quamvis dicamus viſa veracia, non tamen vera dicimus corpora. “

158. Abſit autem a nobis cogitatio, quòd animæ ſeparatæ ſanctorum, quæ a Verbo præſente docentur, in iis fallantur, quas Deus ipſis indere conſtituerit, ſimilitudinibus corporum ; multo magis abſit, quòd ejuſmodi imagines retardent illas a perfecta contemplatione Dei, quo implentur, & ſecundum ſubſtantiam beatæ fiunt ; ſive etiam eas inopportunè ad corpora trahant, in eorumque contemplatione velut vitioſè detineant. Id quippe ſanctis evenire non poteſt : fruentur enim imaginibus iſtis ad normam ſummæ cognitæque veritatis, iiſque utentur ad Deum amplius cognoſcendum, atque laudandum. Ita nempe docemur in libro Eccleſiaſtici. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſua benedicetur. Dilectio Dei honorabilis ſapientia. Quibus autem apparuerit* IN VISU, *diligunt enim* IN VISIONE, *& in agnitione magnalium ſuorum.* (cap. 1. v. 13. & ſeqq.) Hæc namque apparitio in viſu ad naturam Dei non pertinet ex iis, quæ infra dicentur : maxime tamen naturam denotat ab Unigenito aſſumptam, quæ in ſimilitudine corporis ſanctorum ſpiritibus poteſt apparere.

159. Tertium enim, & magis proprium viſionum animæ genus, ſuperiori capite (num. 31.) Sanctus Auguſtinus patefacit. Nam quum dixiſſet, animam vera corpora ſenſibus corporeis ſentire ; poſſe autem etiam ſimilia corporibus non corpora contueri : „ aliud, ſubdit, in anima eſt, quo nec corpora, nec ſimilitudines corporum, ſicut fidem, ſpem, caritatem, ſine ullis coloribus & tumoribus, eorumque ſimilitudinibus, certius ſane, firmiuſque conſpicimus ; ubi magis eſſe, & quodam modo familiarius habitare debemus, ubi renovari in agnitionem Dei ſecundum imaginem ejus qui creavit nos. “ Illud enim jam aſſecutæ ſunt beatæ, & caritatem non amplius ad profectum, ſed jam ad ſaturitatem contemplantur, quia Deus caritas eſt. At ſi ipſe Deus fortaſſe voluerit, ut humanitatis quoque ſuæ gloriam, tum etiam aliarum animarum, ſpirituumque ſortem conditionemque, mundique totius eventus, agnoſcant ejuſmodi congruis ſpiritualibus viſis : ideo etiam exaltandus eſt, quia vires ab ipſo animæ inditas, in æterna patria perficiat ; & legibus, licèt ſanatæ naturæ, cum humanis animabus agat. Certè tamen, quamvis per iſta quæ diximus, ad altitudinem adeo obſcurarum rerum non perveniremus ; in iiſque fortaſſe pro humana fragilitate infirmum quidpiam nos miſcere contingeret : Deus tamen humiliter glorificandus eſt, qui, duce Sancto Auguſtino, viam aliquam aperire nobis

nobis benignè voluit, qua & sanctarum animarum felicitatem, & iniquarum supplicia aliquatenus concipere possimus etiam ex imaginibus corporum, quæ in eis & asservantur & excitantur. Has tum in anima divitis damnati, tum in illa Lazari beati suscitatas, atque asservatas revera fuisse, ex Evangelica auctoritate docemur, atque ita rectè intelligimus Ecclesiæ sanctæ preces, quibus assiduè æterno Patri, per merita Filii sui Redemptoris Mundi, commendat animas famulorum, famularumque suarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & DORMIUNT IN SOMNO PACIS. Spero autem lectoribus haud ingratam cessuram doctrinam istam, quippe quæ lucem non exiguam suppeditat iis, quæ in libro illo meo atque etiam in Vindiciis sæpius de hoc articulo dicta sunt; dum de separatarum animarum vel beatitudine vel pœna æterna agendum esse putavi.

160. Assidue tamen meminisse opus est quod sæpius monstrare curavi, beatitudinis bonum animabus antiqui testamenti obvenisse propter fidem in Christum venturum, cujus futura merita, in passione tanto post manifestata atque completa; eisdem a Deo Patre impetravere gratiam tum remissionis omnium peccatorum, tum integræ sanctificationis, qua & in vita ei servirent fideliter, & in osculo pacis suæ mundo abirent, & in possessionem inducerentur visionis suæ. Ceteris etiam omnibus difficultatibus, quas P. Fassonius vel a Tournely exscripsit, vel a Pougetio mutuatus est in *Institutionibus catholicis*, firmum, ut puto, responsum invenient lectores; singillatim verò in Præfatione illas reperient præoccupatas, quas adversarius meus ex Romano Catechismo multo & longo opere coacervavit.

161. Hinc fiet, ut omnes intelligant, nondum placuisse Ecclesiæ Sanctæ mentem suam in hac quæstione aperire; nec facile corripi posse hominem, qui debita modestia, sub præcipuorum Patrum ducatu simbolam suam adjiciat, ut demonstret, commodo, & dignitati Ecclesiæ magis inservire, qui sanctos antiqui testamenti statim a morte in Domini conspectu constituit; quam qui Abraham, fidei nostræ Patrem, a regno Dei exulem multis sæculis prædicat; atque illum propter culpam sub dominatione mortis ponit, ac sub potestate ac tyrannide dæmonis dicere non contremiscit.

162. Huc tendunt nisus Patris Fassonii: licèt ipse invisa rerum immagine deterritus, temperare verbis conetur necessarias suarum argumentationum doctrinarumque consecutiones. Revera omnia invertere satagit, falsas inducens ideas tum pœnæ damni, tum beatitudinis, ut minus attenti lectores, confusione rerum oppressi, nec in tanta auctoritatum varietate, atque oppositione, pura ab impuris discernere valentes: communiori sententiæ sine labore subscribant, & Sanctum Augustinum subitò deferant, cujus genuinos sensus in hac magna quæstione, nonnisi laboriosi, diligentesque, & in ejus lectione versati homines possunt degustare.

163. Utque suos ab hoc utili studio abducat P. Fassonius, & saltem

tem a collectionibus meis legendis deterreat, singulis propè capitibus, ne dicam numeris, inculcat, hæreticos homines meæ sententiæ esse antesignanos. Sua verba do (num. 94.) „ Verùmtamen licet Majo„ res nostri, licet Theologi, licet ipsi Hebræorum doctores, magna „ animorum contentione Cadonici refellant, exagitarentque senten„ tiam, fatendum est nihilominus, eandem non omni nudatam esse „ præsidio. Habet & ille, vera si loqui volumus, sui juris defenso„ res, habet qui ferant suppetias, Bezam, Cameronem, Martinium, „ Liborchium, Cattenburghium, similes. His enim placet, etiam „ ante Christi obitum, cœlum Optimo cuique patuisse, statimque „ a morte factam Piorum animis videndi Dei potestatem. Extra„ jocum. " Amarè equidem jocatur P. Fassonius; qui tamen ad me scribens post promulgationem operis sui, ejusmodi verba optimè sibi nota, lepores styli appellat, *vivezze di stile*.

164. Unum ingenuè reponam, sicuti antea dixi, nunquam me hos auctores legisse: pauci siquidem dies nostri sunt, & satius est animum bonis pascere præceptis, quàm malis perturbare doctrinis. Quidquid scripsi ex immaculato Sancti Augustini fonte pro viribus derivare curavi. Cujus documentis imbutus, nunquam cogitassem vituperare hæreticos, quod *optimo cuique patere cœlum* dixerint, *etiam ante Christi mortem*; dummodo optimos illos viva membra Christi agnoscerent, & in ejus fide, & per ejusdem merita a peccatis solutos, veræ virtutis affectas effectos, ac demum salvatos; nec postremam inficiarentur resurrectionem, completamque perpetuam Sanctorum hominum gloriam. Immo etiam lucrum putassem eos capere in sermone. Qui enim hoc præmium ante Christi passionem concedunt justis, improbè illud diferrent Sanctis Evangelicis usque ad judicium extremum; & Lutherum, Calvinumque desererent in hoc magno retributionis articulo, quos Tournely dicit docere, beatorum spiritus usque tunc Dei visione fraudatos.

165. Fortasse hæretici ægrius se ab hac argumentatione expedirent, quàm a tot aliis, quibus P. Fassonius eos devincere sibi persuadet, tum in hoc, tum in diversis quæstionibus, quibus attentionem interpellat lectorum suorum, eosque a cardine detrahit rei de qua agimus; quam paucis sanè paginis coarctavit.

166. Neque enim vincet Vossium, veluti perversè intelligentem verba nulli interpretationi subjecta ex Sancto Ambrosio superiùs relata; nec unquam, eorumdem custodito legitimo atque obvio sensu, monstrabit, antiquissimam Ecclesiæ fidem sanctis antiquis cœlestem patriam præpedivisse.

167. Minus adhuc proficeret cum Vossio P. Fassonius, si contenderet Sanctum Augustinum a suis partibus esse; quandoquidem ille nostro scriptori adversantes objiceret infinitas propemodum illustrissimi Latinorum Doctoris auctoritates, principia, argumentationes, & Scripturarum exempla, quibus libri mei redundant.

168. For-

168. Fortasse etiam risum moveret Vossio, si præclarissima Sancti Joannis Chrysostomi verba de Sanctis Martyribus Machabæis, apud eum meris cavillationibus obscurare tentaret, ut facit num. 205. & seqq. libri sui. „ Duo, inquit, hic vir Sanctus posuit, quæ vel „ doctissimorum ingenia mirabiliter torqueant. Homilia 2. num. 1. „ agens de natu minimo ex fratribus Machabæis sic loquitur: *hoc* „ *vero theatrum* adeo præclarum erat, & magnum, ut ipsum Ange- „ lorum cœtum, immo verò fratres spectatores haberet, non jam a „ terra, sed E COELIS. CORONATI enim, ut in olympicis certami- „ nibus judices, considebant. Homilia vero 1. num. 3. de illorum „ matre hunc in modum: sed illos omnes, ceu in tutum quoddam „ receptaculum IN COELOS deportatos habens, & ad SUPERNAS mis- „ sos CORONAS, BONAQUE IMMUTABILIA, multa cum fiducia & vo- „ luptate certamen adiit. “

169. Nisi brevitatem sectari in hoc responso proposuerim, centum alia loca Sancti Joannis Chrysostomi adjicere possem, ubi justis antiqui testamenti coronas promittit perpetuas, quia quamvis ante tempus gratiæ, nimirum prædicationis Evangelii, evangelicam tamen perfectionem temporibus legis impleverint. Sed nihil proficerem cum P. Fassonio, qui ad omnia paratum se perhibet, ne ita demum sensisse permittat Sanctum Doctorem.

170. „ Clarè igitur, inquit, locutus sum, & apertè, & quæ mi- „ hi timorem facere videantur, exposui. Sane quidem priore illo „ loco (viderat enim & excripserat) iantopere conturbatus est Dio- „ nysius Petavius, ut quamvis ex Chrysostomo docuisset, pios olim „ omnes ante Christi obitum ad Inferos immigrasse, paullo post ta- „ men addiderit, sibi semper virum doctissimum in hac re non con- „ stare, professumque interdum esse, eorundem piorum animos an- „ te id temporis abiisse in cœlum, & divina promissa consecutos „ fuisse. *Quid*, inquit, quid, *quod idem Chrysostomus in Homilia secun-* „ *da de Machabæis, etiam ante Christi adventum, Sanctorum animas in* „ *cœlo versatas esse, & coronam percepisse docet?* “

171. Hinc unde mihi gratuler habeo, Petavium scilicet hanc detexisse sententiam in Constantinopolitano Antistite, quin P. Fassonius pronuntiet, hæreticorum placita eum esse secutum. Attamen scriptor noster demum intelligere deberet, falsò se denegasse hanc fuisse doctrinam etiam Chrysostomi, nisi se extollere amaret supra acutissimum, laboriosissimumque Petavium; qui duas adversantes sententias in Sancto Patre detegens, tacens etiam suadet diligentioribus, ut utra verior sit maturius examinent. Sed audiamus no- „ strum. „ Ego obscurissimum, inquit, esse locum, & perdifficilem „ fateor, immo ejusmodi, qui bonum quemque Theologum addu- „ cat in angustias. Nunquam tamen inducere animum potero, ut „ cum Petavio sentiam, Chrysostomumque inconstantiæ condem- „ nem. “ Attamen ni fallor, cognoscet, ex hac pervicacia nullum

sanæ

sanæ doctrinæ lucrum accedere, quia nullus fortasse Theologus doctrinam amplecti vellet & defendere, quam P. Fassonius ex Homilia panegyrica *de Bernice &c.* extra omnem opportunitatem in suum librum adscivit; in qua si Chrysostomum seriò purgare aggrederetur, ab hac animi obstinatione deberet deflectere. Post hæc igitur, denuò repetita sententia sua, quam Chrysostomi auctoritate vallatam vult, demum addit. „ Quidvis potius dicere paratus sum, etiam „ Homilias illas interpolatas esse, aut similia, quàm concedere, tan„ to ingenio sapientiaque doctorem secum discordare, & loqui tur„ piter repugnantia. " En firmum responsum quod imminet multis præclarissimisque auctoritatibus superius a me ex Sancto Doctore quæsitis, ut ostenderem, illum Augustinianam in hoc articulo præcessisse sententiam. Sancti autem Augustini doctrina semper id habebit emolumenti supra ceteros Patres, quos inconstantes dicere opus erit P. Fassonio, omnia conferenti quæ dicta sunt, & multo majora, quæ in diligenti eorum lectione comperiet, ut suos fuisse commonstret; id, inquam, emolumenti habebit Augustiniana doctrina, quòd inconstantiæ accusari non poterit a confidente adversario meo. Perperam scilicet sub tanto nomine adduxit unicum, sed spurium sermonem de Tempore 137. nunc verò in Appendice num. 160. quam ego diligentius examinavi Cap. XIX. ut Lovaniensium, ac Maurinorum rectissimum in illo respuendo confirmarem judicium.

172. Compendiosa revera via est, si quidquam in scriptis Patrum invenientes, quod præconceptis opinionibus nostris minimè arridet, subitò de interpolatione conqueramur. Sed æquè periculosa, lubrica, & Ecclesiæ invisa via hæc erit, qua omnia ad unum opera Patrum in dubium revocantur, & pyrronismi regnum in religionem inducitur. Fingat P. Fassonius, me interpolationem conclamare in singula loca a se adducta; & tunc ingenuè metiatur stragem, quam inconsultis hisce dictis nostris, si quid valerent, induceremus in hujus magni Patris operibus. Qui verò eadem scripta, ut decet, curat, atque veneratur, si repugnantiam aliquam sententiarum offendat; conciliare primùm eas nitetur; vel illam demum eliget, quæ præclarior, frequentior, & Scripturis convenientior; tum etiam quæ aliorum Patrum documentis magis consentanea poterit comprobari. Si periculum istud fieret, num plura Chrysostomi loca, num præclariora, sententiæ Fassonianæ faveant, an verò meæ: puto equidem me victorem facilè futurum.

173. Adversario igitur meo hisce artibus confidente, æstiment lectores quot interpolationes ebullient in Homilia S. Gregorii Nazianzeni, eadem de Sanctis Machabæis prædicantis, quæ Chrysostomus de nobilissimo illorum martyrio celebravit; quot in Sermonibus Sancti Augustini de iisdem; quot denique in quibuscumque Ecclesiæ Patribus, qui vel istorum triumphum, vel Sanctorum Innocentium stragem, vel Prophetarum aliorum martyrium, vel Sanctissimi pro-

tomartyris Abelis cædem oratione complexi sunt ; omnes quippe Chrysostomo consonant ; quem tamen P. Fassonius interpolatum potius diceret , quam se, ad tantam assequendam rerum altitudinem , minus idoneum esse dubitaret.

174. Immo etiam vereor , ne P. Fassonius , ita ut diximus comparatus , interpolationem aliquam suspicetur , sive etiam proclamare non dubitet, in pluribus Ecclesiæ Sanctæ Liturgicis Orationibus ; ex quarum numero sequentem interim illi meditandam , & , si valet , cum sua opinione conciliandam, propono. Habetur autem in Secreta Dominicæ Septimæ post Pentecosten in Missali Romano. „ Deus, „ qui legalium differentiam hostiarum , unius sacrificii perfectione „ sanxisti : accipe sacrificium a devotis tibi famulis , & PARI BENE- „ DICTIONE , SICUT MUNERA ABEL SANCTIFICA : ut quod SINGULI „ obtulerunt ad majestatis tuæ honorem , cunctis proficiat ad salu- „ tem. Per Dominum &c."

175. At verò lectores prudentes , qui desperato non ducentur Patris Fassonii genio , maturè interim meditabuntur , doctrinam , quam effert scriptor noster, esse non posse doctrinam Ecclesiæ; quippe quæ adversaria videtur Ecclesiæ ipsius precibus, nec non præcipuorum Patrum dictatis in hac gravi materie. Omnes enim ad unum Patres concordant in duobus articulis : scilicet , ita verum , perpetuumque Lazari gaudium fuisse , quomodo verum & sempiternum erat divitis supplicium ; ne vis fiat historiæ in Evangelio Sancti Lucæ veracissimis , simplicissimisque verbis expositæ. Secundò, nemo ex Patribus , quod ego sciam , æternum invidet præmium animabus justi Abel, & Martyrum Machabæorum , reliquorumque sanctorum hominum , qui proprio sanguine veritatem religionis a Deo datæ confirmaverunt . Donec itaque P. Fassonius non ostendat , pœnam damni , scilicet carentiam visionis Dei cum malæ responsione conscientiæ non efficere infernum in spiritibus damnatorum ; rursus donec non demonstret felicitatem justorum consistere posse absque visione & participatione Dei ; demum nisi inconcussis documentis non probet „ istam esse Ecclesiæ fidem : nunquam victor ascendet ab hoc certamine.

176. Fides autem Ecclesiæ , tum revelationi nititur , tum traditioni : illam è Scripturis sanctis derivat, hanc ex Patrum documentis . Nullus textus scripturæ a P. Fassonio allatus clarè demonstrat , eam fuisse animarum sanctarum sortem, quam putat ipse ; qui talibus interpretationibus præclarissimum sensum obumbrat aliorum mille, quos in hanc rem exscripsi , & præcipuè capite ultimo libri istius mei . Nam si textus a se laudati ita demum , ut vult , essent intelligendi : omnes Patres errassent in vera gloria , & æterna quiete tribuenda iis, quos recensuimus, sanctis, quia nescissent, libros sacros hanc prohibere sententiam.

177. Nec Patres dicendi sunt , *cœlum, & coronas supernas*, & *bona immutabilia* conlata dixisse sanctis eo sensu , quem somniat P. Fassonius,

nius, ut vim eludat auctoritatum Sancti Joannis Chrysostomi. Scilicet vanissimè dicit, nullam facessere debere molestiam *Cœli* vocem, quia hoc nomine sæpe designatur *aer*, sæpe *clima*, sæpe *fulmen*, & alia similia. Illud monstrare supererat erudito scriptori, cœli vocabulum etiam *infernum* significare, quò credit Machabæorum animas immigrasse, quod tamen dicere ausus non est; quamvis innuere non dubitet, ita perversè hac voce usos Patres, ita insuper a suis auditoribus acceptam fuisse. Sed qui non amat desipere, citò percipiet, omnes simul illas Chrysostomi voces rem unam significare, præmium nimirum revelati vultus ipsius Dei; quod explicatius inculcabit, ut puto, Sanctus Pater pluribus locis eorumdem sermonum. Istud colligo ex unico, qui est in editione mea, cujus plura verba, atque efficacissima possem transcribere, nisi ex adductis a Patre Fassonio cognoscerem, diversam illum versionem esse secutum; nec lubet quæstiones serere de verbis nudis apud hominem, qui diversas vocabulorum acceptiones, veluti insolubilia profert in hac magna quæstione argumenta; quin semel considerare dignetur, verba Patrum ad populum in eum sensum fuisse prolata, qui communi significationi, & obviæ intelligentiæ respondent.

178. Sed Conciliares, inquit, definitiones habemus. Si ita res se haberet, finita lis esset; & P. Fassonius, hoc uno rectè demonstrato, tum me ad humile debitumque silentium adegisset, tum ignorantiam meam in intelligendis textibus Sancti Augustini palam fecisset, quam publicè confiteri non erubescerem. Verùm ex se ipso cognovit, hoc argumento uti non posse; quin tamen satis animadverteret, nullum lucrum accedere opinioni suæ ex relatione quorumdam verborum, quæ in Provincialibus Conciliis inseruntur. Quid enim prosunt, si vel obiter dicta sunt, vel ab aliquo ex Patribus; vel ita exarata ut quæstionem nostram minimè contingerent? Nonne P. Fassonius risu me exciperet dicentem, Angelicas virtutes corpus naturaliter conjunctum habere, idque è fidei compendio esse, quia in Synodo VII. Oecumenica Tarasius Constantinopolitanus alter e Concilii moderatoribus, Joannis Thessalonicensis verba referens, affirmat, Angelos corpora quædam levia, aeria, vel ignea sibi adjuncta habere, quin Patres Concilii hanc sententiam ab Actis expunctam voluissent? Sed adversarius meus huic argumento minimè nititur: secùs, nunquam sequentia scripsisset in nota 22. „ Hæc, „ atque alia id genus cùm disputo, nolo equidem veluti dogma ab „ Ecclesia liquidò disceptatum, vel potius definitum, ut loquimur, „ accipi, quæ in hac controversia in Catechismo, Breviarioque tra„ duntur, sed solum intelligi volo, tanquam doctrinam, in Eccle„ siam magno consensu receptam, ab eaque approbatam. " Porrò nec Catechismus, nec Breviarium Romanum Ecclesiæ consensum indicant. quia utrobique talis doctrina propinatur, quæ constans dici non possit, quin immo in utramque partem controversa, adeoque ad

invicem adversaria; de quo satis tum in Vindiciis, tum in Præfatione, tum in postremo Capite istius libri locutus sum.

179. Ad Concilia verò quod attinet, ne tam venerabile nomen imprudentibus lectoribus terrorem incutiat, aliqua examinare præstat. „ Negabit, inquit P. Fassonius, præsentiam Dei sanctis antiquorum „ animabus, cum Arelatensium Patrum Concilio Lucidus presbyter, „ qui in libello, quo errores suos ex illius regula, norma, & præ- „ scriptione emendavit &c. ". Quis non crederet, Acta istius Concilii adeo a nostro scriptore exagerata, testimonium reddere rei, quam tanta pronuntiat firmitate? Attamen sapientissimus Cardinalis Orsi, quem dum ista transcribo, non sine bonorum studiorum jactura, & meo dolore, e vivis ereptum audio, in celebri sua Historia Ecclesiastica Tom. 15. lib. 35. num. 85. admonet: Di questo Concilio, nè abbiamo gli atti, nè alcuna menzione fattane da „ Scrittori contemporanei, fuorchè dal medesimo Fausto (Episcopo Reij Apolinarij, qui dicitur accusator presbyteri Lucidi, ejusque epistolæ promulgator) nella sua „ Lettera a Leonzio, che serve come „ di prefazione a' suoi libri della grazia, e del libero arbitrio". Numero verò 87. ita sequitur. „ I libri di Fausto furono indi a poco „ messi per questa ragione (scilicet quia impugnabant doctrinas Sancti Augustini) „ tra libri apocrifi, cioè tra libri meritevoli di essere „ condannati alle tenebre, da S. Gelasio. " Multa adjicere possem ex epistola mea anni 1755. ad virum verè doctum, qui mihi objecerat retractationem Lucidi presbyteri, veluti incommodam doctrinæ Augustinianæ, quam a me amari cognoscebat. Præterire tamen nefas esset ampliora verba istius retractationis, ut P. Fassonius intelligat, vel illa non esse verba Concilii, vel quæstionem istam jamdiu e compendio fidei esse, & uti loquimur, definitam. Non enim dixit Lucidus solummodo, ut P. Fassonius refert num. 43. *damno vobiscum sensum illum .... qui dicit Patriarchas, & Prophetas, vel summos quosque sanctorum, etiam ante redemptionis tempore, intra Paradisum deguisse*: sed istam æquè ac alias propositiones sequenti anathemate perculit. *Hæc omnia quasi* IMPIA, ET SACRILEGII REPLETA *condemno*. Non enim in conspectu Concilii ita loqueretur Lucidus, nisi Concilium ipsum in eadem novisset esse sententia: nec Concilium hanc contestatam denuntiationem presbyteri illius acceptasset, nisi rectam haberet, ac antiquissimam demonstrantem, stabilemque Ecclesiæ fidem. Istud tamen adeo a veritate distat, ut nullum ex posterioribus Conciliis, quæ citat P. Fassonius, quidquam simile vel edixerit, vel saltem innuerit; sed insuper nec Catechismus, nec Breviarium Romanum eam solam doceant, amplexentur, atque proponant sententiam.

180. Immo Synodus ex Ægypti provincia congregata Alexandriæ anno 430. teste adversario meo (num. 48.) sequentia tantum exhibet verba. „ Dei gratia mortem pro omnibus, ut modo ajebam,

„ degu-

„ deguſtavit, & poſt triduum, vitæ reſtitutus, Infernum deſpoliavit." Scilicet nondum conſtat quo ſenſu iſta edifferantur, quæ certè ab aliquo peculiari ex Patribus, atque obiter dicta fuiſſe, tum enuntiatio ipſa palam facit, tum etiam produnt duodecim anathematiſmi ad calcem illius epiſtolæ deſcripti, quorum nullus hanc inferorum deſpoliationem commemorat. Quinimmo S. Cyrillus eosdem anathematiſmos, verum ſcopum patefacit Synodicæ epiſtolæ; ut cognoſcamus, quidquid ad doctrinam anathematiſmorum non pertinet, Synodalis definitionis honorem minime promereri. Quumque præterea cavendum ſit, ne relata Synodicæ epiſtolæ verba eo ſenſu accipiantur, quo Evodius ad Sanctum Auguſtinum ſcripſerat, ſcilicet, ne ideo inferi crederentur exinaniti, quia hic dictum eſt *expoliavit infernum*: examinare præſtat, num melius accipiantur juxta rectiſſimam Auguſtini ad Evodium explicationem, qua damnatis nullum ſubſidium, Purgantibus verò animabus verum gaudium a deſcenſu Redemptoris contigiſſe prædicat; potius quam infernorum expoliationem ad ſolas animas applicare Sanctorum ſinus Abrahæ; quem præterea ſinum Doctor ille maximus partem inferorum non eſſe, tum auctoritate, tum ratione luculentiſſime, & non ſemel demonſtravit.

181. Et quoniam illuſtriſſimi Patres quorum auctoritates ſuperius examinavi, regnum cœlorum ſtatim a morte tribuunt iisdem ſanctis, quorum triumphum a Deo coronatum definiunt, eoſque in Sanctorum patria perpetuis, ſempiternis, ineffabilibus atque æternis bonis fruentes dicunt: conſentaneum videtur nulli unquam Eccleſiaſticæ Synodo eam mentem tribuere, quæ a talibus, tantiſque magiſtris diſcedat; atque doctrinam inducat ab eorum conſuetudine in explicandis Scripturis alienam.

182. Abſtineo a pluribus, tum ut brevitati conſulam, tum etiam in venerationem Synodorum etiam provincialium. Doctus attamen adverſarius meus ignorare non poteſt, Synodos Oecumenicas Nicenam, ac Conſtantinopolitanam immo etiam Tridentinam in Confeſſione Fidei nullam Inferorum mentionem facere: immo etiam ex tredecim Toletanis primis, quas vidi, Sex non habere fidei profeſſionem; quæ verò habent, dictorum generalium Conciliorum normam ſequi. Et quamvis Quarta Toletana, ad negotia fidei tractanda minime congregata, profeſſionem addiderit, in eaque dicat: *Deſcendit ad inferos, ut ſanctos, qui ibi tenebantur, erueret: & devicto mortis imperio reſurrexit*: attamen ſubſequentes hanc explicationem minimè adoptaverunt, licet nonnullæ, non ad verbum, ſed per amplificationem Fidem Nicenam redderent. Neque id factum puto, quia hæc additio recta fortaſſe eſſe non poſſit, & probè explicari: ſed quia Patres a Majorum inſtitutione in tanta re deflectere timuerunt, & novis quæſtionibus præſentia negotia minimè pertinentibus, viam aperire.

183. Quantum autem Sextadecima Toletana exceſſerit verba quartæ Sy-

tæ Synodi ejusdem provinciæ facilè est intelligere, si quæ mox transcripsi, conferantur cum iis, quæ refert P. Fassonius (num. 66.) „ Unum, inquit proponam Toletani 16. Concilii oraculum .... „ *Tartara penetravit* (Christus) *in anima*, *& Sanctorum animas*, *quas* „ *illic* HOSTIS VINCTAS *tenebat*, *morsu potentiæ suæ exemit*, *ut prophe-* „ *tale vaticinium inquit* : O inferne ero morsus tuus .... Similia do- „ cuit quartum Toletanorum item Patrum Concilium, 60. ante an- „ nis convocatum. " Quod tamen verum non est, ut comparanti patebit. Sed cur amplius in istis immorer, dum adversarius meus spontè consentit, ut vidimus, rem istam nondum ab Ecclesia definitam? Quare, si illa sententia Conciliaribus illis Patribus, veluti propria tribuenda est : quis diceret illos tunc correxisse Hilarium, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Irenæum, Augustinum, & Sanctum Isidorum Pelusiotam, qui lib. 4. epist. 116. dicebat PURAM LÆTITIAM *percepisse Lazarum*, *quia nudus a peccatis hinc abscesserat*? Quorum si auctoritates superiùs allatæ melioribus nixæ inveniantur fundamentis, quis non procliviùs opinaretur, Patres Toletanos tantorum Doctorum sensum minimè prospexisse, antequam illam dictarent?

184. Usque ad magnum Ambrosium redeam, adeo iste suasus erat Trinitatis Sanctissimæ visionem Sanctis antiquis statim a morte patere, ut sequentia scribere non dubitaverit. „ Ergo quia justi hanc „ remunerationem habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud „ quod illuminat omnem hominem, ab hinc induamus hujusmodi „ studium, & appropinquet anima nostra Deo, appropinquet oratio, „ adhæreat illi nostrum desiderium, non separemur ab eo. Et hic „ quidem positi meditando, legendo, quærendo copulemur Deo, co- „ gnoscamus eum ut possumus. *Ex parte enim hic cognoscimus*, quia „ hic imperfecta, illic perfecta omnia, hic parvuli, illic robusti. *Vi-* „ *demus*, inquit, *nunc per speculum in enigmate*, *tunc autem facie ad* „ *faciem* ..... Non timeamus igitur recipi ab hominibus, non „ vereamur illum debitum omnibus finem : in quo Hesdras remune- „ rationem suæ devotionis invenit, dicente ei Domino: *Tu enim re-* „ *cipieris ab hominibus*, *& conversaberis* residuum CUM FILIO MEO, & „ cum similibus tuis. " (de Bono mortis cap. XI.)

185. Scio librum quartum Hesdræ, unde hæc auctoritas desumpta est inter Canonicos non computari; scio insuper non hanc esse lectionem in capite 14. vers. 9. Vulgatæ Bibliorum editionis. Nemo tamen inficiabitur, ita legisse Sanctum Ambrosium, quin conversatio Hesdræ cum Filio Dei ipsi videretur absurda; quam immo assumebat in explicationem visionis facie ad faciem ab Apostolo tanto post prædicatæ.

186. Neve a more meo in libris conscribendis declinem: meditandam Patri Fassonio proponam Epistolam e Concilio Milevitano a S. Augustino, una cum quatuor aliis Episcopis, beatissimo Papæ Innocen-

nocentio I. nuncupatam; in qua retegit hæresim Pelagii, eamque a S. Sede proscribi postulat in confirmationem sententiæ Conciliaris. Huic epistolæ responsum reddidit Innocentius non breve, *literas plenas fidei* appellans, *totoque religionis catholicæ vigore firmatas;* ad cujus doctrinas se satis supra dixisse pronuntiat, quum relationibus Conciliorum Carthaginensis, ac Milevitani respondens, rescripserat. In istis autem adeo laudaverat sapientiam illorum Patrum, ut scriberet: *Sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse.* (Epist. inter Augustinianas 181. aliàs 91. num. 7.). Et in sequenti (num. 4.) ait: *præsertim cùm vestra relatio tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat præsens dogma* (Pelagianorum) *rescindi, cùm & iis, quæ facilè vobis occurrentia posuistis, nec audeant obviare, nec possint.*

187. Itaque in laudata epistola 177. alias 95. hæc inveniuntur, quibus impugnat S. Augustinus possibilitatem naturæ in implenda viribus liberi arbitrii justitia, sine præsenti adjutorio Dei, quam Pelagius efferebat. Hoc enim posito, inquiebat, respondetur. „ Ergo „ *evacuatum est scandalum crucis. Ergo Christus gratis mortuus est.* „ Num enim si non moreretur propter delicta nostra, & resurgeret „ propter justificationem nostram, nec ascendisset in altum, & ca„ ptivans captivitatem daret dona hominibus, ista naturæ possibilitas „ quam defendit, in hominibus non esset?

„ 188. An forte Dei mandatum deerat, & ideo Christus mortuus „ est? Immo jam & hoc erat sanctum & justum & bonum. Jam „ dictum fuerat *Non concupisces*. Jam dictum fuerat, *Diliges Dominum Deum tuum tanquam teipsum*: in quo sermone Apostolus om„ nem legem dicit impleri. Et quoniam nisi diligat Deum, nemo „ diligit seipsum, ideo Dominus in iis duobus præceptis totam Le„ gem Prophetasque dicit pendere. Quæ duo præcepta jam erant „ hominibus divinitùs data. An ÆTERNUM PRÆMIUM JUSTITIÆ PRO„ MISSUM NONDUM ERAT? Hoc ipse Pelagius non dicit, qui in suis „ litteris posuit, etiam in vetere Testamento regnum cœlorum esse „ promissum. Si ergo ad faciendam, perficiendamque justitiam, jam „ erat naturæ possibilitas per liberum arbitrium, jam erat Legis Dei „ sanctum & justum bonumque mandatum, jam erat PROMISSUM „ PRÆMIUM SEMPITERNUM; ergo Christus gratis mortuus est.

„ 189. Ergo neque per Legem JUSTITIA, neque per naturæ possi„ bilitatem, sed EX FIDE, & DONO DEI per Jesum Christum Do„ minum nostrum, unum mediatorem Dei, & hominum; qui nisi „ in plenitudine temporis mortuus esset propter delicta nostra, & re„ surrexisset propter justificationem nostram, profectò & ANTIQUO„ RUM FIDES EVACUARETUR ET NOSTRA. Fide verò evacuata, quæ „ homini justitia remaneat, cùm justus, ex fide vivat? &c.

„ 190. Puto autem quòd eum (Pelagium) lateat, fidem Christi, „ quæ postea in revelationem venit, IN OCCULTO FUISSE temporibus „ patrum nostrorum; per quam tamen etiam ipsi Dei gratia LIBE-

„ RATI

" RATI SUNT , quicumque OMNIBUS HUMANI GENERIS TEMPORIBUS " liberari potuerunt , occulto judicio Dei, non tamen vituperabili . " Unde dicit Apostolus, *Habentes autem eumdem spiritum fidei* (utique " eumdem quem & illi) *secundum quod scriptum est* , *Credidi* , *propter* " *quod & locutus sum ; & nos credimus propter quod & loquimur* . In- " de est quod ait ipse mediator , *Abraham pater vester concupivit vi-* " *dere diem meum ; & vidit & gavisus est* . Inde Melchisedech pro- " lato Sacramento mensæ Dominicæ , novit æternum ejus Sacerdo- " tium figurare.

" 190. Jam verò data in litteris Lege ; quam dicit Apostolus su- " bintrasse ut abundaret delictum , & de qua dicit , *Si ergo ex Lege* " *hæreditas* , *jam non ex promissione* . *Abrahæ autem per repromissionem* " *donavit Deus*. *Quid autem Lex? Transgressionis gratia proposita est*, *do-* " *nec veniret semen* , *cui promissum est*, *dispositum per Angelos in manu* " *mediatoris* . *Mediator autem unius non est*, *Deus autem unus est* . *Lex* " *ergo adversus promissa Dei ? absit* . *Si enim data esset Lex quæ posset* " *vivificare*, *omninò ex Lege esset justitia* . *Sed conclusit Scriptura omnia* " *sub peccato*, *ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* . *Non-* " *ne satis* ostenditur hoc actum esse per Legem , ut peccatum agno- " sceretur , & prævaricatione augeretur . (*Ubi enim lex non est* , *nec* " *prævaricatio*) : & sic adversus victoriam peccati AD DIVINAM GRA- " TIAM , QUÆ IN PROMISSIONIBUS EST , CONFUGERETUR : atque ita " Lex non esset adversus promissa Dei ; quia ideo per illam fit co- " gnitio peccati , & ex prævaricatione Legis abundantia peccati , ut " AD LIBERATIONEM QUÆRANTUR PROMISSIONES DEI, QUOD EST " GRATIA DEI ; ET INCIPIAT ESSE IN HOMINE JUSTITIA , NON " SUA, SED DEI, HOC EST DATA DONO DEI.

" 191. Quum etiam nunc quidam, *ignorantes Dei justitiam*, sicut & " tunc de Judæis dictum est, *& suam volentes constituere*, *justitiæ Dei* " *non sunt subjecti* . Per Legem quippe & illi justificari se arbitran- " tur , sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio , hoc est " justitia sua prolata ex natura humana ; non donata ex gratia , " propter quod *justitia Dei* dicitur. Unde item scriptum est , *Per le-* " *gem enim cognitio peccati* . *Nunc autem sine Lege justitia Dei manife-* " *stata est* , *testificata per Legem & Prophetas* . Cùm dicit *manifestata* " *est*: ostendit quia ET TUNC ERAT, sed tamquam illa pluvia, quam " Gedeon impetravit , tunc velut in vellere OCCULTA , nunc autem " velut in area , MANIFESTA . Cùm ergo Lex sine gratia , non mors " peccati potuisset esse , sed virtus , sic enim dictum est , *Aculeus* " *mortis peccatum* , *virtus autem peccati Lex* : sicut confugiunt multi " a facie regnantis peccati AD GRATIAM velut in area nunc PATEN- " TEM, ita pauci AD EAM confugiebant velut in vellere tunc laten- " tem . Hæc verò temporum distributio refertur ad altitudinem divi- " tiarum sapientiæ & scientiæ Dei, de qua dictum est, *Quam inscru-* " *tabilia sunt judicia ejus*, *& investigabiles viæ ejus* .

" 15. Qua-

„ 15. Quapropter si ET ANTE TEMPUS LEGIS, ET TEMPORE IPSO „ LEGIS JUSTOS PATRES EX FIDE VIVENTES non possibilitas naturæ „ infirmæ, ac vitiatæ, & sub peccato venundatæ, sed Dei GRATIA „ PER FIDEM JUSTIFICABAT; ET NUNC EADEM IN APERTUM JAM „ VENIENS REVELATA JUSTIFICAT: anathemet ergo Pelagius scri- „ pta sua, ubi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen per „ ignorantiam disputat, possibilitatem defendendo naturæ ad vincen- „ da peccata, & implenda mandata.

188. In istis acutissimi Augustini verbis inveniet, ut puto, Pater Fassonius opportunam medicinam opinioni suæ, quæ differendo præmium, obumbrat etiam meritum antiquorum Sanctorum. Quos si ipse sincerè fateretur, eadem fide & gratia, qua nos, justos effectos: affirmare expavesceret a visione Dei statim a morte fuisse prohibitos. Quid enim aliud est justitia Dei, nisi constans ad Deum adhæsio per diffusionem charitatis a Spiritu sancto operata, ut animam justam suum templum efficiat? Si enim mortalia hæc membra nostra templum Spiritus Sancti evadunt per ejus inhabitationem in nobis; quantò magis anima? Ita præparati fuerunt antiqui justi, ut virtutes consectarentur, & Dei sui visionem gustarent etiam viventes in carne. Ex qua tum præparatione, tum gratia, tum sanctis operibus, necessariò consequitur, multo magis eos eadem visione fuisse gavisos, depositis corporis, quod aggravat animam, impedimentis.

189. Vel itaque eligat P. Fassonius, dicere, Sanctos, tum ante Legem, tum Legis tempore, mysteria Religionis Christianæ, & æternum justitiæ præmium ignorasse; nec Mediatorem Dominum nostrum Jesum Christum eo merito credidisse venturum, quo nos manifestatum profitemur; vel alia gratia adjutos, quæ plenam non operaretur justitiam, remissionemque peccatorum, sed animas metaphoricè justas faceret, ac proinde fruitione Dei INDIGNISSIMAS ad tempus; vel demum eorum aliquos non vere vidisse *Filium*, dum in carne viverent, *in solio divinitatis*, ut dixit Sanctus Cyrillus, cum quo tamen Filio facie ad faciem locuti dicuntur in Scripturis: vel si hæ gratiæ & privilegia, & dona vera sunt, desinat oportet efferre, veluti Ecclesiæ doctrinam, opinionem suam, qua eos sanctissimos quidem in hac vita describit, sed post vitam egentissimos pronuntiare non dubitat in carentia visionis Dei sui dilecti & cogniti, &, quod longè perversius est, sub dominatu dæmonis, ejusque servitute constitutos.

190. Profectò Augustiniana documenta mox relata, & cum tanta commendatione a Capite visibili universalis Ecclesiæ suscepta; nec non in duobus magnis Conciliis incredibili solertia examinata, atque approbata, rectius præseferunt Ecclesiæ Catholicæ Fidem adversus Pelagianos in hoc etiam capite propugnatam, promulgatamque, quam pauca Toletanorum Provincialium Conventuum verba, obiter pro-

nuntiata, quæ Patrum illorum privatum sensum ostendunt, nullo modo, ut puto, cum duobus Conciliis Carthaginensi ac Milevitano concordem, aut ullo hominum ingenio conciliandum.

191. Cetera prætereo, quæ in Patris Fassonii opere responsionem proposito similem promererentur; in quo lectores sæpe veritatis amorem, sæpius modestiam desiderabunt. Lubet enim magis ei gratias sincere referre, quod non parvo labore collegerit quidquid unquam poterat dici ad tutamen sententiæ, quæ antiquos justos prohibet a visione Dei statim a morte. Ita enim fortasse fiet, ut si quis post lectionem libri sui ad istum meum transire dignabitur, facilius cognoscat, & amet principia, nexum, ac consectaria, perspicuæ, altissimæque doctrinæ Sancti Augustini, per quam una eademque Ecclesia celebratur, ac demonstratur a rerum exordiis ad mundi finem; atque una, & sancta, & immaculata Religionis veritas constantissimè custoditur. Istam verò eò acceptiorem doctis lectoribus futuram confido, quò majoribus, frequentioribusque offendentur antilogiis, quas P. Fassonius in librum suum imprudens collegit, caussæ, quam agebat, non leve importans incommodum. Aliquas hic transcribere opportunum visum est mihi; ut quicumque imposterum obviare tentaret constanti fidelique Sancti Augustini doctrinæ in hoc articulo utilitatis plenissimo, scopulos saltem vitare perdiscat, in quibus P. Fassonius non infrequens fecit naufragium.

ANTI-

ANTILOGIÆ P. FASSONII

Circa animas antiquorum Sanctorum in Limbo.

PRIMO.

Quæ favent eorum innocentiæ & felicitati.

§ 4. „ Animabus ſinus Abrahæ nihil luendum, aut expiandum „ ſupererat,

§ 5. „ Nulla peccati pœna, nec macula luenda erat ...... a bea- „ ta quadam liberationis ſpe ſuſtentati, tranquillè interea, placide- „ que habitabant.

§ 31. „ Paſſim bonorum animi ex Purgatorii cuſtodia erepti, in „ ſinum, complexumque Abrahæ convolarent.

§ 55. „ Spe quidem beatioris vitæ tenebantur, reipſa tamen non- „ dum inierant.

§ 65. „ Piorum animos ante mortem Liberatoris de præſidio & „ ſtatione vitæ juſſos egredi, etſi ſumma eſſent innocentia, non ſta- „ tim tamen dignos fuiſſe, qui Deum viderent.

§ 76. „ Nulla eos culpæ fœditas, turpitudoque pollueret.

§ 97. „ Bonorum animos, qui ante Chriſti migrationem ad In- „ feros obierunt, quieviſſe in ſinu quidem complexuque Abrahæ, „ tamquam in portu otii, tranquillitatiſque pleniſſimo, nondum ta- „ men tam beatos fuiſſe, ut ſe illis Deus in conſpectum daret.

§. 106. „ Pueri Herodis juſſu interfecti, in ſinum Abrahæ rece- „ pti ſunt, ubi interim lætabantur, gaudebant, habebantque oppeti- „ tæ mortis ſolatia.

§ 118. II. „ Pii quieſcentes in ſinu Abrahæ, quaſi in aliquo op- „ portuno, & honeſtiſſimo diverſorio.

§ 121. „ Delicias ac voluptates animi non ex regione, in qua „ quiſque ſit, ſed magis ex rebus ipſis æſtimari oportere.

§ 145. „ Quamvis ſuaviſſimum Dei conſpectum eripiam (anima- „ bus ſinus Abrahæ) ut lætentur tamen, compluribuſque ut utantur „ ſolatiis, concedo.

(ibid.) „ Erat autem Lazarus cum piis reliquis: pii ergo, etſi „ Deum non cernerent, neque ejus ſe ſe oblectarent præſentia, in „ ſinu tamen complexuque Abrahæ, ut illis temporibus, lætaban- „ tur, ſuaque habebant communis, qua tenebantur, vel pœnæ, vel „ calamitatis ſolatia.

§ 155. „ Nemo rationes & vias omnes reperiat, quibus optimus „ ac ſapientiſſimus Deus uti potuit, ut animas ſibi chariſſimas at-

„ que amicissimas, quibus sui videndi copiam facere nondum debuit,
„ non sustentaret solum, sed etiam hilararet.

§ *166.* „ Nec potuit Deus, infinita præditus sapientia, rationem „ invenire, ut piorum familia usque ad obitum Filii in honesta qua„ dam asservarentur custodia, ubi interim tranquillam, felicemque „ pro illis temporibus vitam traducerent? ..... Potuit enim Deus „ locum apud inferos constituere, ac præparare, in quem piorum „ animi nulla peccati labe inquinati discederent, cui tamen carceris „ nomen, neque notio conveniret &c.&c.

SECUNDO.

Quæ in illis animabus culpam supponunt & pœnam.

§ 10. „ UT dubium post hæc esse nequeat, quin Conservator no„ stri generis ex devicto Diabolo, spoliatisque Infe„ rorum sedibus gloriosissimam victoriam deportaverit, ideſt Sanctos „ illos Patres tanquam è custodia eduxerit, libertateque donaverit.

§ *26.* „ Verùm qui cæcis jacebant in tenebris, qui mortui in In„ feris tenebantur, ii Deum, qui in media luce habitat, in cujus „ conspectu & præsentia nemo mortis subesse imperio putandus est, „ me quidem judice, non videbant.

§ *34.* „ Homines idcirco detentos fuisse ante Christi mortem in „ inferis, quia mortis lege tenebantur .... Non igitur qui teneban„ tur hac lege, crudelique mortis dominatu premebantur, divinæ es„ se ullo pacto poterant visionis participes.

§ *43. in Nota 9.* „ Nondum originale peccatum, quod per om„ nium hominum animos serperet, de medio (Servator) abstulerat. „ Ejus peccati vinculis adstricti homines tenebantur .... nativæ ad„ huc & insitæ culpæ laqueis irretiti.

§ *55.* „ Ita illi mortis imperio suberant, ita Inferorum locis, vel„ uti quadam custodia tenebantur &c. illos (Eustratius) trudit ad „ Inferos, & quasi in vincula conjicit.

§ *60.* „ Tu verò, Cadonice, obstrictos culpa homines, ideſt cul„ pæ vinculis implicitos atque irretitos, dignos putaveris, quibus„ cum Deus suam impertiat communicetque præsentiam? &c.

§ *70.* „ Donec illius morte liberationem culpæ, atque adeo mise„ ræ ejus custodiæ impetraverunt.

§ *80.* „ Patres manifeste & constantissime docent, peccati vim „ fractam atque enervatam, genusque nostrum a Dæmonis servitu„ te ereptum esse, cùm clementissimus Dei Filius in subterraneas il„ las regiones se contulit; antea verò homines in mortis adhuc po„ testate ac dominatione fuisse, Dei opem atque auxilium in In„ ferno expectasse &c.

§ *89.* „ Piorum animos in luctu ac dolore versari.

§ 103.

§ 103. „ Ut nihil dicam de catenis & vinculis, quibus captivi il-
„ li aliquando tandem soluti sunt.

§ 118. „ Animas sibi charissimas in sinum Abrahæ receptas, tan-
„ quam e custodia eduxit ..... Nam qui de mortis faucibus redem-
„ pti sunt, qui soluti vinculis, & de custodia liberati, qui demum
„ tanquam hostium & tyrannorum spolia, in libertatem pristinam
„ restituti .... tales verò fuerunt Patres illi sanctissimi atque opti-
„ mi, qui in sinum complexumque Abrahæ venerant.

§ 121. „ Universam Patrum familiam, eam præterea afferre caus-
„ sam, cur Inferos adierit, ut scilicet animas sibi charissimas in si-
„ num Abrahæ inclusas, inde eriperet, communisque peccati vincu-
„ lis solutas ad beatitudinem revocaret.

§ 140. „ Quare antequam Dei Filius tam miseram funestamque
„ labem sua morte expiaret ..... indignissimi fuimus, qui de vita
„ egressi adiremus Deum, atque ejus numine & præsentia tanquam
„ familiares & intimi, frueremur.

§ 172. „ Nihilominus cum propter primi parentis flagitium no-
„ strum genus a cœlesti regno excidisset, a Deique conspectu longe
„ ejectum fuisset, hunc prisci statim ab obitu videre non poterant,
„ quod nondum sempiternus Patris Filius de injuria satisfecerat, ne-
„ que pœnas ei peccato debitas solverat, &c. &c.

F I N I S.

ER.

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE.
		In Epistola nuncupatoria.	
§. Qui varo			
		Ajungit	Adjungit
§. Hisce inquisitionibus			
		inclyta Ita	inclyta ista
		In textu de Beatitate &c.	
Pag. 7	lin. 24	aasit	auxit
9	19	Gallicano	Gallicani
11	6	saluti	salute
	8	quomodo	quando
15	8	sanctissimi	sanctissimis
	22	fuisse	non fuisse
16	27	præferebat	proferebat
17	28	ut quid	quid
18	29	recensens	racenset
19	9	& spe	ex spe
	22	monstratur	monstretur
20	40	quia	qui
21	33	& si	etsi
22	18	aliena	aliqua
23	4	mei	mea
	ult.	dificaltates	molastias & difcultates
24	43	quando ex	quando veluti ex
29	24	apeilisse	appetilsso
31	12	laeam	lacus
33	36	distentia	distentas
36	24	damnatorum animas	qaæ e fidei dono desciverunt
	42	virtatea	virtutis
37	30	describentur	describerentur
43	6	abscondi	abscondit
44	12	videtar	videntur
45	7	ut alii	ac ut aiii
51	29	eumdemque	aamdem
53	5	tremendasque	tremendæque
55	22	nune	meæ
56	5	damnatis	damnatio
58	12	quia	qua
	30	documenti	documentis
59	43	qui dicunt	qaid dicunt
61	25	effectibas	affectibus
63	2	itaque defectionis	supple itaqae caussam defectionis
64	29	mala	male
	32	quæ	qua
65	21	prætendentea	contendentes
	18	per quam	ob quam
	45	qais	queis
67	6	est	&
68	12	sapienter	sapientes
71	4	qualem	quale
72	38	peccati	peccat
	ibid.	Peccator	Peccatur
73	8	aliter	si aliter
79	35	nisi	uni
80	17	emandationem	emundationem
83	9	corporia	corpori
86	21	remissionem	remissione

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
Pag. 93	lin. 7	hæsitationem	hæsitatione
99	21	redise	redite
106	9	requie	requies
107	43	non enim	enim non
109	17	est	es
114	25	jactirent	jactitant
117	30	Evangelia	Evangelica
	ibid.	Ita	Ista
127	39	eumdem	eamdem
130	37	disputante	disputantes
131	20	nodum	nondum
	22	FUCTURÆ	FUTURÆ
ibid.	27	in signo	In signum
	44	adscriptam	adscriptam
133	21	contendet	contenderet
142	22	In sinu	in sinum
145	2	ibi	ibis
146	23	ito	ista
147	8	Negatum	Negate
148	3	& crederetis	crederetis
	24	talea	tale
149	43	Dominas.	Dominas?
152	45	& infarni	ex Inferni
153	3	que quod	quod
	28	vetabat	vexabat
156	7	focio	focios
157	16	victuque	rictuque
158	22	caligine & aqua	caligiuem, a qua dæmonea
	25	tamdiu	adeo
159	28	iuxta	justa
166	28	Sinu	Sinas
167	39	Evangelio	Evangelico
169	43	Tournelia	Tournelio
170	1	Tournelis	Toarnelio
	45	utrum autem	utrum hanc
171	29	prætendunt	contendunt
172	33	eaaudiat	exaudiet
177	2	& Levitico	ex Levitico
178	22	ad haue	hanc
179	39	*est ille*	*& ille*
180	13	at	&
182	39	quorum	quocum
184	24	ascendere	ascendero
	27	confirmet	coufirmat
	30	In Inferis	quæ in Inferis
185	5	quos	quas
	20	oblivisti	oblivisci
192	6	aliquid melius	ad aliquid melius
	22	constitaisset	constitisset
195	1	pœna	pœnam
in nota	25	existimamus	eaistimemas
201	26	Ascendes	Ascendens
207	34	eadem	eædem
208	3	Ipse	ipsa
	14	videndus	ridendus
	20	antecedente	intercedente
211	40	testatum	testatam
212	10	instaurarentur	Instaurentur

ERRA-

ERRATA			CORRIGE.
213	34	quas	quos
215	24	ibi Abrahæ	ubi Abrahæ
216	33	& nullum	ut nullum
217	3	Mortes	Moyſes
	5	eſt	eis
219	31	adjudicans	dijudicans
226	40	Moyſe	Moyſes
228	29	& lege	ex lege
230	2	ſtabat	ſtebat
230	18	iram divinam	ſupple & ſuper viventibus
	44	ipſi	Ipſis
231	35	adjuctoria	adjutoria
232	25	lætificari	lætificari
233	41	cœnaculo	In cœnaculo
237	18	a conſpectu	e conſpectu
	24	Ex libro	Et libro
241	39	diſparitatem	differentiam
243	30	Tamdiu	Adeo
	31	quamdiu	quam
246	17	ex	&
251	16	de mortem	de morte
252	29	judicari	indicari
254	13	vel	nil
264	25	Fachienſi	Fokienſi
266	22	& hæreditas	eſt hæreditas
267	11	veritate	cæriraie
269	25	proiellionem	perfectionem
	27	conjungantur	conjungatur

IN INDICE.

272 A col. 1. l. 24	hatebunt	habebant
273 A col. 1. l. 19	textus	textum
B col. 2. l. 8	uomini	homini
C col. 1. l. 33	animæ	animas
278 R col. 2. l. 12	Rapromiſſionsa	Repromiſſionis

In Animadverſionibus.

290 lin. 36	texus	textum

ERRATA			CORRIGE.
293	7	& diſſimulatis	ex diſſimulatis
294	9	conjunctæ Deo ſupple	conjunctæ erant Deo
	40	collocantes	collocantem
306	15	tribuere	tribueret
311	8	tranquillitatem	& tranquillitatem
313	28	ſinu	ſinus
	37	cogitat	cogitet
315	13	Damatiæ	Dalmatiæ
318	16	candelabria	candelabra
	23	Nun vero	Nunc vero
	28	Quod in	Quod ſi
319	39	nunc is	nunc it
314	4	beatum	beatus
315	31	aſſentiam	eſſ ntiam
316	15	tempera	tempera
318	31	peritè	particè
	41	ingauiis	ingauli
320	23	halluciaremur	hallucinemur
	25	gemials	genuinis
333	33	hæc ſponſiones	hæ ſponſiones
339	10	conſiderat	conſideat
	44	a ſua creatione præſentem	*ſuple* & a tempo ſuæ obedientiæ beatificantem
343	8	vadem	teſtimonium
345	25	propriis	proprii
346	45	fere	ferre
353	20	quam	quem
	30	induceremes in hujos ec.	in hujus magni Patris ſcripta induceremus.
356	31	tempore	tempora
357	7	anathematiſmos	declarans
358	18	illam	ãlla
	41	io	non in duobus

Errores in citationibus auctoritatem.

Pag.	lin.			
36	2	adverſ. hæreſ.	*ſupple*	lib. 2 cap. 30.
45	5	lib. 2	corrige	lib. 25
74	36	37	corrige	32
75	34	38	corrige	33
	37	39	corrige	34
90	6	10 Tom.	lege	ut Divum Auguſtinum deſinientem audivimus T. 10. De peccat &c.
114	35	39	correge	36
141	43	Art. 2.	Actor. 2	
198	50	69	29	67 19
199	38	Hom. 28	29	Hom. 19
218	25	2. 9		2. 19

CA-

CATALOGO

D' alcuni Libri Latini, ed Italiani, usciti dalle Stampe di Antonio Zatta, *col loro giusto corrente prezzo.*

S. Dionysii Areopagitæ Opera omnia, Græce & Latine, Commentariis & Adnotat. illustrata a P. Corderio: quibus superadditæ sunt in hac editione Dissertationes præviæ, variantes Lectiones; aliæque Accessiones potissimum ad rem facientes. fol. T. 2. 1755. L. 75:

—— Idem Opus impressum Charta plusquam optima & maxima, atque, ut ajunt, Imperiali, cum amplissimis marginibus: cujus unicum extat exemplar. L. 300:

Sacrorum Conciliorum nova & amplissima Collectio: in qua præter ea, quæ in præcedenti Labbeanæ in lucem edita fuere, ea insuper omnia suis locis disposita exhibentur, quæ *P. Mansi* in sex voluminibus Supplementorum Lucæ nuper evulgavit. Editio novissima, ab eodem P. Mansi, aliisque eruditis Viris curata, ad MSS. Codd. Vatican. Lucens., aliosque recensita & perfecta, Notisque, & Dissertationib. quamplurimis nunc primum locupletata. In fol. 1759.

—— *Pretium nitidum Tomi Primi, II. III. IV. V. VI. VII. VIII. & IX. pro* Subscriptoribus, *parata pecunia* L. 270:

Prænumeratio pro IX. Tomo L. 30:

Summa L. 300:

Museum Mazzucchellianum, seu Numismata Virorum doctrina præstantium; quæ apud Jo: Mariam Comitem Mazzucchellum Brixiæ servantur, a Petro Antonio de Comitibus Gaetanis Brixiano Presbytero, & Patritio Romano Edita, atque illustrata. Accedit inde Versio Italica studio Equitis Cosimi Mei elaborata. Continet hoc perelegans ac sumptuosum 1200. circiter Numismata, totidemque Emblemata ex adverso respondentia: necnon Cælaturis 2400. circiter, Tabulisque æneis 220. finalibus 150. circiter constat. fol. 2. Vol. 1761. Tom. prim. jam completus. L. 66:

S. Clementis Alexandrini Opera omnia, Græce & Latine, recognita, & illustrata, a Joan. Potero: Quibus insuper adjecta sunt in hac editione Fragmenta aliqua ex Fabricio, ac Vita S. Patris, Monumentis præstantissimis exarata, fol. Tom. 2. 1757. L. 80:

—— Idem Opus Charta magna. L. 90:

—— Idem Opus impressum Charta maxima, vel Imperiali ut supra, cujus unicum extat exemplar. L. 300:

Peregrini (M. Antonii) de Fideicommissis cum Observationibus Gaspari Lonigo, ac Observationibus singularibus Francisci Censalii, cum Additionibus ad Tractatum de Fideicommissis, Marci Antonii Peregrini, fol. Tom. II. 1760. L. 26:

—— *Venditur etiam seorsim Tomus secundus* L. 12:

Decisiones S. Rot. Rom. coram R. P. D. Carolo Rezzonico nunc SS. Domino N. Clemente XIII. fol. 4. Vol. 1760. L. 55:

Tabulæ Whistonianæ conspectus, cum Theorematibus ex Astronomia selectioribus, addito schemate æneo in 8. charta vulgo Imperiali, 1759. L. 4:

Boscovich (P. Rogerii Josephi) De Solis ac Lunæ Defectibus libri V. 8. 1761. Venetiis. Juxta Exemplar Londini. L. 3:10